



LIBRARY OF PRINCETON
NOV 19 1908
THEOLOGICAL SEMINARY.

CHRISTIANAE RELIGIONIS INSTITUTIO,

totam ferè pietatis summã, & quicquid est in doctrina salutis cognitu necessarium, complectens: omnibus pietatis studiosis lectu dignissimum opus, ac recens editum.

PRAEFATIO AD CHRIstianissimum REGEM FRANCIAE, *qua hic ei liber pro confessione fidei offertur.*

IOANNE CALVINO
Noviodunensi autore.

BASILEAE,
M. D. XXXVI.

CAPITA ARGVMENTORUM, quæ in hoc libro tractantur.

POTENTISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE *Monarchæ*, FRANCISCO FRANCORVM REGI *Christianißimo, Principi ac Domino suo sibi obseruando, Ioannes Caluinus pacem ac salutem in Domino.*



VM huic operi manū primum admouerem, nihil minus cogitabā, Rex clarissime, q̄ scribere quæ Maiestati tuę offerrentur. Tantum erat animus, rudimenta quædā tradere, quibus formarentur ad ueram pietatē, qui aliquo religionis studio tanguntur. Atq; hunc laborem Gallis nostris potissimū desudabam, quorū permultos esurire & sitire Christū uidebā: paucissimos, qui uel modica eius cognitione imbuti essent. Hāc mihi fuisse propositam rationem, liber ipse loquitur, ad simplicem scilicet, rudemq; docendi formam appositus. Verum cum perspicerem

rem uſq; eò quorundam improborũ furorem inualuiſſe in regno tuo, ut nullus ſanæ doctrinæ ſit iſtic locus: facturus mihi operæprecium uiſus ſum, ſi eadẽ opera & institutionem ijs darem, quos erudiendos ſuſceperam: & confeſſionem apud te ederẽ, unde diſcas qualis ſit doctrina, in quam tanta rabie exardeſcunt furioſi illi, qui ferro & ignibus regnum tuum hodie turbãt. Neq; enim uerebor fateri, hic me ſummã ferè eius ipſius doctrinæ complexum eſſe, quam illi carcere, exilio, proſcriptione, incendio mulctandã: quam terra mariq; exterminandam uociferantur. Equidem ſcio quàm atrocibus delationib. aures animumq; tuum impleuerint, ut cauſam noſtrã tibi quàm odioſiſſimam redderent. Sed id tibi pro tua Clementia perpendendũ eſt; nullam neq; in dictis, neq; in factis innocentiam fore, ſi accuſaſſe ſufficiat. Sanè, ſi quis faciendæ inuidiæ cauſa, doctrinã hanc, cuius nunc rationem tibi reddere conor, omnium ordinũ calculis damnatam,

tam, multis fori præiudicijs confossam iamdudum fuisse causetur, nihil aliud di xerit, quàm partim aduersariorũ factio= ne & potentia uiolenter deiectam: par= tim mendacijs, technis, calumnijs, insi= diose frauduleterq; oppressam. Vis est, quòd indicta causa sanguinarię senten= tiæ aduersus illam feruntur. fraus, quòd seditionis & maleficij, pręter meritũ, insi mulatur. Ne quis hæc, iniuria, nos que= ri existimet; ipse nobis testis esse potes, Rex Nobilissime, quàm mendacib. ca= lumnijs quotidie apud te traducat. qđ nõ aliorsum spectet, nisi ut regna omnia & politię subuertãtur, pax perturbetur, leges omnes abrogẽtur, dominia et pos= sessiones dissipentur, omnia denique sur sum deorsum uoluantur. Et tamen mi= nimam portiunculam audis. horrenda enim quędam in uulgus spargũtur: quę si uera essent, merito illam cũ suis autho ribus mille ignibus ac crucibus dignam mundus iudicet. Quis iam miretur pu= blicum odium in illam accensum esse,

ubi iniquiſſimis iſtis criminationibus fi-
des habetur? En cur in noſtram, doctri-
næq́ noſtræ damnationem omnes ordi
nes conſentiant & conſpirent. Hoc affe
ctu correpti qui ad iudicandum ſedent;
præiudicia, quę domo attulerũt, pro ſen
tentijs pronunciant. Et ſe rite perfun-
ctos ſuis partibus putant, ſi neminem ad
ſupplicium trahi iubent, niſi aut ſua con
feſſione, aut ſolidis teſtimonijs cõuictũ.
At cuius criminis? Damnatæ, aiũt, iſtius
doctrinæ. At quo iure damnata eſt? Id
autem erat defenſionis præſidium: non
doctrinam ipſam abnegare, ſed pro ue-
ra tueri. Hic muſſitandi quoque facul-
tas præciditur. Quare non inique poſtu
lo, Rex Inuictiſſime, ut integram cauſæ
iſtius cognitionem ſuſcipias? quæ per-
turbatè hactenus, nulloq́ iuris ordine,
& impotenti æſtu magis, quàm legitima
grauitate tractata eſt. Neque hic me pri-
uatam defenſionem meditari exiſtimes,
qua ſaluum in patriã reditum mihi cõfi
ciam: quam tametſi, quo decet, humani-
tatis

tatis affectu prosequor: ut nunc tamen res sunt, ea non moleste careo. Verum communem piorum omnium, adeoq; ipsam Christi causam complector. quę modis omnibus hodie in regno tuo proscissa ac protrita, uelut deplorata iacet: Pharisęorum id quidem quorundam tyrannide magis, q̃ tua conscientia. Sed quî id fiat, hic dicere nihil attinet: afflicta certe iacet. Hoc enim profecerũt impij, ut Christi ueritas, si nõ ut fugata ac dissipata periret: certe, ut sepulta & ignobilis lateat. paupercula uerò ecclesia, aut crudelibus cædibus absumpta sit, aut exilijs abacta, aut minis ac terroribus perculsa, ne hiscere quidem audeat. Et instant etiamnum, qua solent insania & ferocitate: fortiter in parietem iam inclinatum, & ruinam quam fecerunt incumbentes. Nullus interim prodit, qui talibus furijs patrocinium suum opponat. Quod si qui ueritati maxime fauere uideri uolunt, ignoscendum esse censent errori & imprudentiæ imperitorum ho-

minum. ſic enim loquuntur: errorem & imprudentiam, uocantes certiſſimā Dei ueritatē. Imperitos homines: quos Dominus, cœleſtis ſapiētię myſterijs dignatus eſt. adeò omnes pudet euāgelij. Tuū aūt erit, Sereniſſime Rex, nec aures, nec animum, à tam iuſto patrocinio auertere, præſertim ubi de re tanta agitur: nempe, quo modo Dei gloriæ ſua conſtet in terris incolumitas, quomodo ſuam dignitatē Dei ueritas retineat, quomodo regnum Chriſto ſartum tectumq́ inter nos maneat. Digna res auribus tuis, digna tua cognitione, digna tuo tribunali. Siquidem & uerum regem hæc cogitatio facit, agnoſcere ſe in regni adminiſtratiōe Dei miniſtrum. Nec iam regnū ille, ſed latrocinium exercet, qui non in hoc regnat, ut Dei gloriæ ſeruiat. Porrò fallitur, qui diuturnam proſperitatē expectat eius regni, quod Dei ſceptro, hoc eſt, ſancto eius uerbo non regitur. quando cœleſte oraculum excidere non poteſt: quo edictum eſt, diſſipatum iri populum,

pulum, ubi defecerit prophetia. Nec te Prouer. 19
ab hoc ſtudio abducere debet humilitatis noſtrę cõtemptus. Nos quidẽ, quàm pauperculi ſimus & abiecti homunciones, ꝓbe nobis cõſcij ſumus. Corã Deo miſeri peccatores, in hominũ conſpectu deſpectiſſimi, mundi (ſi uis) excremẽta quædã et reiectamẽta: aut ſi quid adhuc uilius nominari poteſt. ut, q̊ apud Deũ gloriemur, nihil reſtet: præter unam eius miſericordiã, q̃ ſalui nullo noſtro merito facti ſumus, apud homines uerò, præter noſtrã infirmitatẽ: quã uel cõfiteri, ſumma inter eos ignominia eſt. Sed doctrinã noſtrã ſupra omnẽ mũdi gloriã ſublimem, ſupra omnem poteſtatem inuictã ſtare oportet, qa nõ noſtra eſt, ſed Dei uiuentis, ac Chriſti eius: quẽ pater regẽ cõſtituit, ut à mari uſq; ad mare dominetũ, & à fluminb. uſq; ad terminos orbis terrarũ. Et ſic quidẽ dominetur, ut totã terram cũ ferreo ſuo atq; æreo robore, cum ſplendore aureo & argẽteo, ſola oris ſui uirga percuſſam, nõ ſecus cõminuat, q̃

Daniel.2 figulina uascula, quẽadmodum de ma-
Iesa.1 gnificẽtia regni ipsius uaticinant̃ ꝓphe-
Psal.2 tæ. Reclamãt quidẽ aduersarij, falsò nos
prętendere uerbũ Dei, cuius sceleratissi
mi simus corruptores. Hęc uero quàm
sit nõ modo malitiosa calumnia, sed in-
signis quoque impudentia, ipse confes-
sionem nostram legẽdo, pro tua pruden
tia iudicare poteris. Nonnihil tamẽ hic
etiam dicendum est, quod tibi ad lectio
Rom.12 nem ipsam uiam sternat. Paulus, cũ ad
fidei analogiam omnem prophetiã for-
matam esse uoluit, certissimã amussim
posuit, qua probari scripturæ interpreta
tio debeat. Ad hanc itaq; fidei regulam
si nostra exigantur, in manibus est ui-
ctoria. Quid enim melius atque aptius
fidei conuenit, quàm agnoscere nos o-
mni uirtute nudos, ut à Deo uestiamur?
omni bono uacuos, ut ab ipso implea-
mur? nos peccati seruos, ut ab ipso libe-
remur? nos cæcos, ut ab ipso illumine-
mur? nos claudos, ut ab ipso dirigamur?
nos debiles, ut ab ipso sustentemur? no-
bis

bis omnem gloriandi materiam detra-
here, ut solus ipse glorificetur, & nos
in ipso gloriemur? Hęc atq; id genus re-
liqua cum à nobis dicuntur, interpellāt
illi, quiritanturq;, hoc modo subuerti cę
cum nescio quod lumen naturæ, fictas
præparationes, liberum arbitrium, meri
ta, quia ferre nō possunt, integrā omnis
boni, uirtutis, iustitiæ, sapientiæ laudem
ac gloriam, apud Deum residere. At nō
legimus reprehensos, qui nimium è fon
te aquæ uiuæ hauserint, contrà grauiter Hiere.
obiurgantur, qui foderunt sibi puteos,
puteos contritos, & qui continere aquā
non ualent. Rursum, quid fidei conue-
nientius, quàm Deum sibi polliceri pro
picium patrē, ubi Christus frater ac pro
piciator agnoscitur? quàm omnia lęta ac
prospera secure ab eo expectare: cuius
inenarrabilis erga nos dilectio eò ꝑgres-
sa est, ut proprio filio non pepercerit,
quin pro nobis ipsum traderet? quàm
in certa expectatione salutis & uitę æter
næ acquiescere, ubi Christus à patre da-
tus

tus cogitatur, in quo tales thesauri sunt absconditi? Hic nobis manum iniiciũt, & illam fiduciæ certitudinem, arrogantia & præsumptione non carere, clamãt. At, ut nihil de nobis, ita omnia de Deo præsumenda sunt: nec alia ratione uana gloria spoliamur, nisi ut in Domino gloriemur. Quid ultra? percurre, Fortissime Rex, omnes causę nostrę partes, et quouis sceleratorum hominum genere nequiores nos existima, nisi planè comperias, in hoc nos laborare & probris affici, quia spem reponimus in Deo uiuo: quia hanc credimus esse uitam æternã, nosse unum uerum deum, & quem ille
1 Tim. 4 misit Iesum Christũ. Propter hanc spem alij nostrûm uinculis constringũtur, alij uirgis cæduntur, alij in ludibriũ circũducũtur, alij proscribuntur, alij sęuissimè torquentur, alij fuga elabũtur. omnes rerũ angustia premimur, diris execrationib. deuouemur, maledictis laceramur, indignissimis modis tractamur. Intuere iam in aduersarios nostros (de ordine sacrificorũ loquor:

loquor: quorum nutu & arbitrio alij no biscum inimicitias exercent) & mecum paulisper reputa, quo studio ferãtur. Ve ram religionẽ, quæ scripturis tradita est, qúęque inter omnes constare debuerat, facile & sibi, & alijs ignorare, negligere, despicere permittunt: parumq́ referre putant, quid quisque de Deo & Christo teneat, uel non teneat: modo, implicita fi de, suam mentem ecclesiæ iudicio sub= mittat. Nec ualde afficiuntur, si Dei glo riam manifestis blasphemijs pollui con tingat. Cur tãta sęuitia et acerbitate pro= missa, purgatorio, peregrinationibus, & id genus nugis belligerantur? ut sine eo rum explicitissima, ut ita dicam, fide sal= uam fore pietatem negent: cum tamẽ ni hil eorũ à uerbo Dei esse ꝓbent. Cur? ni= si q̄a illis Deus uenter est, culina religio? quibus sublatis, nõ modo Christianos, sed ne homines quidẽ futuros se credũt. Tametsi eñ alij splendide se ingurgitãt, alij tenuibus crustulis uictitant, omnes tamẽ ex eadẽ uiuũt olla: quæ sine illis fo

mentis non frigeret modo, sed penitus cōglaciaret. Ideo, ut quisq; eorū pro uentre est maxime solicitus: ita pro sua fide bellator acerrimus. Deniq; huc ad unū omnes incumbunt, uel ut regnum incolume, uel ut uentrem confertum retineant. Nemo uel minimam synceri zeli dat significationem. Nec sic tamen desinunt doctrinam nostram incessere, & quibus possunt nominibus criminari et infamare: quo uel inuisam, uel suspectam reddant. Nouam appellant, & nuper natam: dubiam esse & incertam, cauillantur: rogant, quibus confirmata sit miraculis? quærunt, an sit æquum, ut contra tot sanctorū patrū consensum, & uetustissimā cōsuetudinem, obtineat? urgēt, ut schismaticā esse fateamur, quę cōtra ecclesiā prœliū moueat: uel ecclesiam multis seculis intermortuam fuisse, quibus nihil tale auditum fuit. postremo, nihil opus esse aiunt multis argumentis. qualis enim sit, iudicari à fructibus posse. utpote, quę tantum sectarum aceruū,

tot

tot seditionum turbas, tantam uitiorum
licentiam pepererit. Scilicet perquàm
illis facile est, apud credulam imperi-
tamq́ multitudinem, desertæ causæ in-
sultare. Verũ, si nobis quoq́ essent dicẽ-
di uices, deserueret profecto hęc acrimo
nia, qua sic in nos plenis buccis despu-
mãt. Principio, nouã qđ appellant, Deo
sunt uehementer iniurij: cuius sacrũ uer
bũ nouitatis insimulari nõ merebat. Illis
quidẽ nouã esse minime dubito, quibus
& Christus nouus est, & Euangeliũ no-
uum. Sed qui illã Pauli cõcionẽ ueterẽ Rom. 4
esse nouerũt, Iesum Christũ mortuũ pro
pter peccata nostra, resurrexisse propter
iustificationẽ nostrã, nihil apud nos de-
prehendent nouũ. Quòd diu incognita
sepultaq́ latuit, humanę impietatis cri-
men est: nunc cũ Dei benignitate nobis
reddit, saltẽ postliminij iure suã antiqui-
tatẽ recipere debebat. Ex eodẽ ignorãtię
fonte pro dubia incertaq́ ipsam habẽt.
hoc profecto est, qđ Dominus per pro-
phetã suũ cõquerit: bouem cognouisse Iesa. 1
possesso-

possessorem suum, & asinum præsepe dominorum suorum: se non agnosci à populo suo. Verum utut in eius incertitudinem ludant, si sua illis proprio sanguine uitæq; dispendio obsignāda esset, liceret spectare, quanti ab illis fiat. Longe alia nostra fiducia est: quæ nec mortis errores, nec Dei tribunal formidat. Quòd miracula à nobis postulant, improbe faciunt. Non enim recens aliquod euangelium cudimus: sed illud ipsum retinemus, cuius confirmandæ ueritati seruiunt omnia, que unquā et Christus, & apostoli ediderunt, miracula. At id præ nobis habent singulare, quod assiduis in hunc usque diem miraculis fidem suam confirmare possunt. Imò potius allegant miracula, quæ animū alioqui bene compositum labefactare queant: adeo aut friuola sunt & ridicula, aut uana & mendacia. Nec tamen, etiam si ualde prodigiosa essent, contra Dei ueritatem ullius momenti esse oportebat, quando & nomen Dei sanctificari

ubiq;

ubiq; & semper cōuenit, siue portentis, siue naturali rerum ordine. Et meminisse nos decet, sua esse satanæ miracula: q̃ tametsi præstigię sunt magis quàm uerę uirtutes, sunt tamen eiusmodi, quæ imprudentes & imperitos deludant. Magi & incantatores miraculis semper claruerunt, idololatriã stupenda miracula aluerunt, quæ tamen nec magorũ, nec idololatrarũ superstitionem nobis approbãt. Atq; hoc olim ariete uulgi simplicitatẽ concutiebant Donatistæ, quod miraculis pollerent. Idem ergo nũc nostris aduersarijs respondemus, quod tunc Donatistis Augustinus, dominũ cōtra istos mirabiliarios cautos nos fecisse, cũ prædixit uenturos pseudoprophetas, qui signis ingentibus & prodigijs in errorem electos (si fieri posset) inducant. & Paulus admonuit Antichristi regnum futurum cũ omni potentia, & signis, & prodigijs mendacibus. At hæc, inquiunt, miracula non ab idolis, non à maleficis, nō à pseudoprophetis, sed à sanctis fiũt: *In Ioannẽ.* *Matth. 22* *2. Thess. 2*

quaſi uero non nouerimus hanc eſſe ſa-
tanæ artem, transfigurare ſe in angelum
Hiero. in præfatione. lucis. Olim Aegyptij ſepultum apud ſe
Hieremiam, ſacrificijs, alijsq; diuinis ho
norib. proſecuti ſunt. Nónne ſancto Dei
propheta ad idololatriam abutebantur?
& tamen tali ſepulchri ueneratione cō-
ſequebātur, ut curarentur à tactu ſerpen
tum. Quid dicemus? niſi fuiſſe hanc ſem
1. Theſ. 2 perq; fore iuſtiſſimā Dei uindictam, ijs
qui dilectionem ueritatis nō receperūt,
mittere efficaciam illuſionis, ut credant
mendacio. Miracula ergo nobis mini-
me deſunt, eaq; certa, nec cauillis obno-
xia, quę autem illi pro ſe obtendunt, me
ræ ſunt ſatanæ illuſiones, quando à uero
Dei ſui cultu ad uanitatem populū ab-
ducunt. Præterea calumnioſe nobis Pa
tres opponunt (antiquos & melioris ad-
huc ſeculi ſcriptores intelligo) ac ſi eos
haberent ſuæ impietatis ſuffragatores:
quorum autoritate ſi dirimendum certa
men eſſet, melior uictoriæ pars ad nos
inclinaret. Verum cum multa præclare
ac

ac sapienter ab illis Patribus scripta sint, in quibusdã uero ijs acciderit, quod hominib. solet, isti pij scilicet filij, qua sunt & ingenij & iudicij & animi dexteritate, eorum tantum lapsus & errores adorant: quæ bene dicta sunt, uel non obseruant, uel dissimulant, uel corrumpunt: ut dicas prorsus illis curæ fuisse, in auro legere stercora. tum improbis clamoribus nos obruunt, ceu patrum contemptores & aduersarios. Nos uero adeò illos non contemnimus, ut si id præsentis instituti esset, nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem, quæ hodie à nobis dicuntur, ipsorum suffragijs comprobare. Sic tamẽ in eorum scriptis uersamur, ut semper meminerimus omnia nostra esse, quæ nobis seruiant, non dominentur: nos autem unius Christi, cui per omnia sine exceptione parendũ sit. Hunc delectum qui non tenet, nihil in religione constitutum habebit: quando multa ignorarunt sancti illi uiri, sæpe inter se conflictantur, interdum etiam se- 1. Corin. 3.

cum pugnant. Non ſine cauſa, inquiũt,
Prouer. 22 à Solomone admonemur, Ne tranſgre-
diamur antiquos terminos, quos poſue
runt patres noſtri. At non eadem eſt re-
gula in agrorum limitibus, & obedien-
tia fidei: quam ſic cõparatam eſſe opor-
Pſal. 45 tet, ut obliuiſcatur populum ſuũ, & do-
mum patris ſui. Quod ſi tantopere ge-
ſtiunt ἀλληγορίζειν, cur nõ apoſtolos po
tius quàm alios quoſuis patres interpre
tantur, à quibus præſcriptos terminos
nefas ſit reuellere? Sic enim interpreta-
tus eſt Hieronymus, cuius uerba in ſuos
canones retulerunt. Quod ſi eorũ quos
intelligunt, fixos eſſe uolunt terminos,
cur ipſi quoties libet adeo licenter tranſ-
Acatius, in Tripert. hiſtoria. grediuntur? Ex patribus erant, quorum
alter dixit, deum noſtrum nõ edere neq;
bibere: itaq; non habere opus calicibus,
Ambroſ. li. 1. de offi. neq; diſcis. Alter, ſacra aurum nõ quæ-
rere, neque auro placere, quæ auro non
emuntur. Tranſgrediuntur ergo limitẽ,
cum in ſacris ſuis tantopere auro, argen
to, ebore, marmore, lapillis, ſericis dele-
ctantur

ctantur: nec rite deũ coli putant, nisi omnia luxu diffluãt. Pater erat qui dixit, ideo se libere carnes edere, quo die cæteri abstinebãt, quia Christianus esset. Itaque fines transiliunt, cum diris animam deuouent, quæ per quadragesimam carnem gustauerit. Patres erant, quorum unus dixit, monachũ, qui manibus suis nõ laboret, uiolento iudicari æqualem. Alter, non licere monachis ex alieno uiuere, etiam si assidui sint in cõtemplationibus, in orationibus, in studijs. Et hũc limitem transgressi sunt, cũ ociosos monachorum uentres in lustris & fornicib. collocarunt, qui aliena substantia saturarentur. Pater erat, qui dixit horrendam esse abominationem, uidere imaginem in Christianorum templis. Plurimũ abest quin se intra hos fines contineant, quando non relinquunt angulum imaginibus uacuum. Alius pater consuluit, ut officio humanitatis erga mortuos in sepultura defuncti sineremus eos quiescere. Hos limites perrumpunt, cũ perpetuã

Spiridion Trip. hist. lib. I. ca. 10

Tripert. histo. li. 5. c. 1

August. de operib. monach.

Epiphan. epistola ab Hieronymo uersa.

Ambros libro de Abraham.

Autor ope is imperfe ti in Matthæum Ho mi. 11. est iter ope- a Chryso.

Gelasius 1. Cõperi mus, de cõ- cra. di. 2.

Cyprian. epist. 2. lib. de lapsis.

petuam mortuorum solicitudinem incu tiunt. Ex patribus erat, qui negauit in sacramento cœnæ esse uerum corpus, sed mysterium duntaxat corporis: sic enim ad uerbum loquitur. Igitur modum prę tereunt, cum faciunt reale & substantiale. Patres erant, quorum unus ab usu sacræ Christi cœnæ in totum submouendos decreuit, qui alterius speciei participatione contenti, ab altera abstinebant. Alter fortiter pugnat, non denegandum populo Christiano domini sui sanguinem, pro cuius confessione sanguinem suum effundere iubetur. Hos terminos sustulerunt, cũ inuiolabili lege idipsum iusserũt, quod ille excõmunicatione puniebat, hic ualida ratione improbabat.

Aug. lib. 1. de gratia qui test. c.

Apolloni de quo ecclesia. hi . li. 5. c. 11.

Pater erat, qui temeritatem esse asseruit, de re obscura in utramuis partem definire, sine claris atq; euidentibus scripturæ testimonijs. Hũc terminum obliti sunt, cum tot constitutiones, tot canones, tot magistrales determinationes, sine ullo dei uerbo statuerũt. † Pater erat, qui Mõ

tano

tano inter alias hæreſes exprobrauit, q̊d primus ieiuniorum leges impoſuiſſet. Hunc quoq; terminum longe exceſſerunt, cū ieiunia ſtrictiſſimis legibus ſanxerunt. Pater erat, qui negauit eccleſiæ miniſtris interdicendum coniugium: & caſtitatem pronūciauit, cū propria uxore cōcubitum: & Patres, qui eius autoritati aſſenſerūt, his finibus egreſſi ſunt, cum ſuis ſacrificis cœlibatum indixerūt. Pater erat, qui cenſuit unum Chriſtum audiendum eſſe: de quo dictū ſit, Ipſum audite. nec reſpiciendum, quid alij ante nos aut dixerint, aut fecerint: ſed quid, qui primus omnium eſt, Chriſtus præceperit. Hunc finem neq; ipſi ſibi præſtituunt, neq; alijs præſtitutum habere permittunt, dum alios & ſibi & alijs magiſtros quàm Chriſtum preficiunt. Patres omnes uno pectore execrati ſunt, et uno ore deteſtati, ſanctū Dei uerbum ſophiſtarum argutijs contaminari, & dialecticorum rixis implicari. An iſti ijs limitib. ſe continent, dum nihil aliud in tota uita

Paphūtius Trip. hiſt. li. 2. ca. 14

Cypriā. epiſto. 3. lib. 2

ta agunt, quàm infinitis contentionibus & plus quàm sophisticis iurgijs scripturę simplicitatem inuoluere & impedire: ut si nũc patres suscitentur, & huiusmodi iurgandi artem audiant (quam speculatiuam theologiam appellant) nihil minus credant, quàm de deo haberi disputationem. Verum quàm late sese oratio nostra effunderet, si recensere uellem, q̃ꝫ petulanter isti Patrum iugum (quorum obseruantes filij uideri uolunt) excutiãt. menses profecto, atqꝫ anni me deficerẽt. Et adeo perdita sunt deplorataqꝫ impudentia, ut nos castigare ausint, quod terminos antiquos trãsgrediamur. Iam uero quod nos ad consuetudinem uocãt, nihil efficiũt. Iniustissime enim nobiscũ ageretur, si consuetudini cedendũ esset. Equidem si recta essent hominum iudicia, cõsuetudo à bonis petenda erat. Verum longe aliter sæpiuscule agi contigit. Quod enim à multis fieri conspectũ est, cõsuetudinis ius obtinuit. Atqui uix unquam tam bene habuerunt res humanæ,

næ,ut pluribus placerent meliora. Ergo ex priuatis multorum uitijs, publicus error plerunq; factus est: uel potius communis uitiorum consensus, quem nunc boni isti uiri pro lege esse uolunt. Vidēt qui oculos habent, non unum mare malorum inundasse, multas sonticas pestes inuasisse orbem, omnia in præceps ruere, ut aut prorsus res humanæ deplorandæ sint, aut tantis malis inijcienda manus, uel potius uis afferenda. Et abigīt remedium nō alia ratione, nisi quia iampridem malis assueuimus. Sed locum sanè habeat in hominum societate publicus error. in regno tamen Dei, sola eius æterna ueritas audienda et spectāda est: cui nulla annorum serie, nulla consuetudine, nulla coniuratione præscribi potest. Sic quondam electos dei docebat Iesaias, ne dicerent cōspiratio, ad omnia in quibus populus dicebat, conspiratio: hoc est, ne in populi conspirationem & consensum unà ipsi conspirarent, néue timorem eius timerent ac formidarent.

Decret. di-stin. 8. c. fi. extra de cō suetu.

Iesaiæ 8.

ſed potius ut dominũ exercituum ſan-
ctificarent,& ipſe eſſet timor eorum, &
pauor eorum. Nunc itaq; ut uolent, &
præterita ſecula, & præſentia exempla
nobis obiectent. Si dominum exercituũ
ſanctificauerimus, nõ ualde terrebimur.
Siue enim in ſimilem impietatem multa
ſecula conſenſerint, fortis eſt, qui ultio-
nem in tertiam & quartam generationẽ
faciat: ſiue totus ſimul orbis in eandẽ ne
quitiam conſpiret, experimento docuit
quis ſit eorum exitus, qui cum multitudi
ne delinquunt, cum uniuerſum homi-
Gen. 7 nũ genus diluuio pdidit, ſeruato Noah
Heb. 11 cum modica familia, qui per ſuã unius
fidem totum orbem condemnaret. De-
niq; praua conſuetudo non ſecus ac pu
blica quædam eſt peſtis, in qua non mi-
nus pereunt, qui in turba cadũt. Dilem-
mate ſuo nõ adeo uehementer nos pre-
munt, ut fateri adigant, uel eccleſiã fuiſ-
ſe aliquandiu intermortuam, uel nunc
cum eccleſia nobis litem eſſe. Vixit ſa-
nè Chriſti eccleſia, et uiuet, quãdiu Chri
ſtus

ſtus regnabit ad dexteram patris, cuius manu ſuſtinetur, cuius præſidio armaẽ, cuius uirtute roboratur. Præſtabit enim ille indubie, quod ſemel recepit ſe affuturum ſuis, uſq; ad conſummationem ſeculi. Aduerſus eam nulla nũc nobis pugna eſt. ſiquidem Deum unũ, & Chriſtum dominũ uno conſenſu cum omni fidelium populo colimus & adoramus, qualiter ſemper ab omnibus pijs adoratus eſt. Sed non parum à uero ipſi aberrant, dum eccleſiam non agnoſcunt, niſi quam pręſenti oculo cernant: & eam ijs finibus circumſcribere conãtur, quibus minime incluſa eſt. In his cardinibus cõtrouerſia noſtra uertitur: primùm quod eccleſiæ formã ſemper apparere, & ſpectabilem eſſe cõtendunt: deinde quod formam ipſam in ſede Romanæ eccleſiæ, & præſulũ ordine conſtituunt. Nos contrà aſſerimus: & eccleſiam nulla apparente forma cõſtare poſſe: nec formã externo illo ſplendore, quem ſtulte admirantur, ſed longe alia nota contineri: *Matth. ult.*

nempe

nempe pura uerbi dei prædicatione, &
legitima ſacramentorum adminiſtratio
ne. Fremunt, niſi eccleſia ſemper digito
oſtendatur. Sed quàm ſępe in populo Iu
dæorum ſic deformari contigit, ut nulla
ſpecies emineret? Quam putamus for=
3. Reg. 19 mam reſplenduiſſe, cum Helias ſolum
ſe relictum deploraret? quandiu ab ad=
uentu Chriſti deformis latuit? quoties
ab eo tempore bellis, ſeditionibus, hære
ſibus ſic oppreſſa eſt, ut nulla parte ful=
geret? An ſi eo tempore uixiſſent, credi=
diſſent ullam eſſe eccleſiam? Sed audiuit
Helias, ſalua eſſe ſeptem milia uirorum,
qui nõ curuauerãt genu ante Baal. Nec
dubium nobis eſſe debet, quin ſemper
in terris regnauerit Chriſtus, ex quo cœ
lum aſcendit. Notabilem aliquam for=
mam ſi tum pij oculis requiſiſſent, nón=
ne protinus concidiſſent animis? permit
tamus igitur hoc domino, ut quando ſo
2. Timot. 2 lus ipſe nouit qui ſui ſint, interdum etiã
eccleſiæ ſuæ exteriorem notitiam ab ho=
minum aſpectu auferat. Eſt, fateor, hor=
ribilis

ribilis illa dei uindicta super terram. sed si ita meretur hominum impietas, cur diuinę iustitię obsistere nitimur? Sic anteactis seculis dominus hominum ingratitudinem ultus est. nam quia ueritati suæ obedire noluerant, & lucem suam extinxerant: eos excæcato sensu, & absurdis mendacijs ludi, & altis tenebris immergi passus est, ut nulla ueræ ecclesiæ facies extaret. Interim tamē suos & dispersos & delitescentes in medijs erroribus & tenebris seruauit. Nec mirum: didicit enim seruare & in ipsa cōfusione Babylonis, & flāma fornacis ardentis. Quod autem formam ecclesiæ nescio qua uana pompa censeri uolunt, id quàm periculosum sit, paucis indicabo magis quam enarrabo, ne orationem in immensum extrahā. Papa (inquiunt) Romanus, qui sedem apostolicam tenet, & episcopi alij ecclesiam representāt, & pro ecclesia haberi debēt: ideo nec errare possunt. Quî sic? Quia pastores sunt ecclesiæ, & consecrati domino. Et Aaron, cæteriq; præ- Exo. 32
fecti

Exo.32 fecti Israël, pastores erant. Aaron & filij eius iã sacerdotes designati, errauerũt tamen, cum uitulum fabricauerunt. Cui secundum hanc rationem, ecclesiam non representassent quadringenti illi prophetæ, qui Ahab mentiebantur? at
3. Reg.22 ecclesia stabat à partibus Micha, solius quidem, & contemptibilis: sed ex cuius ore uerum egrediebatur. Nónne & nomen & faciem ecclesiæ præ se ferebant
Iere.18 prophetæ, cum uno impetu aduersus Ieremiam insurgerent? & minaces iactarent, fieri non posse, ut periret lex à sacerdote, consilium à sapiente, uerbum à propheta? Aduersus totam prophetarum nationem solus Ieremias mittitur, qui à domino denunciet fore, ut lex pereat à sacerdote, consilium à sapiente, uerbum à propheta. Nónne talis splen
Ioan.11 dor refulgebat in eo concilio, quod pontifices, scribæ, & pharisæi collegerunt, consilia de interficiendo Christo captaturi? Eant nunc, & in æterna larua hæreant, ut Christum & omnes Dei uiui

prophe-

prophetas faciant ſchiſmaticos: ſatanæ miniſtros, faciant ſpiritus ſancti organa. Quod ſi ex animo loquuntur, reſpondeant mihi bona fide, ubinam gentium ac locorum eccleſiam reſidere exiſtiment, ex quo Baſilienſis Concilij decreto deiectus & abdicatus eſt pontificatu Eugenius, ſubrogato in eius locum Amedæo? Negare, uel ſi rumpantur, nequeunt, concilium, quantum ad externos ritus attinet, fuiſſe legitimum: nec ab uno tantum pontifice, ſed à duobus indictum. Damnatus eſt illic Eugenius ſchiſmatis, rebellionis, pertinaciæ, cum toto Cardinalium & epiſcoporum grege, qui cum eo Concilij diſſolutionem admoliti erant. poſtea tamē principum fauore ſubleuatus, ſaluum pontificatum recepit. Illa Amedæi electio, generalis & ſacroſanctæ ſynodi autoritate rite peracta, in fumum abijt: niſi quod ipſe galero cardinalitio, ceu canis latrās, iniecta offa placatus eſt. Ex illorum hæreticorum, rebellium, pertinaciū gremio
pro-

prodijt, quicquid postea Paparũ, Cardi nalium, episcoporum, abbatum, presbyterorũ fuit: hic deprehensi hæreant necesse est. Vtram enim in partem ecclesię nomen conferent? Negabunt ne concilium generale fuisse, cui nihil ad exteriorem maiestatẽ deerat? nempe quod duobus diplomatibus solẽniter indictũ, præsidente Romanæ sedis legato consecratum, rerum omniũ ordine bene compositum, eadem semper dignitate ad extremum perseuerauit. Fatebuntur schismaticum Eugeniũ cum tota sua cohorte, à qua omnes sanctificati sunt? Aut igitur ecclesiæ formam aliter definiant: aut quotquot sunt, habebuntur à nobis schismatici: qui scientes, uolentes, ab hæreticis ordinati sunt. Quod si nunquam antea compertum fuisset, externis pompis non alligari ecclesiam, ipsi prolixo documẽto nobis esse possunt, qui sub specioso illo ecclesiæ titulo, tamdiu se orbi superciliose uenditarunt, cũ tamen essent exitiales ecclesiæ pestes. De moribus nõ

loquor,

loquor, & tragicis illis facinoribus, quibus ſcatet tota eorum uita: quando Pharisæos ſe eſſe aiunt, qui ſint audiendi, nō imitandi. ipſam, ipſam doctrinam, cui id deberi aiunt, quod ſunt eccleſia, exitialem animarum carnificinam, facem, ruinam, & excidium eccleſiæ eſſe non obſcure cognoſces, ſi legendis noſtris aliquantum ocij tui decîdas. Poſtremo nō ſatis candide faciunt, cum inuidioſe cōmemorant, quātas turbas, tumultus, cōtentiones ſecū traxerit noſtræ doctrinæ prædicatio: & quos nunc in multis fructus ferat. Nam horum malorum culpa indigne in ipſam deriuatur, quę in ſatanę malitiā torqueri debuerat. Eſt hic diuini uerbi quidam quaſi genius, ut nunquā emergat quieto ac dormiēte ſatana. Hæc certiſſima & imprimis fidelis nota, qua diſcernitur à mēdacibus doctrinis: quæ ſe facile produnt, dum æquis omniū auribus recipiunt, & à mundo plaudente audiuntur. Sic ſeculis aliquot, quibus profundis tenebris ſubmerſa fuerūt

omnia, isti mundi domino homines ludus erant ac iocus, nec secus ac Sardanapalus aliquis in alta pace desidebat ac delitiabatur. Quid enim aliud quàm risisset ac lusisset, tranquilla ac pacifica regni possessione? At uero ubi lux è supernis affulgens, tenebras eius aliquantum discussit, ubi fortior ille regnum eius turbauit ac perculit: tum uero solitum suũ torporem excutere cœpit, & arma corripere. Et primum quidem hominum manus concitauit, quibus illucescentem ueritatem uiolenter opprimeret. per quas ubi nihil profectum est, ad insidias se cõuertit, dissidia & dogmatum contentiones per Catabaptistas suos, & alia nebulonũ portenta excitauit, quibus eam obscuraret, & tandem extingueret. Et nunc utraq; machina ipsam tentare perseuerat. Siquidem & uerum illud semẽ ui ac manu hominum euellere conatur, & suis zizaniĳs (quantum in se est) nititur occæcare, ne crescat, & fructum reddat. Id tamen ipsum frustra, si moni-

torem

torem Dominũ audimus, qui & eius ar
tes multo antè nobis aperuit, ne incau-
tos deprehenderet, & contra omnes
eius machinas ſatis firmis præſidijs ar-
mauit. Cæterum in ipſum Dei uerbum
inuidiam conferre, aut ſeditionum quas
improbi & rebelles: aut ſectarum, quas
impoſtores contrà excitant, quanta eſt
malignitas? Nouum tamen exemplum
non eſt. Interrogabatur Helias, an non 3. Reg. 18
is eſſet qui turbabat Iſraël. Chriſtus ſedi Luc. 23
tioſus Iudæis erat: Apoſtolis crimen im Ioan. 19
pingebãt cõmotionis popularis. Quid Act. 24
aliud agunt, qui hodie omnes turbas, tu
multus, contentiones, quæ in nos ebul-
liunt, nobis imputant? Talibus autem
quid reſpondendum ſit, docuit nos He-
lias, nos non eſſe, qui uel errores ſpargi-
mus, uel tumultus commouemus: ſed
eos ipſos, qui Dei uirtuti obluctanť. Ve
rum ut illud unũ ad retũdendam eorum
temeritatem ſatis eſt: ita rurſum aliorum
imbecillitati occurrẽdũ eſt, quos talibus
offendiculis cõmoueri, ac perturbatos

uacillare, non raro contingit. Ii uero ne hac perturbatione labascãt, ac de gradu deijciantur, sciant eadem expertos esse suo seculo Apostolos, quæ nunc usu nobis ueniunt. Erant indocti & instabiles, qui ad suam ipsorum perniciem deprauarent, q̃ à Paulo diuinitus scripta erãt,
2.Pet.ult. ut ait Petrus. Erant dei contẽptores, qui cum audiebant abũdasse peccatum, ut
Roma.6 gratia exũdaret, statim ingerebãt: Manebimus in peccato, ut gratia abundet. Cũ audiebant fideles non esse sub lege, pro
& .3 tinus occinebant: Peccabimus, quia nõ sumus sub lege, sed sub gratia. Erãt, qui
1.Corin.1 illum mali suasorem arguebant: Subin-
2.Corin.11 trabant multi pseudoapostoli, qui dirue
Galat.1 rẽt ecclesias, quas ipse ędificauerat. Qui
Philip.1 dam per inuidiam & contentionem nec syncere Euangelium prædicabant, maliciose etiam cogitantes se pressuram su-
In epistolis scitare uinculis eius. Alicubi non mul-
ad Corint. tus erat Euangelij ꝓfectus. Omnes quæ
& ad Ti- sua erant quærebant, nõ quæ Iesu Chri-
moth. sti. Alij retrorsum abibant, canes ad uomitum,

mitum,& sues ad uolutabrum luti. Ple- Philip. 3
riq; libertatem spiritus rapiebāt in licen- 2. Pet. 2
tiam carnis. Insinuabāt sese multi fratres
â quibus deinde pijs imminebant peri-
cula. Inter ipsos fratres uariæ cõcertatio-
nes suscitabant. Quid hic apostolis agē
dum erat? an non uel ad tempus dissimu
landum, uel prorsus omittendum istud
Euangelium, ac deserendum erat, quod
tot litium uidebant esse seminarium, tot
periculorum materiam, tot scādalorum
occasionem? At in huiusmodi angustijs
succurrebat, Christū esse lapidem offen Iesaiæ 8
sionis, & petram scandali, positū in rui- Roma. 9
nam & resurrectionem multorum, & in Lucæ 2
signum cui contradiceretur. qua fidu- 1. Pet. 2
cia armati, per omnia tumultuum, offen
sionumq; discrimina audacter progre-
diebantur. Eadem & nos cogitatione su
stentari decet, quādo hoc Euangelij esse
perpetuum testatur Paulus, ut sit odor 2. Corin. 2
mortis in mortem ijs qui pereunt: odor
uitæ in uitam ijs, qui salui fiunt. Sed ad
te reuertor, ô magnanime Rex. Nihil te

moueant uanæ illæ delationes, quibus terrorem tibi inijcere nituntur nostri aduersarij: non aliud hoc nouo Euangelio (sic enim appellãt) captari ac quæri, nisi seditionum oportunitatem, ac uitiorum omnium impunitatem. Neq; enim
1. Cor. 14 diuisionis Deus autor est, sed pacis: & fi
Galat. 2 lius Dei non peccati minister est, qui ue
1. Ioan. 3 nit ad dissoluenda opera diaboli. Et nos talium cupiditatum immerito accusamur, quarum ne minimam quidem suspitionem unquã dedimus. Scilicet nos regnorũ inuersionem meditamur, quorum nulla unquam factiosa uox audita est, & uita semper quieta simplexq; cognita fuit, cum sub te uiueremus: & qui nunc etiam domo profugi, tibi tamen regnoq; tuo fausta omnia precari non desinimus. Scilicet nos impunitam uitiorum petulantiam aucupamur: quorum in moribus etsi multa reprehendi possunt, nihil tamen tanta insectatione dignum. Nec tam infeliciter, gratia Dei, in Euangelio profecimus, quin istis obtre

ctatori-

ctatoribus uita noſtra caſtitatis, benigni tatis, miſericordiæ, continentiæ, patien-tiæ, modeſtiæ, & uirtutis cuiuſuis exemplum eſſe poſſit. Nos ſanè deum ſyncere timere & colere, res ipſa teſtatur: quã-do tum uita, tum morte noſtra, nomen eius ſanctificari petimus. Et ipſa inuidia coacta eſt, quibuſdam noſtrûm innocentiæ & ciuilis integritatis teſtimonium dare, in quibus id unum morte plectebatur, quod ſingulari in laude ponendum erat. Quod ſi qui ſub prætextu Euangelij tumultuantur (quales hactenus aliquos in regno tuo fuiſſe non compertum eſt:) ſi qui uitiorum ſuorum licentiæ libertatem gratiæ Dei prætexunt (quales permultos noui:) ſunt leges, & legum pœnæ, quibus pro meritis grauiter coërceantur, modò ne interim Euangelium Dei ob ſceleſtorum hominum nequitiam male audiat. Habes, Rex magnificentiſſime, ſatis multis expoſitam calumniatorum uirulentam iniquitatem, ne in eorũ delationes

ultra modum credula aure propẽdeas: uereor etiam ne nimis multis. Quando iam hæc præfatio ad iustæ penè apologiæ modum accedit, qua non defensionem texere, sed duntaxat ad ipsam causæ actionem audiẽdam animum tuum præmollire studui: auersum quidẽ nunc & alienatũ à nobis, addo etiam inflammatum: sed cuius gratiã recolligere nos posse confidimus, si hanc nostram confessionem, quam pro defensione apud tuam maiestatẽ esse uolumus, placidus compositusq; semel legeris. Sin uero ita aures tuas occupãt maleuolorum susurri, ut nullus sit reis pro se dicendi locus: importunæ uero illæ furiæ, te conniuente, semper uinculis, flagris, equuleis, sectionibus, incendijs sæuiunt: nos quidẽ uelut oues mactationi destinatæ, ad extrema quæq; redigemur. sic tamen, ut
Luc. 21 in patientia nostra possideamus animas nostras, & manum domini fortem expectemus: quæ indubie tempore aderit, & sese armata exeret, tum ad pauperes ex
afflictione

afflictione eruendos, tum ad uindican=
dos contemptores. DOMINVS, REX
REGVM, thronum tuum iustitia stabi=
liat, & solium tuum æquitate, Fortissi=
me ac illustrissime Rex. BASILEAE,
X. Calendas Septem
bres.



CHRISTIANAE RELIGIONIS INSTITVtio, IO. CALVINO *autore.*

DE LEGE, QVOD DEcalogi explicationem continet. CAP. I.



VMMA *ferè ſacræ doctrinæ duabus his partibus conſtat,* Cognitione Dei, *ac noſtri.* Hæc *uero de* Deo *nobis in præſentia diſcēda ſunt.*Primum*, ut certa fide conſtitutum habeamus, ipſum infinitam eſſe ſapientiam, iuſti*
Baruch 3 *tiam, bonitatem, miſericordiā, ueritatem, uirtutem,*
Iacobi 1 *ac uitam: ut nulla ſit prorſus alia ſapientia, iuſtitia, bonitas, ueritas, uirtus, & uita.* Et *quicquid earum re*

rum

rum ubiuis spectatur, ab ipso sit. Deinde, *uniuersa* Prouer. 16
quæ in cœlo sunt & in terra, in eius gloriam creata Psal. 148
esse. Idq; *iure illi deberi, ut singula pro naturæ suæ* Daniel. 3
ratione illi seruiant, eius imperium intueantur, maie- Roma. 1
statem eius suspiciant, & parendo uelut dominũ ac
regem agnoscãt. Tertio loco, *iustũ eße ipsum iudicẽ.* Psal. 7
itaq; in eos seuere uindicaturum, qui ab eius præscri- Roma. 2
ptis deflexerint: qui nõ per omnia eius uoluntati ob-
secuti fuerint: qui alia cogitauerint, dixerint, ac fece
rint, quàm quæ ad eius gloriam pertinent. Quarto, Psal. 103
misericordem esse ac mansuetum, & qui miseros ac Iesa. 55
pauperculos benigne sit accepturus, qui ad eius cle- Psal. 25
mentiam confugiant, & in eius fidem se conferant: & 85
qui parcere ac condonare paratus sit, si qui ueniam
ab eo postulent: qui uelit succurrere ac opem ferre,
si qui eius auxilium implorẽt: qui seruare uelit, si qui
fiduciã omnem in eo reponant ac defigant. Quo
in certam nostri notitiã ueniamus, hoc prius haben-
dum est, parentem omnium nostrũ Adam *eße crea-* Gene. 1
tum ad imaginem & similitudinem Dei, *hoc est, sa-*
pientia, iustitia, sanctitate præditum: atq; his gratiæ
donis Deo *ita hærentem, ut perpetuò in eo uicturus*
fuerit, si in hac integritate naturæ, quam à Deo *ac-*
ceperat, stetisset. Verum *ubi in peccatum lapsus*
est,

Gene.3 *est, hæc imago & similitudo* Dei *inducta & oblite-*
rata est: hoc est, omnia diuinæ gratiæ bona perdi-
dit, quibus in uiam uitæ deduci poterat. Præterea
longe à Deo *diuisus est, & prorsus alienus factus.*
V*nde consectariũ est, omni sapientia, iustitia, uirtu-*
te, uita, exutum & spoliatum: quas nisi in Deo *habe-*
Roma.5 *ri non posse, iam antè dictum est.* Q*uare nihil il-*
li reliquum fuit, nisi ignorantia, iniquitas, impoten-
tia, mors, & iudicium. hi nempe sunt fructus pecca-
ti. Q*uæ calamitas non in ipsum tantum cecidit, sed*
in nos quoq; defluxit, qui semen eius sumus ac poste-
ritas. Ergo *quicunq; ex* A*dam nascimur, omnes*
Dei *ignorantes sumus & expertes, peruersi, corru-*
Iere.17 *pti, omnisq́; boni inopes.* C*or uero præsertim in*
omne malum procliue, prauisq́; cupiditatibus refer-
tum, hisq́; addictum, & aduersus Deum *contumax.*
Q*uod si quippiam boni interdum in speciem osten-*
tamus, interior tamen ille animi affectus in suis sor-
1. Reg.16 *dibus ac obliqua peruersitate manet.* Q*uod ipsum*
Iere.17 *primum, uel potius pro omnibus est in iudicio* Dei*:*
qui non secundum faciem iudicat, nec magni exter-
num splendorem æstimat, sed cordis secreta intue-
tur. I*taq; quantumuis splendidam sanctimoniæ fa-*
ciem ex se habeat homo, non aliud est quàm hypo-
crisis

crisis, & coram Deo etiam abominatio, cum animi cogitationes prauæ semper & corruptæ subsint.

Quanquam etiam sic nati sumus, ut nō sit in nobis situm quicquam agere, quod Deo acceptum esse posit: nec sit in nostra uirtute positum, illi gratificari: non tamen desinimus idipsum debere, quod præstare non possumus. quando enim Dei creaturæ sumus, eius honori & gloriæ seruire debebamus, ac eius mandatis morem gerere. Nec prætēdere excusationē licet, quod facultas desit, & uelut exhausti debitores soluendo nō simus. Culpa enim nostra est & peccati nostri, quod nos uinctos tenet, ne qd bene aut uelimus agere aut posimus. Porrò cum Deus sit iustus scelerum uindex, agnoscamus nos oportet maledictioni obnoxios esse, mortisq; æternæ iudiciū mereri. Siquidem nemo est nostrûm, qui aut uelit ea quæ sunt officij sui facere, aut posit. Ioan. 8 Roma. 7

Qua ratione scriptura nos uocat omnes filios iræ Dei, ac pronuntiat nos omnes in mortem ac perditionē ire præcipites. Nihil ergo homini superest, cur in seipso suam iustitiam, uirtutem, uitā, ac salutē quærat. quæ omnia non nisi in uno Deo sunt, à quo homo dis̄itus ac diuisus peccatò suo, apud se non nisi infelicitatem, imbecillitatem, iniquitatem, Ephe. 2 Roma. 3 Oseæ 13

mortem,

mortem, & ipsos deniq; inferos reperiet. Horum ne
Roma. 2 ignorantes homines essent, legem in omnium cordibus Dominus inscripsit, & quasi impressit. Hæc uero non aliud est quàm conscientia, quæ nobis intus testis sit eorum quæ Deo debemus: nobisq́; quid bonum sit, quid malum, proponat: atq; ita nos accuset, reosq́; teneat, dum nobis ipsi conscij sumus, non esse (ut decuit) officio nostro defunctos. Quoniam autem homo adhuc arrogantia & ambitione sic turgidus, & sui amore excæcatus est, ut se perspicere non posit, & uelut in se descendere, quo se deijcere & submittere discat, suamq́; miseriam fateri: Dominus legem nobis scriptam posuit, qua edoceamur de perfecta iustitia, quæ & qualis illa sit, & quibus numeris absoluatur: nempe si in Deo penitus defixi sumus, nec aliò q̃ in ipsum intendimus & collineamus, quicqd cogitamus, optamus, agimus, aut loquimur. Quæ iustitiæ doctrina liquide nobis ostẽdit, q̃ procul absimus à recta uia. Huc etiã spectãt promissiones omnes, ac maledictiões, in ipsa lege nobis pro
Leuit. 18 positæ. Illic enim pollicetur Dominus, si quis perfecte, exacteq́; opere impleuerit quicqd præcipit, mercedẽ se redditurũ salutis æternæ. Quo scilicet nobis indicat, eã, quæ in lege docetur, uitæ perfectionẽ ue

re

re eſſe iuſtitiã: ſic apud ſe haberi, dignãq; tali merce de fore, ſi qua reperiri inter homines poſſet. Rurſum maledictionẽ in oẽs edicit, iudiciũq; denũciat æternæ mortis, q nõ plene, ac ſine ulla exceptione omnẽ legis iuſtitiam ſeruauerint. Qua certe pœna omnes qui unquam fuerunt, ſunt, uel futuri ſunt homines, obſtringit. Inter quos nullus oſtendi poteſt non legis tranſgreſſor. Quamobrem lex dum nos uoluntatem Dei edocet, cui implendæ obſtricti & tanquam obærati ſumus: dumq; oſtendit quàm nihil eorũ quæ à Deo præcipiuntur, exacte efficiamus, planè eſt nobis ſpeculũ, in quo peccatũ & maledictionẽ noſtrã cernere ac contẽplari liceat. quemadmodum in ſpeculo ſordes & maculas oris noſtri uulgo intuemur. Proprieq; hæc ipſa ſcripta lex, teſtimoniũ eſt duntaxat legis naturalis: quod memoriã noſtrã ſæpius excitet, & inculcet ea quæ docẽte intus lege naturali, non ſatis didiceramus. Nunc intelligere promptum eſt, quid ex lege diſcendum ſit: nempe Deum creatorem eſſe, dominum ac patrem noſtrum. Hac ratione deberi illi à nobis gloriã, honorem, amorem. Iam cum nemo ex nobis partibus ſuis defungatur, omnes nos maledictione, iudicio, morte demum æterna dignos eſſe. Quærendam igitur aliam ſalutis uiam, quàm

Deut. 27
Gala. 3
Roma. 3 & 7

quàm per operum nostrorum iustitiam: ea est pecca torum remißio. Deinde cum non sit nostræ uirtutis aut facultatis, exoluere quod legi debemus: de nobis desperandum esse, ac aliunde opem poscendam & expectandam. Postquàm in hanc humilitatem ac submißionem descendimus, tum nobis dominus affulget, seq; facilem, clementem, mansuetũ, indulgentem exhibet: de quo scriptum est, quod superbis resi stat, humilibus det gratiam. Ac primum si eius iram cum fiducia deprecamur, ac ueniam poscimus: eã nobis haud dubie indulget, quicquid peccata nostra merebantur remittit, ac recipit in gratiam.

Iaco.4
1. Pet.5

Deinde si opem ac manum eius imploramus, certo persuasi fore, ut illius præsidijs instructi, omnia poßimus: pro bona sua uoluntate nouum cor, quo uelimus, nouamq; uirtutem, qua ualeamus eius mandata exequi, nobis impertitur. Atq; hæc quidem omnia nobis largitur propter Iesum Christum Dominum nostrum. qui unus cum patre Deus cum eßet, carnem nostram induit, quo nobiscum fœdus iniret, ac Deo nos proxime adiungeret, quos pecca ta longo interuallo ab eo distraxerant. Hic mor tis etiam suæ merito, iustitiæ Dei debita nostra persoluit, irãq; eius placauit: à maledictione ac iudicio,

Ezech.36
Ioan.1
Iesaiæ53
Ephe.2
Coloß.1

cui

cui obnoxij eramus, nos redimens, ac peccati pœnam in corpore ſuo perferens, ut ab ea nos ſolueret. Hic omnem cœleſtium benedictionum opulentiam in terras deſcendens ſecum attulit, quas in nos larga manu effunderet. ſunt autem dona ſpiritus ſancti: per quem regeneramur, è diaboli poteſtate & uinculis explicamur, in filios Dei gratuito adoptamur, ad omne opus bonum ſanctificamur: per quem etiam, quàm diu in hoc mortali corpore tenemur, emoriuntur in nobis prauæ cupiditates, carnis deſideria, & quicquid naturæ noſtræ contorta corruptáq; peruerſitas gignit: per quem de die in diem renouamur, ut in nouitate uitæ ambulemus, ac iuſtitiæ uiuamus. Ioan.1.7 Rom.8

Hæc omnia nobis à Deo offeruntur, ac dantur in Chriſto Domino noſtro: nempe remiſsio peccatorũ gratuita, pax & recõciliatio cum Deo, dona & gratiæ ſpiritus ſancti: ſi certa fide ea amplectimur & accipimus, magna fiducia diuinæ bonitati innixi, et ue lut incumbentes: nihilq; hæſitantes, quin uerbũ Dei uirtus ſit & ueritas, quod nobis ea omnia pollicetur. deniq; ſi Chriſto communicamus, in ipſo poſsidemus cœleſtes omnes theſauros, ac ſpiritus ſancti dona, quæ nos in uitam ac ſalutem deducant. Quod nunquã niſi uera uiuáq; fide aſſequimur, dum omne Rom.3.5

d noſtrum

nostrum bonum in ipso esse agnoscimus: nos uero, nisi in ipso, nihil esse: ac pro certo nobiscum statui-
Ioan. 1 *mus, in ipso nos filios Dei fieri, regniq; cœlestis hæ*
Rom. 8 *redes. Rursum, qui partem in Christo non habent, quales quales sint, quicquid agant uel moliantur, in*
Ioan. 3 *exitum tamen ac confusionem, æternæq; mortis iu-*
1. Ioan. 5 *dicium abeunt: à Deo abiecti, & omni salutis expe-ctatione exclusi. Et quādo hæc nostri, nostræq; ino*
Iere. 31 *piæ & calamitatis cognitio, qua nosmetipsos humiliare ac deijcere coram Deo, eiusq; misericordiam quærere docemur: simul fides ista, quæ nobis gustū præbet diuinæ bonitatis ac misericordiæ, qua nobiscum in Christo suo agit: non ex nobis sunt, aut in facultate nostra positæ: rogandus Deus, ut non simulata pœnitentia, in illam nostri: & certa fide, in hanc suæ mansuetudinis notitiam nos adducat, &*
Philip. 1 *suauitatis, quam exhibet in Christo suo. ut ipso duce*
Ioan. 14 *in æternam beatitudinem perducamur: qui unica est*
Rom. 5 *uia, qua ad patrem peruenitur. Decem legis præce-*
Exod. 32 *pta in duas tabulas distributa fuerunt. quarum prior,*
& 34 *quatuor prioribus constat: quibus edocemur de his*
Deut. 10 *quæ Deo debemus: nempe, ut ipsum solum Deum agnoscamus, ac profiteamur: ipsum super omnia, & præ omnibus amemus, honoremus, timeamus: in*

ipso

ipso uno spes omnes atq; opes nostras reponamus, ipsius opem semper imploremus. Altera, sex reliqua cōplectitur, quibus charitas charitatisq; officia explicantur, quæ proximo propter Deum præstanda sunt. Qua ratione Dominus noster (ut Euangelistæ referunt) legem totam summatim in duo capita collegit: ut Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis uiribus diligamus: ut proximum amemus, sicut nosmetipsos. Verum quanquam uniuersa lex duobus illis capitibus conclusa est: Dominus tamen noster, quo omnem excusationis prætextum tolleret, uoluit fusius et explicatius decem præceptis enarrare, tum quæcunq; ad honorem, timorem, amorem sui spectant: tum quæ ad amorem perinent, quem propter se nobis erga proximos nostros mandat. Antè uero q̄ præcipere incipiat, in hunc modum præfatur. Luc. 10

Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis. *His admonens, se Dominū esse, qui & ius habeat præcipiendi, & cui sit parendum. In memoriam præterea reuocās, q̄ magnifice uirtutem suam ac potentiam exeruerit, cum Israëliticum populum è seruitio Pharaonis & Aegyptiorum in libertatē asseruit. quam eandem quotidie exerit, dum electos suos (qui* Exod. 10 Deut. 5

ueri sunt Isaëlitæ) è peccatorum seruitute (quæ sub Aegypti *nomine figuratur) eximit, dum extrahit è uinculis diaboli (qui spiritualis est* Pharao, Aegyptiorum *Dominus, eorum scilicet, qui in cõcupiscentijs suis ambulant.) Subijcit deinde mandatum primum in hanc formam:*

MANDATVM I.

Non habebis Deos alienos coram me.

Iesa. 30 *Quo prohibemur aliò auertere fiduciam, quæ in*
& 31 *eo tota posita esse debet: aliò ad opem quærendã con*
Iere. 2 *fugere: aliò cuiusuis boni & uirtutis laudẽ transfer-*
1. Tim. 1 *re, quæ solius eius esse debet. Quin potius ipsum sic*
Deut. 6. 10 *à nobis super omnia timeri & amari oportet, ut solum pro* Deo *nostro agnoscamus, omnem spem ac fiduciam nostram in ipso defigẽtes: cogitantes, quicquid boni nobis accidit, ab ipso esse: nihil omnino admittentes, nisi in quo honoretur ac colatur.* Nec *solum hoc agendum est, ut lingua et corporis gestu, omniq; exteriori significatione non alium esse nobis* Deum *declaremus: uerum ut etiam mente, toto corde, toto studio tales nos præstemus.* Nõ *enim uerba modo nostra, externaq; opera corã ipsò sunt: uerum*
1. Paral. 28 *penitissimi cordis recessus, ac intimæ cogitationes animi, melius atque certius ipsi patent, q̃ nobis ipsis.*

MAN-

MANDATVM II.

Non facies tibi sculptile, neque similtudinem aliquam eorum quæ sunt in cœlo sursum, uel in terra deorsum, uel in aquis quę sub terra sunt, non adorabis ea neque coles.

Quo significatur, cultum omnem atq; adorationem deberi uni Deo. *Qui cum sit incomprehensibilis, incorporeus, inuisibilis: sicq; omnia contineat, ut nullo loco concludi poßit: ne somniemus, figura aliqua exprimi posse, aut quouis simulacro repræsentari: nec idolum, quasi* Dei *similitudo esset, ueneremur. quin potius adoremus* Deum, *qui spiritus est, in spiritu & ueritate.* Primum *ergo mandatũ, unum esse* Deum *tradit, præter quem nulli alij dij cogitandi, aut habendi sint.* I*stud, qualis ipse ille sit, docet,* et *quo cultus genere honorandus: ne quid illi carnale affingere audeamus, aut ipsum sub nostros sensus subijcere: quasi stolido nostro capite comprehendi poßit, aut ulla specie repræsentari.* Huc *aduertant, qui execrabilem idololatriam, qua multis ante hac seculis uera religio submersa subuersaq; fuit, misero prætextu defendere conantur.* Imagines, *inquiunt, pro dijs non reputantur.* Nec *tam prorsus incogitan*

Deut. 6.10
3. Reg. 8
Ioan. 1
1. Tim. 1.10
Ioan. 4

tes erant Iudæi, *ut non meminiſſent* Deum *fuiſſe, cu ius manu educti eſſent ex* Aegypto, *antequam fabri carent uitulum.* Nec *ita ſtupidi fuiſſe ethnici creden di ſunt, ut non intelligerent* Deum *aliud eſſe quàm li gna, aut lapides.* Mutabant *enim pro arbitrio ſimula cra: eoſdem ſemper* Deos *animo retinebant. & mul- ta uni* Deo *dicata erant ſimulacra: nec tamen tot ſi- bi* Deos *fingebant, quot ſimulacra eſſent.* Præterea *noua quotidie conſecrabant: nec putabant tamen ſe nouos facere* Deos. *Quid ergo? Omnes idololatræ, ſiue ex* Iudæis, *ſiue ex gentibus,* Deũ *talem eſſe per- ſuaſum habuerunt, qualem mentis ſuæ uanitas conce piſſet. Ad hanc uanitatem addita eſt improbitas. qua lem intus finxerãt, expreſſerunt. Mens igitur idolum genuit, manus peperit. nihilominus &* Deum *æter- num* Iudæi, *unum uerumq; cœli ac terræ* Dominum, *ſub talibus ſimulacris ſe colere arbitrabãtur: & gen tes, ſuos (licet falſos)* Deos, *quos tamen in cœlo habi tare fingerent.* Ad *hæc non crediderunt,* Deum *ſibi adeſſe, niſi carnaliter ſe præſentẽ exhiberet.* Vt *huic cæcæ cupiditati obſequerentur, erexerunt ſigna, in quibus* Deũ *ſibi præ oculis carnalibus obuerſari cre derent.* Cum *uero* Deum *ſe in illis intueri arbitraren tur, & ipſum quoq; in illis coluerunt.* Tandem *toti et*

animis

animis & oculis illic affixi, magis obbrutescere cœperunt: & quasi aliquid diuinitatis inesset, obstupescere & admirari. Hoc qui ante hac factum, & nostra etiã memoria fieri negant, imprudenter mentiuntur. Cur enim coram illis prosternũtur? Cur sese ad illa, precaturi, tanquã ad aures Dei conuertunt? Cur pro illis, tanquam pro aris & focis, ad cædes usq; & strages digladiũtur? ut facilius laturi sint Deũ unum sibi eripi, quàm sua idola. Et tamen nondum crassos uulgi errores (qui penè infiniti sunt, & omnium ferè corda occupant) enumero. tantum indico, quod ipsi profitentur, cum se maxime ab idololatria purgare uolunt. Non uocamus, inquiũt, nostros Deos. Neq; illi, aut Iudæi, aut gentiles, uocabant: sed signa duntaxat, & Deorum simulacra. Et tamen prophetæ, et omnes scripturæ, illis fornicationes cum ligno & lapide exprobrare non desinebant. tantum ob ea, quæ quotidie ab his fiunt, qui Christiani haberi uolunt: nempe, quod Deum in ligno & lapide carnaliter uenerabantur. Vltimum effugium est, quod aiunt esse libros idiotarum. Id ut concedamus (quanquam uanißimum est, cum certo certius sit, non in alium usum prostare, quàm ut adorentur) nõ tamen uideo quem fructum afferre poßint idiotis imagines præ-

Iesa. 40
Iere. 2
Iezech. 6
Hab. 2
Deuter. 32
&c.

ſertim quibus Deum effigiare uolunt) niſi ut faciant anthropomorphitas. Quas uero ſanctis ſtatuũt, quid ſunt niſi perditiſsimi luxus & obſcœnitatis exemplaria? ad quæ ſi quis ſe formare uellet, fuſtuario dignus ſit. Equidem lupanaria pudicius & modeſtius cultas meretrices oſtendunt, q̃ templa eas, quas uolunt uirginum uideri imagines. Componant ergo ſuas imagines uel ad modicum ſaltem pudorem: ut paulò uerecundius mentiantur, alicuius ſanctitatis libros eſſe. Sed tum etiam reſpondebimus, non hanc eſſe docendi populi Dei rationem: quem longe alia doctrina, q̃ iſtis nænijs, inſtitui uoluit Dominus. Verbi ſui prædicationem, communem omnibus doctrinã propoſuit. Quorſum itaq; pertinebat erigi tot cruces ligneas, lapideas, argẽteas etiam & aureas: ſi illud ſæpe inculcaretur, Chriſtum eſſe traditum propter delicta noſtra, ut in cruce maledictionem noſtram ſuſtineret, & peccata noſtra ablueret? ex quo uno uerbo plus diſcere poterant, q̃ ex mille crucibus ligneis aut lapideis. Nã in aureas & argenteas, auari mentes et oculos tenacius forte defigũt, q̃ in ulla dei uerba. Et quos
Ioan. 6 *quæſo uocãt idiotas? hos ſcilicet, quos dominus theodidactos agnoſcit. En incomparabile imaginũ bonũ, quod nulla penſatione reſarciri poteſt. Quo uero*

ſignifi-

ſignificantius declaret, quàm grauiter omnem infide litatem atq; idololatriam execretur: ſubijcit duobus iſtis mandatis, Se dominum eſſe, Deum noſtrum, fortem, & æmulatorem: qui ui ſitet iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationẽ, in his qui oderunt nomen ſuum: faciat autem miſericordiam in milia, his qui diligunt ſe, ac præcepta ſua ſeruant. *Hoc uero perinde eſt, ac ſi diceret: ſe ſolum eſſe, in quo hærere debeamus, nec conſortem ferre poſſe. uindicem etiam futurum ſuæ maieſtatis ac gloriæ, ſi qui eam ad ſculptilia aut res alias transferant. neq; id ſemel: ſed in patribus, filijs, ac nepotibus: hoc eſt, quocunq; tempore. Quẽadmodũ ꝑpetuo quoq; miſericordiã ac benignitatẽ ſuã ijs exhibet, q ſe diligũt, ac legẽ ſuã cuſtodiũt.*

MANDATVM III.

Non uſurpabis nomen Dei tui in uanum.

Cuius ſenſus eſt: Siquidem Deum timeri à nobis atq; amari oportet, ne ſacroſancto eius nomine ulla ratione abutamur. quin ipſum potius pro ſua ſanctitate ſuper omnia magnificemus, in omni re tum proſpera, tum aduerſa illi gloriam demus, toto animo

ipſum requiramus: omnium, quæ ab eius manu nobis eueniunt, gratias ei agentes. In ſumma, ab omni eius contumelia & blaſphemia nos ſolicite cõtineamus: ne aliter ipſum nominemus, aut ſecus de eo loquamur, quàm ſublimem eius maieſtatem decet. Ne ſa-
Leuit.20 crum illud eius nomen in alios uſus conferamus, q̃ in
Deut.18 quos ipſe conferri uoluit. id enim foret prophanare ac polluere. Vt qui illud necromantiæ, incantationibus, diris deuotionibus, illicitis exorciſmis, alijsq́; im
Deut.5 pijs ſuperſtitionibus ſeruire faciunt. Quod autem ad ſacramẽta aut iuramẽta pertinet, ne in ullo ſanctum hoc nomen falſo inuocemus. neq; enim grauius inhonorari poteſt æterna ueritas, quàm ſi mendacij teſtis citetur. Ne ullum deniq; etiam uerum iuramentum temere uſurpemus: niſi quod Dei gloria, aut fratrum uſus neceſſario poſtulet. Hac enim excepta cauſa, quoduis iuriſiurandi genus interdictũ eſt: Vt nos
Matth.5 docent uerba Chriſti, qui hoc legis caput enarrans, uult, ut omnis ſermo noſter ſit, eſt, eſt: non, non. & quod ultra ſit, à maligno eſſe teſtatur. Vbi hoc etiam obſeruandum eſt: prohiberi unumquemq;, ne ullum iuramentũ propria ac priuata temeritate uſurpet. Id uero iuramentum, quod deferente exigenteq; magiſtratu præſtamus, huic mandato minime aduerſatur.

Cum

Cum alio in loco illis potestatem Deus fecerit defe- Exod.22
rendi, cum ueritatis testimonium pro iudicio exigen Hebr.6
dũ est. Imò publica omnia iuramenta ab hoc inter-
dicto eximuntur. qualia sunt, quæ Paulus usurpa- Rom.1.9
uit, ad dignitatem Euangelij asserendam. Non enim Apostoli, priuati sunt homines in sua functione, sed publici Dei ministri. Qualia etiam uel in sanciendis fœderibus usurpari à principibus possunt, uel à populo, cum in nomen principis sui iurat: & si qua sunt alia, quæ non priuata cupiditate fiant, sed publico bono. Primũ est igitur, ut meminerimus iuramẽtum nõ libidinis aut uoluptatis, sed necessitatis causa permissum. Quemadmodum uero nomen Dei aliter q̃ dictum est, appellare non licet, ad sermonis nostri confirmationẽ: Ita quoties usus est, illud ipsum, non aliud appellandum est. Refert enim eius honoris ac
gloriæ, ipsum esse & haberi unicum testem uerita- Deu.6.10
tis, qui unica est & æterna ueritas. Demũ, quo effi- Iesa.45
cacius eximiam nominis sui maiestatem commenda & 48
ret Dominus, huic mandato adiunxit: Non habiturum se innocentẽ, qui nomen suum in uanum usurpauerit. *Quibus uerbis, peculiarem quandam ultionem edicit in huius mandati præuaricatores.*

MAN-

MANDATVM IIII.

Recordare diei ſabbati, ut ſanctifices illum. Sex diebus operaberis, & facies cunctum opus tuum: ſeptimo autẽ die ſabbatum eſt Domini Dei tui. Non facies ullum opus tuum, tu & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, iumentum atq; peregrinus tuus, qui eſt in portis tuis. Quoniã ſex diebus fecit Dominus cœlum & terrã, mare, & omnia quæ in eis ſunt: & die ſeptimo quieuit. ideo benedixit illi, & ſanctificauit illum.

Pertinet quoq; ad pietatem & Dei cultum, ſabbati obſeruatio: quandoquidem ſub prima tabula
Exod. 31 *comprehenſa eſt, & diei ſanctificatio nominatur.*
Numer. 15 *Quare nihil unquam ſeuerius exegit Dominus. Et cum ſubuerſam omnem religionẽ uult apud prophetas ſignificare, polluta ac prophanata, uiolata, nõ cu*
Iere. 17 *ſtodita, non ſanctificata ſua ſabbata commemorat. quaſi omiſſo hoc obſequio, nihil reſtaret amplius, in quo honorari poſſet. Minime autem ambigendũ eſt, quin præceptum hoc umbratile fuerit, ac Iudæis pro ceremoniarum tempore mandatum: ut ſpiritualem Dei cultum ſub externa illis obſeruatione repræſentaret.*

taret. Quare aduentu Christi, qui umbrarum lux est, & figurarũ ueritas, abrogatum fuit: ut cæteræ Mosaicæ legis umbræ, quemadmodum euidenter testatur Paulus. Sed nos abolita ceremonia & externo ritu, quo sub legis pædagogia Iudæorum fides exercebatur, ueritatẽ tamen præcepti retinemus: quam dominus perpetuam, Iudæisq; & nobis communem esse uoluit. Ea autem est ueritas: Quandoquidem timeri à nobis Deum atque amari oportet, ut quietem nostram in ipso agamus. Quod tum fiet, si prauis nostris cupiditatibus nos planè abdicabimus: quæ nihil aliud quàm conscientiam torquent, conturbant, & exagitãt. si ab improbis carnis nostræ operibus cessabimus: hoc est, quæ ex concupiscentia nostra, & naturæ nostræ nequitia gignuntur: ab omnibus (ut semel dicam) operibus, quæ ex Dei spiritu non sunt. quamlibet sapientiæ humanæ speciem præ se ferant. Cuiusmodi opera omnia uere seruilia sunt: à quibus cessare lex sabbati iubet, ut Deus in nobis habitet, operetur quod bonum est, ac sancti sui spiritus ductu nos regat. cuius regnum, pacem ac tranquillitatem conscientiæ confert. Id autem est uerum sabbatum, cuius typus ac uelut umbra, Iudaicum illud fuit. Ideoq; diei septimo aßignatũ erat, qui numerus perfectionis

Galat. 4
Coloss. 3
Ies. 35. 58
Heb. 3. et 4
Ioan. 14
Ephes. 3
1. Cor. 3
Rom. 8

fectionis significationem habet in scriptura. Qua docemur, sabbatum nobis à Deo perpetuum mandari, & quod nullo termino finiatur. deinde, nunq̃ fore, ut plene & ad iustum modum sanctificetur,
Hebr.4 usq; ad septimum diem. Ille uero dies septimus, ultimus est & æternus. In quem licet pro parte ingreßi simus, quicunq; sumus fideles, nondum tamen plene peruenimus. Nunc enim per fidem, nostram in Deo quietem inchoauimus, in qua etiã quotidie progressus facimus: ut tunc tandem perficiatur, cum implebitur illud Iesaiæ, quo ecclesiæ Dei promittitur sab-
Iesa.66 bitur illud Iesaiæ, quo ecclesiæ Dei promittitur sab-
1. Cor.15 batum ex sabbato. nempe, cum erit Deus omnia
Gen.2 in omnibus. Id & Dominus nobis in creatione mundi ostendit, quam sex diebus absoluit, septimo quieuit ab omni opere, ut eius exẽplo ab operibus quoq; nostris cessantes, requiem in ipso nostram quæramus, & ad hoc septimi diei sabbatum aßidue aspiremus. Quod attinet ad diem dominicũ, quem nunc obseruamus: non est ideo institutus, ut præ cæteris illum sanctificemus, id est, sanctiorem æstimemus. hæc enim solius Dei prærogatiua est, q dies omnes ex æquo honorauit. Verum, ut ad preces & laudes
Gal.4 Dei, ad audiendum uerbum, ad secramentorũ usum,
Coloß.3 ecclesia eo die conueniat. In quæ officia quo melius

studium

ſtudium omne uacui conferamus, ceßatur à mechanicis & manuarijs operibus, ac auocamentis omnibus, quæ ad huius uitæ rationem pertinent. E*iuſdem rationis ſunt & ſolennes alij dies, quibus myſteria ſalutis noſtræ memoria repetũtur. Quod ſi uerbum illud toto animo (ut decet) imbibimus, ac per ipſum mortificamus hominis ueteris opera: nõ diebus duntaxat feſtis, ſed omni die continenter ſabbatũ ſanctificamus, & quod hic iubemur, celebrare incipimus ſabbatum ex ſabbato. In ſumma, non religione aliqua diſcernimus inter diem & diem, ſed communis politiæ cauſa. Quoſdam enim dies præſcriptos habemus, nõ quibus ſimpliciter feriemur, quaſi noſtra ceſſatione colatur aut delectetur* Deus:*ſed quia aliquo die eccleſiam conuenire oportet. Diem autem certum ac ſtatum eſſe refert, ut omnia ſecundum ordinem, & citra tumultum fiant.* 1. Cor. 14 *Ita euaneſcunt nugæ ſophiſtarum, qui Iudaica opinione orbem imbuerunt: abrogatum eſſe quod ceremoniale erat in hoc mandato (id autem uocant ſua lingua, diei ſeptimæ taxationẽ:) remanere autem quod morale eſt, nempe, unius diei obſeruationem in hebdomade. Atqui id nihil aliud eſt, quàm in Iudæorũ contumeliam diem mutare, diei obſeruationem retinere.*

Et ſanè

Et ſanè uidemus, quid tali doctrina profecerint. Qui enim eorum conſtitutionibus hærent, craſſa carnaliq; ſabbatiſmi ſuperſtitione Iudæos ter ſuperant. Vt non minus hodie ipſis cõueniant obiurgationes, Ieſa. 1.58 *quæ apud Ieſaiam leguntur: quàm ijs, quos ſua ætate propheta increpabat. Aliud in ſabbatiſmo ſpectandum officium Iudæis erat. non illud ad religionem pertinens, ſed ad conſeruandam inter homines æquitatem: quæ uult, interdum ſeruorum & animalium operas remitti, ne inhumani exactores aßidue iuſtando, ultra iuſtum modũ ipſos premant. Quanquã* Exod. 23 *hæc (ut arbitror) magis inſtituti utilitas à Moſeh in-* Deuter. 5 *dicabatur, quàm inſtituendi cauſa. Huius æquitatis ratio à nobis hodie quoq; habenda eſt, non ſeruili quadam neceßitate, ſed prout charitas dictauerit.*

En quatuor prima præcepta, quæ præſcribũt, quales nos erga Deum gerere debeamus: quibus prima tabula clauditur. Quod autem præter uulgarem, & ferè ubiq; uſitatam formam, quatuor præcepta ſub prima tabula includo: id non aut nulla, aut leui etiam ratione factum eſt. Nam qui aliter partiuntur, ſecundum mandatum quod recitauimus, numero expungunt: quod indubie mandati loco diſtincte à Domino poſitum eſt. Decimum uero de non concupiſcendis proxi-

dis proximi rebus, inepte in duo concerpunt quod unum & idem est. Ad hæc talem partiẽdi rationem puriore seculo incognitam fuisse intelligi ex eo potest, quod Origines hanc nostram sine cõtrouersia posuit. Augustini quidem tempore iam illa inuenta erat: sed non ab omnibus probabatur. Ipsi certe Augustino ob nimium leuem causam arrisit, quod in numero trinario (si tribus præceptis conficiatur prima tabula) magis eluceat mysterium trinitatis. in cæteris nostra magis ei placebat. Nec dubitauerim diaboli fraude id factum. ut sensim ex hominum animis mandatũ illud elaberetur, quo tam caute idololatria prohibetur. Hoc obiter perstringendum fuit, ne quis ceu nouam & nuper excogitatam, nostram partitionẽ aut miretur, aut rideat. Superest secunda tabula.

Orig. in Exod. Aug. lib. 2 quæst. uet. testamen. Nobiscum sentit autor opis imperfecti in Matth.

MANDATVM V.

Honora patrem & matrem.

Hoc est, quandoquidem timeri à nobis Deum atq; amari oportet: ne parentes uel negligamus, uel ulla in re offendamus. uerum his multũ deferamus, eos reuereamur & colamus, ijs sub Domini uoluntate obediamus: ijs commodare ac gratificari studeamus, quibuscũq; in rebus illis usui esse poterit nostra opera. Additur benedictio: Victuros diu su

Ephes. 6

Math. 15

e per

per terram, qui parentes eo quo debent honore proſecuti fuerint: *Velut ſingularis cuiuſdam commendationis uice, quæ declaret q̃ grata ſit Deo huius mandati obſeruatio, & torporem noſtrum excitet & exhortetur. ſimul ut ingrati filij, qui mutuam parentibus uicem ac gratiam referre neglexerint, certiſsimã maledictionem expectẽt.*

MANDATVM VI.

Non occides.

Matth. 5 Hoc eſt, *Quandoquidem timeri Deum à nobis atq; amari oportet, ne quem ullo genere offenſionis lædamus, ne cui iniurij ſimus, ne quem laceſſamus, ne cui uim afferamus. quin potius, ſi quis eſt in nobis timor atq; amor Dei, omnibus, amicis, inimicis, beneuolentiam exhibeamus: utriſq; placere ſtudeamus: utriſq;, ſi quo in diſcrimine ſunt, auxiliarem manum afferamus: utriſq; benefici eſſe, quantum poſſumus, contendamus.*

MANDATVM VII

Non fornicaberis.

Matth. 5 *Huc pertinet, ut, quoniã timeri à nobis atq; amari*
Ephes. 5 *Deũ oportet, caſte ac cõtinẽter in omni uita noſtra*
1. Cor. 6 *omnia cõponamus, loquamur, agamus. Et quãdo uir*
Matth. 19 *ginitas ſingulare eſt donũ Dei, uideãt ſinguli q̃d ſibi*

datum

datum ſit. Nam qui hoc uerbum non capiunt, reme- 1. Cor. 7
dium habent carnis ſuæ impuritati, oblatum ſibi à
Domino. eo niſi utantur, cum Deo pugnant, ac eius
ordinationi reſiſtunt. Neq; dicant (ut multi hodie
dicũt) ſe Dei auxilio adiutos omnia poſſe. Dei enim
auxilium non niſi ijs adeſt, qui in uijs ſuis ambulant: Pſal. 91
hoc eſt, in ſua uocatione, à qua ſe iſti contra Dei uo
luntatem ſubducere conantur. In hac peruicatia, ne
Deum auxiliatorem expectent: ſed meminerint po-
tius eius quod dictum eſt, Dominũ Deum tuum non Deut. 6
tentabis. Hoc uero Deum tentare eſt, contra natu- Matth. 4
rã, quæ ab eo nobis indita eſt, niti: ac præſentia eius
dona ſpernere. Quod iſti non modo faciunt, ſed ma
trimoniũ etiam, quod Deus inſtituere dignatus eſt,
quod in omnibus honorabile pronunciauit, quod
Chriſtus Dominus noſter ſua præſentia ſanctifica Gen. 2
uit, quod primo ſuo miraculo cohoneſtare dignatus Hebr. 13
eſt, pollutionem uocare audent, tantum ut qualem- Ioan. 2
cunq; cœlibatum miris encomijs tollant. Quaſi ue-
ro non aliud cœlibatus ſit, aliud uirginitas. Vitam an
gelicam uocant: in hoc angelis Dei maxime iniurij,
quibus ſcortatores, adulteros, & aliquid multo peius
ac fœdius comparant. Et ſanè argumentis hic mini-
me opus eſt, ubi reipſa palàm reuincuntur. Videmus

enim, quàm horrendis pœnis huiuſmodi arrogantiã, & donorum ſuorum contemptum paßim ulciſcatur Dominus. Coniuges *uero neq; ſibi licere omnia ipſi exiſtiment, ſed ſuam quiſq; uxorem ſobrie ac modeſte habeat: & uicißim uxor uirum. ſic agentes, ne quid omnino indignum honeſtate ac temperantia matrimonij admittant. poſtremo, cogitent ſe in* Domino *nupſiſſe.*

MANDATVM VIII.

Non furtum facies.

Hanc ſententiam habet. Quandoquidem timeri à nobis Deum *atq; amari oportet: ne cuiquam, uel fraude intercipiamus, uel manu ac ui rapiamus, quod ſuum eſt: ne quem in negotijs ac contractibus imperitum circunſcribamus: aut plus uendendo, aut iuſto uilius emendo ab ijs, qui rerum precia ignorant: uel quauis alia arte ac dolo, quo bonis alienis manũ inijciamus. Verum, ſi quis eſt in nobis timor atq; amor* Dei, *huc magis omni conatu incumbamus, ut*
Ieſa.58 *amicos iuxtà ac inimicos, quoad licet, conſilio atq;*
Rom.12 *ope in retinendis ſuis iuuemus: ac noſtro potius ce*
2. Cor.8 *damus, quàm ex alieno ſubducamus. neq; id ſolum:*
Ephe.4 *ſed ſi rerũ difficultate premũtur, eorũ neceßitatibus*
&c. *cõmunicemus, ac inopiam noſtra copia ſubleuemus.*

MAN-

MANDATVM IX.

Non falſum teſtimonium dices.

Hoc uult. Quandoquidem timeri Deum à nobis atq; amari oportet, ne quem falſa accuſatione premamus, ne cuius famam proſcindamus: ne maledictis & amaris ſalibus, uel linguã, uel aures præbeamus: ne quid de aliquo ſiniſtrum ſuſpicemur, aut ſentiamus. uerum, ſi quis eſt timor atq; amor Dei in nobis, de omnibus, quoad licet, & candide ſentiamus, & honorifice loquamur: ut æqui erga omnes interpretes, eorum dicta & facta in optimam, quantum licebit, partẽ accipiamus. Huc quoq; extenditur mandatum iſtud, ne ullis mendacijs delectemur, ne ſcurrilem urbanitatẽ affectemus, ne urbanæ atq; ocioſæ loquacitati nos accommodemus.

Math. 7
Rom. 13 & 14
Pſal. 5
Math. 12
Epheſ. 4 & 5

MANDATVM X.

Non concupiſces domum proximi tui, non deſiderabis uxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, neq; omnia quæ illius ſunt.

Quo Dominus, quem timeri à nobis atq; amari decet, omne deſiderium alienæ uxoris, familiæ, poſſeſſionum, aut cuiuſuis boni interdicit. Qua ratione multo magis uetat, ne quas inſidias, ne quam fraudem,

dem aut artem, etiamsi honesto nomine prætexi possit, intendamus: qua uel uxor è mariti consortio exeat, uel serui eius manu se subducant, uel alia bona illi excutiantur. Ne uxorẽ ac seruos, blandiloquentia à marito uel domino distrahamus: ne maritum ipsum ab uxore, quo repudiata nostra fiat. ne dominum à seruis, à quo expulsi ad nos transeãt: ne quos demum eiusmodi dolos, quibus assueti sunt captiosi homines, instruamus, quibus alienæ res in manus nostras ueniant. Opus enim prohibitum haud dubie oportet esse, ubi uoluntas ipsa & cupido, habendiq; cogitatio prohibetur. Verum, si quis est in nobis timor atq; amor Dei, potius hoc agamus, ut non optemus modo suam cuiq; uxorem, & omnia sua salua atq; integra manere: sed etiam uiri atq; uxoris amorem foueamus, seruos ad officium hortemur: omnibus deniq; rationibus suum cuiq; tueamur, quantum
Ephes.4 in nobis est. Quod uero aliena concupiscere prohibemur, huc etiam referri debet, ut pro sua quisq; uocatione partibus suis fungatur: & alteri quod officij sui est, præstet. Alienum enim & concupiscit, &
Rom.13 retinet, qui non exequitur quæ ex suæ uocationis
1.Pet.2 munere alijs debet. Hac ratione populus suos reges,
Tit.3 principes, magistratus, & alios sibi præfectos, in honore

nore habeat, eorum dominationem æquo animo ferat, legibus & iußis pareat, nihil detrectet quod sub Dei uoluntate exequi poßit. Rursum, illi plebis suæ curam sustineant, ius reddant, publicam pacem ac Deut.17
tranquillitatem cõseruent: bonis sint præsidio, malos 2. Paral.19
coherceant: sic omnia administrent, quasi supremo regi ac iudici Deo functionis suæ rationẽ reddituri.
Episcopi & ecclesiarum ministri fideliter uerbi mi- 1. Timot. 3
nisterio incumbant, nec salutis doctrinam adulte- 2. Tim. 2
rent, sed puram & sincerã populo Dei tradant. nec & 4
doctrina solum, sed uitæ exemplo eum instituant. Tit. 1
præsint deniq; ut boni pastores ouibus. Populus ui- 1. Pet. 5.
cißim eos pro nuncijs & apostolis Dei agnoscat: Matth. 10
eum ijs honorem reddat, quo Dominus eos digna- Rom. 10
tus est. quæ eorum uitæ necessaria sunt, præbeat. & 15
Parentes, liberos ut sibi à Deo commissos, alendos, 1. Cor. 9
docendos, regendos, suscipiant. nec sua inhumani- Galat. 6
tate ac sæuitia eorũ animos exasperent, & à se auer 1. Thes. 5
tant: sed lenitate ac indulgẽtia, quæ suam personam 1. Timot. 5
deceat, eos foueant & amplectantur. quomodo & Ephes. 6
suam illis obseruationẽ à liberis deberi, antè dictum Coloss. 3
est. Iuniores senilem ætatem reuereãtur, ut eam ætatem honorabilẽ esse Dominus uoluit. Senes quoq; iuuentutis imbecillitatem sua prudentia, & quo ma-

gis quàm illi pollent rerum uſu, moderentur: non aſperis clamoſisq; inſectationibus eos inceſſentes, ſed comitate ac facilitate ſeueritatem temperantes.

Ephes.6 Colosſ.3 Tit.2 1.Pet.2 Coloſſ. 4 & ad Phil.

Serui ſe ad officium ſedulos & obſequentes Dominis præſtent: non ad oculum ſeruientes, ſed ex animo, tanquã obſequia ſua Deo reddãt. Domini quoq; non moroſos ſe & intractabiles erga ſeruos gerant, non aſperitate nimia eos uexent, non contumelioſe accipiant: ſed potius agnoſcant ſibi fratres eſſe, eiuſdemq; Domini, qui in cœlis eſt, conſeruos: quos mutuo amare & tolerare in omni manſuetudine debeant. Ad hunc modum quiſq; reputet, quid in ſuo ordine ac loco proximis debeat, et quod debet, ſoluat. Habemus totam legem decem mandatis explicatam. quibus ſatis omnium eorum admonemur, quæ uel à nobis exigit Deus, uel fieri uetat, tũ erga ſe, tũ erga alios. Facile aũt eſt pſpicere quò tendãt omnia: nẽpe ad docendam charitatem. Ac primum, ut Deum timeamus, amemus, colamus, ipſo confidamus, ipſum inuocemus ac requiramus, ab ipſo omnia expectemus, in ipſo præſidia noſtra collocemus, in ipſo quieſcamus: quæ ſumma eſt primæ tabulæ, qua ad pietatem peculiariter inſtituimur. Deinde, ut propter Deum, charitatem cum alijs colamus: ita cum omni-

Matth. 7

bus

bus agendo, ut nobiscum agi optemus: quod est secundæ tabulæ caput. non aũt ut nos ipsos amemus. Neq; enim in tota lege syllaba una legitur, quæ regulã homini de ijs statuat, q̃ suo cõmodo facturus aut omissurus sit. Et sanè quãdo ita nati sunt homines, ut in amorẽ sui toti proni ferãtur: nulla fuit opus lege, quæ amorẽ illũ sponte sua immodicũ magis inflãmaret. Quo planè perspicuũ est, non nostri ipsorũ amorem, sed Dei & proximi, obseruationẽ mãdatorum esse: optimeq; ac sanctißime eum uiuere, qui q̃ minime fieri potest, sibi uiuit ac studet: neminem uero eo peius nec iniquius uiuere, qui sibi duntaxat uiuit ac studet, suaq; duntaxat cogitat ac quærit. Hoc uero nõ est obiter prætereundũ: nõ externa modo opera lege Dei præcipi aut prohiberi, sed cogitatiões ipsas & intimos cordis affectus. ne quis legi satisfactum existimet, ubi manus duntaxat ab opere cõtinuerit. Sunt enim qui oculos, pedes, manus, & omnes corporis partes in aliquam legis obseruationem componunt: cor ab omni obediẽtia alienißimũ interim retinent. tũ se defunctos putant, si probe apud homines dißimulauerint, quod corã Deo in corde gerũt. Audiũt, Nõ occides, Nõ mœchaberis, Nõ furaberis: gladium ad cædem non exerunt, corpora sua meretri-

cibus non commiſcent, manus alienis bonis non inij ciũt. H*æc omnia bene hactenus: ſed cædes totis ani mis ſpirant, feruent in libidinem, omnium bona ocu lis retortis aſpiciunt, & cupiditate deuorant.*Iam *ue* Roma. 7 *ro deeſt quod præcipuum erat legis.*His *fortiter re clamat* Paulus, *affirmãs legem ſpiritualem eſſe : hoc eſt, quæ totam mentem, totam animam, totam uo luntatem obſequentem exigat. hunc cum eſſe legis ſenſum dicimus, non nouam ex nobis interpretatio nem ingerimus: ſed* Chriſtum *optimũ legis interpre tem ſequimur.* Cum *enim* Pharifæi *peruerſa opinio* Matth. 5 *ne populum imbuiſſent, legem perficere, qui exter no opere nihil aduerſus legem perpetraſſet: hunc pe riculoſiſsimum errorem arguit, & impudicum mulie ris aſpectum, ſcortationem eſſe pronunciat. homici das pronunciat, quicunq; fratrem oderint. facit enim reos iudicio, qui uel iram animo cõceperint: reos con ſilio, qui murmurando aut fremendo aliquam offen ſi animi ſignificationẽ dederint : reos geennæ ignis, qui conuitijs & maledictis in apertam iram proſilie rint.* H*æc qui non uiderunt, finxerunt* Chriſtum *al terum* Moſen *legis* Euangelicæ *latorem, quæ defe ctum* Moſaicæ *illius ſuppleuerit : quod falſiſsimum eſt.* Nihil *enim illic ad legem ueterẽ adiecit, ſed* Pha-

riſæorum

risæorum mendacijs obscuratam, & fermento inqui natam, tantũ asseruit & repurgauit. Eadem uel ignorantia uel malitia ex præceptis de non appetenda uindicta, de diligẽdis inimicis, quæ & omnibus olim Iudæis tradita fuerunt, & tum omnibus in commune Christianis tradebantur, consilia fecerunt: quibus parêre, uel non parêre, liberum esset. Eorum autem necessariam obedientiam ad monachos relegarunt, ut uel hoc uno simplicibus Christianis essent iustiores, quod ultro se seruandis consilijs obstringerent. Et rationem aßignant, cur ea pro legibus non recipiant: quod sibi onerosa nimium & grauia uideantur, Christianis præsertim, qui sunt sub lege gratiæ. Itá ne legem Dei æternam de diligẽdo proximo refigere audent? An nõ autem proximum nostrum, proposita parabola, uel alieniβimum quenque esse, cui opera nostra usui esset, declarauit Christus? An non paßim occurrunt mandata, quæ inimicorum dilectionem à nobis exigant? Vt cum esurientes iubemur pascere, eorum errãtes boues & asinos in uiam dirigere, aut oneri succumbentes subleuare. An non est æternum uerbum Domini? Mihi uindictam, & ego retribuam. Et quid hæc sibi, quæso, uolunt? Diligite inimicos uestros: benefacite ijs qui oderunt uos:

Luc. 10
Prouer. 2[?]
Rom 12
Exod 23
Deut. 32
Hebr. 10
Matth. 5

orate

orate pro persequentibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est. Qui erunt igitur filij cœlestis patris? an monachi? Bene uero nobiscum agetur: si soli monachi Deum patrem uocare audeant. Vere itaq; se filios sathanæ esse produnt, qui cōmune iugum filiorum Dei ita licenter excutiunt. Sed quàm insulse ratiocinantur? Onus esset nimium graue Christianis. Quasi uero grauius quicquam excogitari possit, quàm diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis uiribus. præ ista lege, nihil non facile haberi poßit: siue diligendus inimicus, siue omnis uindictæ cupiditas ex animis deponēda. Omnia certe nostræ imbecillitati ardua sunt et difficilia, uel ad minimum usq; legis apicē. Dominus est, in quo uirtutem facimus. Det ille quod iubet, & iubeat quod uelit. Sub lege gratiæ esse Christianos, non est effrenate sine lege uagari. sed Christo insitos esse, cuius gratia à legis maledictione liberi sunt: & cuius spiritu legem habeāt inscriptam in cordibus. Hanc gratiā,
Rom.8 *legem impropríe uocauit Paulus, alludens ad legem Dei, cui per contentionem eam opponebat. Isti in nomine legis de nihilo philosophantur. Porrò iam antè audistis, grauem atq; horribilem sententiam à Domino pronunciari in eos omnes, qui legem suam*

ulla in

ulla in parte transgreßi fuerint, ac nō per omnia impleuerint. quam ut impleamus, non est in nostris uiribus situm. Oēs igitur legis trāsgressores statuimur. nec aliquibus nostrū, sed nobis omnib. debentur, ac ceruicibus nostris imminēt, quæ in ea peccatoribus edictæ sunt maledictiones. Itaq; *si in legē duntaxat intuemur, non aliud quàm animum despondere, confundi, ac desperare poßumus, cum ex ea damnemur omnes ac maledicamur.* Id *est, quod ait* Paulus: *Quicunq; sub lege sunt, omnes sub maledicto esse.* Neq; *enim aliter potest lex, quàm omnes ad unum homines accusare & arguere: conuincere, & uelut deprehensos tenere. damnare deniq;, in iudicio* Dei: *ut* Deus *solus iustificetur, sileat autē à facie eius omnis caro.* Neq; *uero garriamus, quod à multis hodie iactari solet. qui postquam fateri coacti sunt, rem sibi esse impoßibilem, perfectam ultimamq; iustitiam assequi operum meritis, cum legem nunquā perficiant: id quidē fatentur. sed ne uideantur omni gloria spoliati, hoc est, prorsus* Deo *ceßisse: legem se pro parte seruare allegant, hac pro parte se iustos esse. quod uero deest, id suffici ac redimi contendunt per satisfactiones ac supererogationis opera. hanc sibi esse coram* Deo *sui defectus compensationem.* In *hunc errorem*

Gal. 3

Rom. 3

errorem eos demersit sui ipsorũ obliuio, iustitiæ Dei
Iere.17 *contemptus, ac peccati sui ignorantia.* Excidunt *cer*
Gen. 8 *te à sui cognitione, qui alios se esse existimant, quàm*
Psal 94 *scriptura describit uniuersos filios* Adam. *quorum*
Matth.6 *excellentiam hisce elogijs cõmendat, quod sint per-*
Iesa. 53 *uerso & præfracto corde, quod figmentum cordis*
eorum malum sit à primis annis, quod omnes cogita
tiones uanæ, quod lumen tenebræ, quod omnes quá
si oues errauerint, unusquisq; in uiam suam declina-
Psal.14 *uerit, quod non sit ad unum inuentus qui faciat bo-*
num, quod nemo eorum intelligat aut Deum *requi-*
rat, quod timorem Dei *præ oculis non habeant: bre*
Gen. 6 *uiter, quod caro sint. quo nomine intelliguntur ope-*
Gal.5 *ra illa omnia, quæ enumerantur à* Paulo*: fornicatio,*
immũditia, impudicitia, luxuria, idolorũ seruitus, ue-
neficia, inimicitiæ, cõtentiões, æmulatiões, iræ, rixæ,
dissensiões, sectæ, inuidiæ, homicidia, & quicqd fœ-
ditatis aut abominatiõis excogitari potest. Tãtæ *sci-*
licet dignitatis fiducia stolide aduersus Deum *super-*
bimus. Hoc *enim habendum est catholicum theore-*
ma: Aduersus Deum *gloriari, quicunq; in se glorian*
Rom. 3 *tur. Siquidem hoc, mundũ* Deo *subdi,* Paulus *uocat:*
dum prorsus adempta est hominibus gloriandi mate
ria. Audet *ne homo tantæ ignominiæ à* Deo *dam-*
natus

natus, quicquã ſibi reliquum facere? adhuc ne ſe ali quid eſſe putat? nondum ſe proſternere & deijcere, Deoq́; omnia dare diſcit? nondum in ſua humilitate, Deum exaltare? Nõ enim humilitatem uoco, ſi quid ſibi reſiduum eſſe putat. Et hactenus pernitioſam hypocriſim docuerunt, qui hæc duo iunxerunt: humiliter de nobis ſentiendum coram Deo, & ſciendum aliqua eſſe noſtra merita. Si enim contra quàm ſentimus confitemur coram Deo, illi mentimur. Si autem reuera & ſerio agnoſcimus nihil noſtrũ eſſe, euaneſcit omnis meritorum non modo fiducia, ſed opinio. In homine igitur, ſi naturalibus ſuis dotibus cenſeatur, à uertice capitis ad plantã uſq; pedis ſcintilla boni nõ reperietur. Gratia Dei eſt, quicquid in eo eſt quod laudem meretur. Sed hæc noſtra eſt malignitas, noſtræ quidem fœditati prætextum ſemper inducere, Dei uero dona in laudem noſtram arripere. Dei etiam iuſtitia cõtemnitur, ubi talis tamq́; perfecta nõ agnoſcitur, ut nihil ei acceptum ſit, niſi integrum ac perfectũ, nullaq́; ſorde inquinatũ. Quod ſi ita eſt: omnia noſtra, ſi ſua dignitate cenſeantur, nihil niſi inquinatio ſunt & ſordes. Ita iuſtitia noſtra, iniquitas: integritas, pollutio: gloria, ignominia. Quod enim optimum à nobis proferri poteſt, aliqua

tamen

tamen ſemper carnis noſtræ impuritate reſperſum & corruptũ eſt, & tanquã aliquid fecis admixtum habet. Deinde etiam ſi fieri poſſet, ut aliqua nobis eſſent omnino pura iuſtaq; opera: unũ tamen pecca
Ezech.18 *tũ ſatis eſt ad delendã extinguẽdãq; omnẽ memoriã*
Iacob.2 *prioris iuſtitiæ, ut ait propheta. cui &* Iacobus *con ſentit:* Qui *offendit, inquit, in uno, factus eſt omniũ*
Prouer.24 *reus.* Iam *cum uita hæc mortalis nunquam à pecca-*
1.Ioan.1 *to pura ſit, quicquid iuſtitiæ à nobis comparatum eſſet, id ſequentibus peccatis corruptum, oppreſſum & perditum, in conſpectum* Dei *non ueniret: nec ad iuſtitiam nobis imputaretur.* Deniq; *in lege* Dei *non opus reſpiciendum, ſed mandatum.*Ideo *ſi ex le ge iuſtitia quæritur, non unum aut alterum opus, iu- ſtum faciet: ſed perpetua legis obedientia.* Præterea *peccatum res eſt eouſq; execrabilis coram* Deo, *ac tam grauis momẽti, ut tota hominũ iuſtitia in unum cumulum coacta, unius compenſationi par eſſe non*
Gene.3 *poßit.* Videmus *enim hominẽ uno delicto ſic à* Deo *abiectum & abdicatum fuiſſe, ut ſimul omnem re- cipiendæ ac recuperandæ ſalutis rationem perdide- rit.* Sublata *eſt igitur ſatisfactionis facultas, qua qui ſibi blandiuntur, nunquam certe* Deo *ſatisfacient: cui nihil gratũ acceptumq; eſt, quod ab inimicis ſuis*

profectum

profectum sit. Inimici uero sunt omnes, quibus imputat peccata. Tecta igitur & remissa peccata nobis oportet, antequam ad ullum opus nostrũ Dominus respiciat. Ex quo sequitur, gratuitam esse peccatorum remißionem, quam obscurant & blasphemant, qui suas satisfactiones ingerunt. Nos ergo exemplo Philip. 3 *Apostoli, quæ retro sunt obliuiscentes, ad ea autem pergentes quæ ante nos sunt, curramus in stadio nostro, tendentes ad brabeum supernæ uocationis. Iactare uero supererogationis opera, quomodo cũ illo conuenit, quod nobis præceptum est? ut cum feceri*- Luc. 17 *mus quæcunq; præcipiuntur nobis, dicamus nos seruos inutiles esse, nec plus fecisse, quàm quod debuimus. Dicere coram Deo, non est simulare aut mentiri: sed pro certo habere, & uerè ita sentire. Iubet itaq; Dominus nos sincere statuere, & nobiscum reputare, nulla nos sibi præstare gratuita officia, sed debita obsequia reddere. Idq;, cũ fecerimus quæcũq; præcipiuntur nobis: hoc est, si omnes nostræ cogitationes omniaq; membra uersa essent in officia legis: uel si plusq̃ omnes omniũ hominũ iustitiæ, unius essent. Isti, qui longißime ab eo absunt, ut fecerint quæ præcepta sunt: audent tamen gloriari se cumulum addidisse ad iustam mensuram. sed facile scilicet*

& cuiuis in promptu eſt, hæc in ſellis & cathedris ſub umbra diſputare. Cum autem ſummus ille Iudex pro tribunali ſederit, omne os obſtrui, & omnem gloriationem euaneſcere oportebit. Hoc, hoc quærendum erat, quam ad eius tribunal defenſionis fiduciam adferre, non quid in ſcholis & angulis fabulari poßimus. Ad hæc, quales ſunt, quas iſti uenditare Deo uolunt ſupererogationes? nugæ, quas neque Deus unquam iußit, neq; approbat: nec cum reddenda erit apud ſe ratio, acceptas feret. Hac demum ſignificatione concedemus eſſe ſupererogationis ope

Ieſa. 1 *ra. utpote de quibus à propheta dictũ eſt: Quis quæſiuit hæc de manibus ueſtris? Manet igitur illud, Totum hominum genus per legem argui, maledictioni & iræ Dei obnoxium. à qua ut ſoluantur, è poteſtate legis exire neceſſe eſt, et uelut ab eius ſeruitute in libertatem aſſeri: non carnalem quidem illam, quæ ab obſeruatione legis nos ſubducat, ad rerum omniũ licentiam nos inuitet, concupiſcentiam noſtram uelut ruptis repagulis aut effuſis habenis laſciuire permittat: ſed ſpiritualem: quæ perculſam, & conſternatam conſcientiam ſoletur & erigat, liberam illam oſtendens à maledictione ac damnatione, qua illam lex uinctam & conſtrictam premebat. Hanc à ſub-*

iectione

iectione legis liberationem, & (ut ita dicam) manumißionem aßequimur: cum per fidē, misericordiam Dei in Christo apprehendimus. qua securi certiq́; reddimur de peccatorū remißione, quorū sensu nos pungebat ac mordebat lex. Hanc uero peccatorum remißionem non semel: ut multi stolide opinantur, nobis largitur Deus: ut impetrata præteritæ uitæ uenia, postea in lege iustitiam quæramus. quo nihil q̄ in spem falsam inductos rideret ac luderet. Cū enim perfectio nulla obtingere nobis poßit, quamdiu hac carne induti sumus: lex autem mortem ac iudicium omnibus denunciet, qui non integram iustitiam opere pfecerint: habebit semper quo nos accuset, reosq́; agat, nisi contrà occurreret Domini misericordia, quæ. aßidua peccatorū remißione nos subinde absolueret. Quare id semper constat quod principio dicebamus, Si ipsi ex nostra dignitate æstimamur, quicqd meditemur aut moliamur, nos tamē cū omnibus nostris conatibus & studijs, morte & cōfusione dignos esse. Hac ratione & quæ in lege nobis offerebantur promißiones, inefficaces sunt omnes & irritæ. Hæc enim conditio, ut legem perficiamus, à qua ipsæ pendent, & qua demum præstādæ sunt, nunquam implebitur. Hoc argumentum magis urget 1. Cor. 15

f 2 Apostolus

Rom.4 *Apostolus. Si ex lege, inquit, promißio hæreditatis: exinanita est fides, abolita est promißio. duo infert. Prius, exinanitam & euacuatam esse fidem, si promißio operum nostrorum merita respiciat, aut ex legis obseruatione pendeat. nunquam enim illa certo fidere quisquam posset, aut in ea secure acquiescere: quãdo nunquam futurum est, ut certo apud se quisquam statuat, se legi satisfecisse. ut certe nullus unq̃ per opera plene satisfacit. Cuius rei ne longe petantur testimonia, sibi quisq; testis esse potest, qui se recto oculo intueri uolet. Igitur in omniũ animos subiret primum hæsitatio, demum & desperatio: dum pro se quisq; subduceret, quanta debiti mole adhuc obrueretur, quamq; longe distaret ab imposita sibi conditione. En iam oppressam extinctamq; fidem.*

1. Cor. 2 *Non enim fluctuari, uariare, sursum deorsum ferri,*
2. Cor. 13 *hæsitare, suspensum uersari, desperare deniq;, fidere est: sed constanti certitudine, ac solida securitate animum offirmare, & habere ubi recumbas & pedem figas. Ex eo alterum sequitur, promißionem quoque ipsam abolitam esse, & euanidam perire. Siquidem nullis implebitur, nisi qui certo ac sine hæsitatione persuasum habuerint, implendã sibi esse, uel (ut uno uerbo dicam) fidem illi habuerint. Collapsa igitur fi-*

de, nulla

de, nulla uis promißionis residua esse potest. Vt igitur spes aliqua salutis proponatur, nouæ promißiones offerantur oportet, quæ præstari nobis poßint. Sunt autē promißiones Euangelicæ, quas nobis gratuitas misericors Dominus offert: nō aliqua nostræ dignitatis aut benefactorum ratione, sed paterna sua bonitate: nec aliam nobis conditionem imponens, quàm ut tantam beneplaciti sui gratiam toto animo amplectamur. Hoc est quod subijcit Paulus: ideo ex fide salutis hæreditatem nobis obuenire, ut firma sit promißio. Certa enim est fides, quæ sola Dei misericordia nititur: sciēs, quia misericordia & ueritas obuiauerunt sibi: hoc est, quæcunq; Deus misericorditer pollicetur, fideliter quoq; præstet. Et certam fidem sequitur firma promißio, quæ non potest non impleri credentibus. Quare iam agnoscendum est, salutem nostram sola Dei misericordia cōstare: nulla uero nostra dignitate, aut quacunq; re, quæ ex nobis sit. Ideoq; in hac spem totam sistere conuenit, & uelut profunde figere: non respectare ad opera nostra, aut ex illis subsidiū aliquod petere. Adeoq; hæc fidei natura est, aures arrigere, oculos claudere: hoc est, promißioni attendere, cogitationem auertere ab omni hominis dignitate uel merito. Nunquam enim

Rom. 10

Rom. 4

Psal. 85

Deo ſatis confidemus, niſi de nobis penitus diffiſi. nunquam in ipſo ſatis animos erigemus, niſi prius in nobis deiectos. nunquam in ipſo nos ſatis ſolabimur, niſi in nobis deſolati. nunquam in ipſo ſatis gloriabimur, niſi omni in nobis gloria abdicati. Gratiam ergo Dei, abiecta quidē prorſus noſtri fiducia, de eius tamē bonitate certo confiſi, apprehendimus ac obtinemus. & (ut ait Auguſtinus) noſtra merita obliti, Chriſti dona amplectimur. quod ipſum eſt habere ueram, ut decet, fidem. Hanc uero certitudinem nullus aſſequi poteſt, niſi per Chriſtum: cuius ſolius benedictione à maledictione legis liberamur, quæ omnibus nobis edicta & denunciata eſt: cum ob imbecillitatem, quam ex patre Adam hæreditariā accepimus, legem operibus noſtris implere nō poßimus, ut neceſſe erat ijs, qui ſibi iuſtitiam inde comparare uelint. cuius deinde iuſtitia, iuſti ipſi & legis impletores ſimus. Hanc enim, ut noſtram, induimus. & ſanè pro noſtra nobis à Deo accepta fertur, ut pro ſanctis, puris, & innocentibus nos habeat. Ita impletur quod ait Paulus, Chriſtum nobis factum eſſe iuſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem. Nam primum quidem miſericors Dominus pro ſua bonitate ac gratuita uoluntate, nos clementer in gratiam recipit, pec-

De uerbis apoſtoli cap. 11

1. Cor. 1

pit, peccata nobis remittens ac cōdonans, quæ iram merebantur & æternam mortem. Deinde per gratias sancti sui spiritus in nobis habitat ac regnat, per quē cōcupiscētiæ carnis nostræ in dies magis ac magis mortificantur: nos uero sanctificamur, hoc est, consecramur Domino in omnem uitæ puritatem, cordibus nostris in obsequium legis formatis. ut hæc sit una nostra uolūtas, uoluntati eius seruire, ac eius duntaxat gloriam modis omnibus prouehere: oderimusq́;, quod in nobis sordium carnis nostræ residet. Tum postremo, etiam dum sancti spiritus ductu in uijs Domini ambulamus, ne tamen nostri obliti animos tollamus, remanet quiddam in nobis imperfectum, quod nobis humilitatis argumentum præbeat: quo omne os coram Deo obstruatur, discamusq́; fiduciam omnem à nobis in illum semper traducere. Itaq; nobis semper peccatorum remißione opus est. Quam ob rem illa etiā ipsa opera, quæ à nobis fiunt dum in uijs Domini currimus (& si Deo placent quatenus in fide fiunt:) non tamē ex se nos Deo acceptos gratiososq́; reddere possunt. Verum iustitiam Christi, quæ una ut perfecta est, ita sola Dei cōspectum sustinere potest, pro nobis sisti oportet, ac iudicio repræsentari uelut sponsorem. Ipsa uero à Deo

Rom. 5. 6
Roma. 7
Hebr. 11
Rom. 8

accepta fertur, ac nobis imputatur, perinde ac si nostra esset. Ita in fide peccatorum remißionem subinde atq; aßidue obtinemus, nullæq; nostræ sordes aut immunditiæ imperfectionis imputantur: sed illa puritate Christi ac perfectione uelut sepultæ conteguntur, ne in iudicium Dei ueniant, donec hora aduenit qua confecto in nobis ac plane extincto ueteri homine, diuina bonitas nos in beatam pacem cum nouo Adam (qui Christus est) recipit. ubi diem Domini expectemus, quo in gloriam cœlestis regni, receptis incorruptis corporibus, transferemur. Ex his colligi potest, quale officium, & quis sit usus legis. Tribus autem partibus continetur. primum, ut dum iustitiam Dei ostendit, hoc est, quam à nobis Deus exigit, suæ unumquenq; iniustitiæ admoneat, ac peccati conuincat. Sic enim opus est, ut, quoniam omnes simul homines, nisi eorum uanitatem Dominus arguat, insana uirium suarum fiducia inflati sunt: omissa hac stolida suæ uirtutis opinione, sola Dei manu stare se & consistere intelligant. Rursum, quoniam operum suorum iustitia cōtra Dei gratiam eriguntur, hanc arrogantiam deijci & confundi decet: ut nudi & uacui ad misericordiam Dei confugiant, in hanc se toti reclinent, in hanc se abdant, hanc

1. Cor. 15

hanc unam pro iuſtitia & meritis arripiant. quæ omnibus in Chriſto expoſita eſt, quicunq; eam uera fide & expetunt, & expectant. Deinde, *quatenus* Deum *fore ultorem declarat, pœnam tranſgreſſoribus conſtituit, mortem ac iudicium minatur: huc prodeſt, ut q nulla iuſti rectiq; cura, niſi coacti, tanguntur, coherceantur ſaltem pœnarum formidine.* Cohercentur *autem, nõ quod interior eorũ animus permoueatur, aut afficiatur: ſed quia tanquam iniecto freno manus ab exteriori opere continent, ſuam prauitatẽ intus cohibent, quã alioqui petulanter effuſuri erant.* Ex *eo nec meliores quidẽ ſunt, nec apud* Deum *iuſtiores. nam tametſi uel terrore, uel pudore impediti, exercere non audent, quod animo conceperunt, nec pro ſua libidine furere: cor tamen non habent compoſitum ad timorem & obedientiã* Dei. *imò quo magis ſeſe retinent, hoc magis intus accenduntur, feruent, & ebulliunt: parati quiduis facere, & quòuis prorumpere, niſi hic terror legis obſtaret. nec id ſolum, ſed legem quoq; ipſam peßime oderũt, &* Deum *legislatorẽ execrantur: ut ſi poſſent, eum tollere maxime uelint, quem nec recta iubentẽ, nec ſuæ maieſtatis contemptores ulciſcentem ferre poſſunt.* Sed *tamen hæc coacta expreſſaq; iuſtitia, ne-*

 ceſſaria

cessaria est publicæ hominum communitati. cuius tranquillitati sic consulitur, dum cauetur ne omnia tumultu permisceātur: quod fieret, si omnib. omnia licerent. Postremo *& fidelibus, quorum in cordibus iam uiget ac regnat* Dei *spiritus, nō mediocrem usum adfert: dum eos magis ac magis aßidue admonet, quid rectum sit, & placitum coram* Domino.

Iere. 31 Nam *tametsi digito* Dei *legē scriptā & insculptam*
Hebr. 10 *habent in cordibus, hoc est, sic affecti sunt & animati, ut* Domini *uoluntati obtemperare cupiāt: hoc tamen proficiūnt in lege, quod ex ea certius in dies ac melius discunt, qualis sit uoluntas* Domini. *ut si quis seruus iam ita sit toto animi studio comparatus, ut* Domino *suo se approbet: opus tamē habet, ut mores* Domini *compertos habeat, ad quos se componat & accōmodet.* Præterea *quantumlibet spiritu prompti & alacres ad* Dei *obsequium, carne tamen desides sunt, & peccato potius quàm* Deo *seruiūt. huic carni lex flagrū est, quo instar ignaui inertisq; asini stimuletur, incitetur, & ad opus urgeatur.* In *summa, lex fidelibus exhortatio est: nō quæ eorum conscientiam maledictione liget, sed quæ pigritiam subinde instando excutiat, & imperfectionem uellicet.* Multi, *cum uellent significare hanc à legis maledictione*

ctione liberationem, dixerũt abrogatam eſſe legem fidelibus. non quòd non amplius illis iubeat, quod rectum eſt: ſed duntaxat, ne ſit illis quod antea erat. hoc eſt, ne eorum conſcientias mortis nuncio cõfundat & perterreat, ne damnet & perdat. Quemadmodum contrà, iuſtificatio bonis operibus detrahitur: non ut nulla bona fiant opera, aut negentur bona opa, quæ ſunt: ſed ne illis fidamus, ne gloriemur, ne ſalutẽ adſcribamus. Fiducia enim hæc noſtra eſt, quod Chriſtus filius Dei noſter eſt, nobiſq; datus: Ieſa. 9
ut in ipſo ſimus & nos filij Dei, regniq; cœleſtis hæ 1. Theſ.4
redes: Dei benignitate, non noſtra arte, uocati in
ſpem æternæ ſalutis. Vocati autem ſumus non ad im Epheſ.1
munditiam & iniquitatem, ſed ut ſimus mundi et immaculati in conſpectu Dei noſtri, in charitate. Hæc ſi quo oportuerat ordine, tractata digeſtaq; eſſent anteactis ſeculis, nunquam tantum turbarum ac diſ-
ſenſionum ortum eſſet. Paulus ait, in architectura 1. Cor. 3
Chriſtianæ doctrinæ retinendũ fundamentũ quod poſuit, & præter quod nullum aliud poni poteſt: quod eſt Ieſus Chriſtus. Quale autẽ iſtud eſt fundamentum? An quod Ieſus Chriſtus initium fuit noſtræ ſalutis? & quod uiam nobis aperuit, cum nobis meruit occaſionem merendi? Minime: ſed quod in

eo electi

Ephes.1 *eo electi ab æterno sumus ante mundi constitutio-*
Rom.9 *nem, nullo nostro merito, sed secundum propositum*
2.Tim.1 *beneplaciti* Dei: *quod eius morte, ipsi à mortis da-*
Ioan.1 *matione redempti, ac liberati à perditione sumus:*
Ephes.1.3 *quod in ipso adoptati à patre sumus, in filios et hære*
Rom.5.8 *des: quod per ipsius sanguinem patri reconciliati:*
2.Cor.5 *quod illi à patre in custodiã dati sumus, ne unquam*
Ioan.10 & 17 *pereamus aut excidamus: quod, ita illi inserti, iam*
uitæ æternæ quodammodo sumus participes, in re-
gnum Dei *per spem ingreßi. hoc parum est. quod*
1.Cor.1 *talem eius participationem adepti, ut simus adhuc in*
Matth.ult. *nobis stulti, ipse nobis coram* Deo *sapientia est. ut*
Coloss.1.3 *peccatores simus, ipse est nobis iustitia. ut immundi*
Rom.8 *simus, ipse est nobis sanctificatio. ut infirmi simus,*
Ephe.2.4 *ut inermes & sathanæ expositi, ipsi tamen data est*
potestas in cœlo & in terra, ut pro nobis sathanam
conterat, & inferorum portas confringat. ut corpus
mortis adhuc nobiscum circunferamus, ipse tamen
nobis uita est. Breuiter, *qđ omnia illius nostra sunt*
& nos in eo omnia, in nobis nihil. Super hoc funda-
mentum ædificari nos conuenit, si uolumus crescere
in templum sanctũ Domino. *Iam uero iacto hoc fun*
damento, sapientes architecti superædificant. nam
siue doctrina & exhortatione opus est, admonent:
quod

quod in hoc filius Dei apparuit, ut dissoluat opera 1.Ioan.3
diaboli, ne peccent qui ex Deo sunt. sufficere præte 1.Pet.4.
ritum tempus implendis gentium desiderijs: electos 2.Tim.2
Dei uasa esse misericordiæ, electa in honorem, quæ
à sordibus emundari debeant. Sed omnia semel di=
cuntur, cum ostenditur quod tales uelit Christus di
scipulos qui semetipsos abnegent, & sublata sua cru Matth.16
ce ipsum sequantur. Qui semetipsum abnegauit, ma-
lorum omnium radicem execuit, ne amplius quærat
quæ sua sunt. Qui crucem suam sustulit, ad omnem
patientiam ac mansuetudinẽ se cõparauit. At Chri-
sti exemplum, & hæc, & alia omnia pietatis ac san-
ctitatis officia complectitur. ille se patri obedientem Philip.2
præstitit ad mortem usq;. ille totus fuit in perficien- Luc.2
dis operibus Dei. ille patris gloriam toto pectore spi Ioan.4.7
rauit. ille animam suam pro fratribus posuit. ille hosti 8.10.15.17
bus suis bene & fecit, & precatus est. Quod si con Luc.23
solationis usus fuerit, mirificam afferunt consolatio-
nem, quod affligimur, non tamen anxij reddimur: Philip.2
laboramus, sed non deserimur: humiliamur, sed non 2.Cor.4
confundimur: deijcimur, sed non perimus: mortifica
tionem Iesu Christi semper in corpore nostro cir-
cunferẽtes, ut uita Iesu manifestetur in nobis. Quod 2.Tim.2
si commortui sumus, & cõuiuemus: si compatimur,
& con

& conregnabimus. quòd configuramur paßionibus eius, quia pater prædestinauit conformes fieri
Philip.3 *imaginis filij sui, quos in ipso elegit: ut sit ipse primogenitus in multis fratrib.* Itaq; *quòd neq; mors, neq; uita, neq; præsentia, neque futura, separabunt nos à charitate* Dei, *quæ est in* Christo.*Ecce, non iustificamus hominē ex operibus coram* Deo: *sed omnes, qui ex* Deo *sunt, dicimus regenerari, & nouā creaturam fieri, ut ex regno peccati transeant in regnum iustitiæ. hoc testimonio certam facere suam uocationem, & tanquam arbores à fructibus iudicari.* Hoc *uno uerbo refelli potest impiorum quorundam impudentia, qui calumniantur, nos abolere bona opera, cum omnia hominum studia damnamus: nimis facilem peccatorū remißionem prædicare, cum gratuitā ipsam facimus: & hac illecebra homines suapte sponte satis procliues, ad peccandum allicere: à bonorum operum studio homines abducere, cum docemus eos non iustificari ex operibus, nec salutem mereri.* Hæ, *inquam, omnes calumniæ uno illo uerbo satis refutantur. breuiter tamen respōdebo ad singulas.* Non *negamus bona opera, sed quæ sunt, à* Deo *esse contendimus, eiq; debere referri accepta. quia huiusmodi omnia* Paulus *uocat fructus spiritus* Dei: *ut qui gloriatur,*

Rom.8 · 2.Pet.1 · Gal.5

gloriatur, in Domino glorietur. Neq; bonorum operum laudē, ut illi faciunt, inter Deū & hominē partimur: sed totam integram & illibatam Domino seruamus. Tantum hoc homini in bonis operibus aßignamus, quòd ea ipsa, quæ bona erāt, sua impuritate polluit & cōtaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumuis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. uocet igitur Dominus in iudicium, quæ in humanis operibus optima sunt: & suā in illis iustitiam agnoscet, hominis uero confusionem. Hac ratione hominum studia damnamus: hoc est, quicquid homo habet aut agit à seipso, maledictū pronūciamus. Cæterum singulari consolatione fidelium animi nostra doctrina eriguntur: qua docentur hæc bona opera sibi à Deo dari, & sua esse, quia à Deo data sint. simul Deo accepta esse, ac seipsos in his placere: non quòd ita merentur, sed quia diuina bonitas hoc illis precium statuit. Quin potius hoc exigimus, ut nullum quisquā opus tentet, aut aggrediatur, sine fide: hoc est, nisi certa animi fiducia apud se definiat Deo placiturum. Quid illi? Bona quidem opera semper in ore habent, interim sic conscientias instituunt, ut nunquam confidere ausint, Deum se propitium ac fauentem suis operibus præbere. Non inuitamus ad

peccandum

peccandum homines, cum gratuitam peccatorum remißionem affirmamus: ſed tanti eſſe dicimus, ut nullo noſtro bono penſari poßit. itaq; nunquam impetrandam, niſi gratuita foret. Porrò, *nobis quidẽ gratuita eſt:* Chriſto *non item, cui tam magno conſtitit. nempe ſuo ſacratißimo ſanguine: ultra quem nullum ſatis dignum precium fuit, quod* Dei *iuſtitiæ ſolueretur.* Hæc *cum docentur, admonentur homines, ſe toties ſacratißimum illum ſanguinem effundere, quoties peccant.* Ad *hæc, dicimus eam eſſe fœditatem noſtram, quæ niſi huius purißimi ſanguinis fonte nunquam eluatur.* Hæc *qui audiunt, ſi quid* Dei *habent, quomodo non horreant ſe in lutum prouoluere, quo huius fontis puritatem, quantum in ſe eſt, inquinẽt?* Laui *pedes meos, inquit fidelis anima apud* Solomonẽ, *quomodo rurſum inquinabo illos?* Nunc *palàm eſt, utri uiliorem peccatorum remißionem faciant.* Illi Deum *friuolis ſuis ſatisfactionibus, hoc eſt, ſtercoribus placari nugantur. nos grauiorem eſſe peccati noxam aſſerimus, q̃ quæ tam leuibus nugis expietur: maiorẽ eſſe* Dei *offenſam, quã quæ his nihili ſatisfactionibus remittatur. hanc ſolius* Chriſti *ſanguinis prærogatiuam eſſe.* Non *abducimus hominũ animos ab affectu bene agendi, cũ illis merendi*

Cantic. 5

merendi opinionem tollimus. Nam quod aiunt, nullam fore curam bene instituendæ uitæ, nisi spe mercedis proposita: tota uia errant. Si enim hoc tantum agitur, ut homines mercedem spectent, cum Deo seruiunt, & illi suas operas locent aut uendant, parum proficitur. Gratis coli uult, gratis amari. hunc, inquam, cultorē probat: qui præcisa omni spe recipiendæ mercedis, colere tamen eum non desinat. Porrò si incitandi sunt homines ad bona opera, nemo poterat acriores stimulos admouere, quàm admouet Paulus, cum ait, nos cum Christo resurrexisse, ut iustitiæ uiuamus: cū offerri præcipit corpora nostra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem: cum præcipit, ut postquàm unum corpus Christi sumus, mutuis officijs testemur, nos eiusdē esse corporis membra: cum admonet corpora nostra templa esse spiritus sancti, nullum esse consensum Christo cum Belial, luci cum tenebris: cum ostendit uoluntatem Dei esse sanctificationem nostram, ut nos abstineamus ab illicitis desiderijs: cum arguit nos esse liberatos à seruitio peccati, ut iustitiæ obediamus. An incitari ad charitatem ullo uiuaciori argumento possumus, quàm illo Ioannis: ut mutuo nos diligamus, quemadmodum Deus dilexit nos? hoc differre

Rom. 6
Rom. 12
Ephes. 4
2. Cor. 6
1. Thes. 4
Rom. 6
1. Ioan. 4

g *filios*

filios Dei à filijs diaboli, filios lucis à filijs tenebrarum, quia in dilectione manent? An ad sanctitatem
1. Ioan. 3 *fortius prouocari, q̃ dum ab eodem audimus, Omnes qui habent hanc spem, sanctificare seipsos, quoniam Deus eorum sanctus est? quàm dum Christũ ipsum audimus se nobis exemplar proponentem, ut sequa-*
Ioan. 15 *mur uestigia eius? Atq; hæc quidem paucula tantum in gustum proposui. nam si singula persequi esset animus, longũ uolumen cõtexendum foret. toti parænesibus, adhortationibus, castigationibus, consolationibus, pleni sunt Apostoli, quibus hominem Dei ad omne opus bonum citra meriti mentionem insti-*
Matth. 5 *tuant. Et sanè hæc nobis una causa satis esse debuerat, ut Deus in nobis glorificetur. Qđ si q erga Dei gloriam non uehementer afficiuntur, memoria tamen beneficiorũ Dei sufficiens est, quæ tales ad benefaciendum incitet. Verum isti quia seruilia forte aliqua coactaq; legis obsequia, ingerẽdis meritis extundunt: mentiuntur nos nihil habere, quo ad bona opera exhortemur. quia non eâdem ingredimur uia.*
2. Cor. 9 *Quasi uero talibus obsequijs ualde oblectetur deus, qui profitetur se hilarem datorem diligere, & quicq̃ dari quasi ex tristitia aut necessitate uetat. Quinq̃ scriptura ut nullũ omittat exhortationis genus, sæ-*

penumero

ſæpenumero etiam commemorat, Deum unicuiq; red-
diturum mercedem ſecundum opera ſua. Ex eo au- Matth. 16
tem ne quis ratiocinetur, opera noſtra huius retribu
tionis cauſam eſſe. ſiquidem regnum cœlorum non
ſeruorum ſtipendiū, ſed filiorū eſt hæreditas: quam
ſoli potientur, qui à Domino in filios cooptati fue- Ephes. 1
rint: neq; ullam aliam ob cauſam, quàm ob hanc ado
ptionem. Itaq; ne cogitemus ſpiritū ſanctū huiuſmo-
di promißione commendare uoluiſſe operum noſtro
rum dignitatem, ac ſi talem mercedem promereren-
tur. Nihil enim nobis ſcriptura reliquum facit, quo
in conſpectu Dei exaltemur. Quin potius tota in
hoc eſt, ut arrogantiam noſtram retundat, nos humi
liet, deijciat, & prorſus conterat. Verum noſtræ im
becillitati ſic occurritur: quæ ſtatim alioqui collabe-
retur ac concideret, niſi hac ſe expectatione ſuſtine
ret ac ſolaretur. Primum quàm durum ſit, non mo-
do ſua omnia, ſed ſe quoq; ipſum relinquere & abne
gare, reputent pro ſe quiſq; ſinguli. & tamen hoc ty
rocinio diſcipulos ſuos, hoc eſt, pios omnes Chri- Matth. 16
ſtus initiat. Deinde ſic per omnem uitam ſub crucis
diſciplina erudit, ne cor adijciant ad bonorum præ-
ſentium uel cupiditatem, uel fiduciam. Breuiter, ſic
ferè tractat, ut quócunq; flectāt oculos, quàm longe

hic mundus patet, non nisi desperationem sibi ubiq; obuersantem habeant : ut Paulus dicat miserabiliores nos esse omnibus hominibus, si in hoc mundo duntaxat sperantes sumus. In his tantis angustijs ne deficiant, adest illis Dominus, qui monet ut altius caput exerant, & longius oculos conijciant: beatitudinem, quam in mundo non uident, apud se reperturos. Hanc beatitudinem, præmium, mercedem, retributionem, uocat: non operum meritũ æstimans, sed compensationem esse significans eorum pressuris, paßionibus, contumelijs, &c. Quamobrem nihil obest, quominus uitam æternam, renumerationem scripturæ exẽplo uocemus: quod in ea Dominus suos ex laboribus in quietem, ex afflictione in consolationem, ex mœstitia in gaudium, ex ignominia in gloriam recipiat: omnia breuiter, quæ perpessi sunt mala, bonis maioribus permutet. Sic & nihil erit incõmodi, si uitæ sanctitatem existimemus esse uiã, non quidẽ quæ ducat, sed qua electi à Deo suo in gloriã regni cœlestis ducantur. Quoniã hæc bona eius uoluntas est, glorificare quos sanctificauit. Hac ratione, obseruationes mandatorũ aliquoties uocantur iustitiæ Domini: non quibus Dominus iustificet, hoc est, iustos habeat ac reputet: sed quibus


1. Cor. 15

iustos

iustos suos quos iam antè sua gratia iustificauit, exerceat. Verum, si quis uel minimam salutis nostræ portionem ad opera deriuet, is totam scripturam peruertit ac corrumpit, quæ solidam laudem diuinæ bonitati aßignat. Nomen uero meriti qui usurpat, aduersus Dei *gratiam blaſphemiam erigit: quæ cum illo stare non potest. certe arrogantiæ & ferocientis aduersus* Deum *uanitatis plenum est.*Deus *mercedem & remunerationem pollicetur.* Audio. *sed nostrum erat, tantæ* Dei *beneficẽtiæ gratias agere, per quam nobis dari agnosceremus, quod minime debebatur: non animis efferri, & plus arripere quàm dabatur.* Q*ui usum fructum in fundo dono accepit, si fundi etiam proprietatem sibi uindicet, nónne tali ingratitudine illum ipsum quem poßidebat usum fructum amittere meretur? Et nos scilicet impune aduersus tantam suam gratiam tam ingratos* Dominus *feret?*

DE FIDE, VBI ET SYMbolum (quod Apostolicum uocant) explicatur.

CAPVT II.



IAM *satis ex proxima disputatione intelligi potest, quæ nobis per legem agenda* Dominus *præscribat: quorum si qua in parte lapsi fuerimus, iram & terribile mortis æternæ iudicium edicit. rursum, quàm non modo arduũ, sed prorsus supra uires, extraq; omnem nostrã facultatẽ sit, legem implere ut exigit. Quare si nos dũtaxat ipsos intuemur, quidq; nobis dignum sit cogitamus: nihil est bonæ spei reliquũ. sed à* Deo *abiectos mors & certißima confusio nos manet.* Id *etiam explicatum fuit, unam esse effugiendæ huius calamitatis rationem, quæq; nos in melius restituat. nempe* Domini *misericordiam: quam certißime experiemur, si eam solida fide accipiemus, inq; ea secure acquiescemus.*Hoc *nunc superest, qualis esse hæc fides debeat: id quod ex symbolo (quod* Apostolicũ *uocant) facile discemus: quo breuiter compendium collectum*

collectū est, & quasi epitome quædā fidei, in quam consentit Ecclesia catholica. Verum antequam ultra progredimur, admonendi sumus, duas esse fidei formas. Altera est, si quis credat Deum esse: historiam, quæ de Christo narratur, uerā esse arbitretur. quale est nobis iudicium de ijs, quæ uel olim gesta narrantur, uel ipsi præsentes spectauimus. Hæc uero ut nullius est momenti: ita indigna est fidei appellatione. de qua si quis gloriatur, intelligat eam se habere cum diabolis communem: quibus tamen nihil inde accedit, nisi quòd magis terrentur, tremunt, & consternantur. Altera est, qua non modo Deum & Christum esse credimus: sed etiam in Deum credimus, & Christum. uere ipsum pro Deo nostro, ac Christum pro saluatore agnoscentes. Hoc uero est, non modo uerum reputare id omne, quod de Deo ac Christo uel scriptum est, uel dicitur: sed spem omnem ac fiduciam in uno Deō, ac Christo reponere: hac'que cogitatione sic offirmatos esse, ut de bona Dei erga nos uoluntate nihil dubitemus. ut certo persuasi simus, quicquid nobis necesse est, tum in animæ, tum in corporis usus, ab eō nobis datum iri. ut certo expectemus præstaturum, quicquid de eo scripturæ pollicentur. ut nihil hæsi- Iacob. 2

temus, quin nobis Christus sit Iesus, hoc est, saluator: quin, ut p ipsum peccatorũ remißionẽ ac sanctificationẽ obtinemus, ita salus quoq; data sit: ut tandẽ perducamur in regnũ Dei, quod ultimo die reuelabitur. Atq; hoc quidẽ caput est, & ferè summa eorum omnium, quæ sacro suo uerbo nobis offert ac promittit Dominus. hæc meta, quam nobis in scripturis suis statuit: hic scopus, quem proponit. Verbum ergo Dei, obiectum est & scopus fidei, in quem collimare debet: basisq;, qua fulciatur ac sustineatur,
Rom.10 *sine qua etiam consistere nequeat. Atq; ita nõ aliud est uera hæc fides, quæ demum Christiana uocari potest, quàm firma animi persuasio, qua nobiscum statuimus, tam certam esse Dei ueritatẽ, ut non possit non præstare, quod se facturum sancto suo uer-*
Hebr.11 *bo recepit. Quod Paulus in eius definitione docet: substantiam rerum sperandarum ipsam uocans, argumentumq́; non apparentium. Per substantiam aut hypostasin (ut Græce legitur) quasi fulcrum intelligens, cui innitimur & incumbimus. ac si diceret: fidem ipsam, certam quandam ac securam poßeßionem eorum, quæ nobis à Deo promissa sunt. Rursum, ut significaret ad supremum usq; diem, quo libri aperientur, sublimiora esse, quàm quæ sensu nostro percipi*

percipi, aut oculis spectari, manuue contrectari possint: eaq; interim non aliter poßideri à nobis, quàm si captum omnem ingenij nostri excedamus, ac supra omnia quæ in mundo sunt aciem nostram intendamus, nos deniq; ipsos superemus: Addidit, *securitatem hãc poßidendi esse rerum, quæ in spe iacent, ideoq; non uidentur.* Nam *(ut ipse alibi scribit) spes quæ uidetur, non est spes, nec quis ea quæ uidet, spe rat.* Rom.8 D*um uero indicem aut probationem (nam* Gr*æce est elenchus) appellat, rerum non apparentium: perinde loquitur, ac si diceret, euidentiam non apparentium rerum: uisionem earum, quæ non uidentur: perspicuitatem obscurarum, præsentiam absentium, demonstrationem occultarum.* My*steria enim* Dei*, cuiusmodi sunt quæ ad salutem nostram pertinent, in se, suaq; (ut dicitur) natura cerni non possunt: uerum ipsa in eius duntaxat uerbo intuemur. cuius ueritas sic persuasa esse nobis debet, ut pro facto impletoq; habendum sit, quicquid loquitur.* H*æc fi dei ratio longe à priore diuersa est.* H*anc quisquis habet, fieri non potest quin* Deo *sit acceptus. quemadmodum etiam contrà, nunquam fiet, ut sine ipsa illi quisq́ placeat.* Hebr.11 P*er hanc quicquid optamus à* Deo *ac poscimus, impetramus: quatenus ipse nobis condu-*

 cere pro-

cere prouidet. Hæc uero, nec in obliquo peruersóq; ac simulato corde sedem habere potest: nec inchoari aut conseruari, nisi sola Dei gratia. Hæc ipsa est quam primo legis suæ mãdato à nobis exigit Deus. ubi præfatus, se unum esse Dominũ Deum nostrum, subijcit, Ne habeamus Deos alienos corã se. Id scilicet uolens, ne alibi quàm in se uno spes ac fiducia nostra resideat: quæ sibi uni debeatur. Innuens etiam, si aliò spes & fiducia nostra respiciat, aliũ nobis esse Deum. De hac sermonem instituimus, cui compendiò docendæ conscriptum est Symbolum, quatuor partibus distinctum. quarum tres primæ tribus personis sacræ trinitatis destinatæ sunt, Patri, Filio, & Sancto Spiritui: q est unus Deus noster æternus ac omnipotens, in quem credimus. quarta explicat, quæ ad nos ex ea in Deum fide redeant, quæq; expectanda sint. Quando uero impij quidam, ut fidem nostram ab ipsis radicibus reuellant, circa prima initia obstrepunt, & nos Deum unum in tribus personis cõfitentes ludibrio habent: postulabat hic locus, ut eorum blasphemiæ compescentur. Verum, quia dociles manu ducere, non autem cum pugnacibus et rebellibus manum conserere, hic propositũ est: cum illis nunc instructis copijs non congrediar. Tantum

quid

quid sequendum hac in parte sit, quid cauendum, paucis indicabo: ut habeant qui faciles apertasq; ueritati aures dederint, in quo certo pede consistant. Scriptura unũ nobis Deum tradit, non plures. Israël inquit, Dominus Deus tuus Deus unus est. Eadem tamen & patrem Deum, & filium Deum, & spiritum sanctũ Deum, nihil obscure asserit. Vnum duntaxat argumentum proferemus: sed quod pro mille esse poßit. Paulus hæc tria sic connectit, Deum, fidem, & baptismum: ut ab uno ad alterum ratiocinetur. Vt quia una est fides, ex eo unum esse Deum demonstret: quia unus est baptismus, inde quoq; unam esse fidem ostendat. Cum enim fides non huc atq; illuc circunspicere, neq; per uaria discurrere debeat, sed in unum Deum spectare, in eum conferri, in eo hærere: ex eo facile constituitur, quod si plures sunt fides, plures etiam eße Deos oporteat. Rursum, quia baptismus sacramentum est fidei, ipsius unitatem nobis confirmat, ex eo quòd unus est. Atqui fidẽ profiteri nemo potest, nisi in unum Deum. Ergo ut baptisamur in unam fidem, ita in unum Deum fides nostra credit. Et ille itaq; unus est, & hæc una est, quia utrunq; unius Dei est. Hinc etiam conficitur, ut non nisi in unũ Deum baptisari liceat, quia in eius fidem baptisamur

Deut. 6

Ephes. 4

baptiſamur, in cuius nomen baptiſamur. Iam, cũ ſcri-
Matth. ult. *ptura uoluerit, nos baptiſari in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti, ſimul utiq; uoluit, una omnes fide in patrem, filium, & ſpiritum ſanctum credere. id uero quid alud eſt, quàm clare teſtari patrem, filium, & ſpiritum ſanctũ unum Deum eſſe? Si enim in eorum nomen baptiſamur, in eorũ fidem baptiſamur. Vnus igitur Deus ſunt, ſi una fide coluntur. Extant & alia luculenta teſtimonia, quæ partim unã trium diuinitatem, partim perſonalem diſtinctionem aſſerant. Filio nomen illud, quod Iudæi uocant ineffabi-*
Iere. 23. 33 *le, apud Ieremiam attribuitur. Vnũ igitur æternum illum Deum eſſe oportet, qui alibi negat ſe daturum*
Ieſa. 43 *ſuam gloriã alteri. Et tamen cum dicitur principio fu-*
Ioan. 1 *iſſe apud Deum, patremq; feciſſe per illũ ſecula: præ-*
Hebr. 1 *terea cum ipſe teſtatur, claritatem ſuam ſe habuiſſe*
Ioan. 17 *apud patrem, anteq̃ mundus fieret: diſtinctio oſtenditur. magis etiam perſpicue ex eo, quod non pater*
Ioan. 16 et *ueniſſe, & carnem noſtram induiſſe: ſed filius à pa-*
alibi *tre exiſſe, ut ad nos deſcenderet, & homo fieret, di-*
Zach. 13 *citur. Vtrunq; ſimul apud alterum prophetã expreſſum eſt: ubi pater ſocium uel cognatum ipſum appellat. Non eſt autẽ Deo cognatus uel ſocius, niſi quatenus Deus. Rurſum, ſi ſocius eſt, diſtinctum eſſe oportet.*

oportet: quando non est societas nisi inter duos. Spiritum sanctum diserte Deum esse pronuntiat Petrus in Actis. Aliũ tamẽ esse à Christo, plus decẽ locis ex Ioannis Euangelio constat. Sed omnium clarißime hoc totum mysterium explicauit Paulus, cum spiritum Christi, & spiritum eius qui suscitauit Iesum à mortuis, promiscue uocauit. Si enim unus est patris & filij spiritus, pater & filius unum sint oportet. Rursum, spiritum ipsum unum esse cum patre & filio conuenit, cũ nullus à spiritu suo diuersus sit. Cauillantur quidam se audire Deum spiritum esse: ideo nihil se intelligere per spiritũ, quàm Deum patrem. Sed ut Deum esse spiritũ audiunt, ita etiam audiunt spiritum sanctum esse spiritum Dei. Nihil ergo repugnat, quo minus tota Dei essentia spiritualis sit, & in illa essentia sint, pater, filius, & spiritus. Nec defuerunt qui dicerent, non alia ratione Deũ, nunc patrem, nunc filium, nunc spiritum sanctum nominari: quàm qua & fortis, & bonus, et gloriosus, & misericors appellatur. Sed ij quoq; facile reuincuntur. quod hæc epitheta esse apparet, quæ ostendunt qualis sit Deus: illa nomina, quæ declarant quis uere sit. Vident non cõtentiosi, nec peruicaces, patrẽ, filium, & spiritum sanctum unum esse Deum, quia & pater

Acto. 5

Ioan. 14. 15

Rom. 8

ter Deus, & filius Deus, & spiritus Deus: nec potest nisi unus esse Deus. Rursum, tres nominantur, tres describuntur, tres distinguntur. Vnus itaq;, & tres: unus Deus, una essentia. Qui tres? Nō tres dij, non tres essentiæ. Vtrunq; ut significarent orthodoxi ueteres, dixerunt unam esse οὐσίαν, *tres* ὑποστάσεις: *id est, substantiam unam, tres in una substantia subsistentias. Latini, cū per omnia sensu conuenirent, alterum tantum nomen reddiderunt, in altero quiddā aliud expresserūt. Dixerunt enim unam essentiam (quod nomen Græco illi respondet:) tres uero personas. quo relationem quandā indicare uoluerunt. Oblatrant hæretici, quòd* οὐσία, ὑποστάσεις, *essentia, personæ, conficta sunt hominum arbitrio nomina, nusquam in scripturis lecta aut uisa. Sed cum hoc nobis excutere non poßint, tres dici, qui unus Deus sunt: qualis est istæc morositas, improbare uerba, quæ non aliud explicant, quàm quod scripturis testatum consignatumq; est? Satius foret, inquiunt, non modo sensa nostra, sed uerba etiam intra scripturæ fines continere: quàm exotica uerba spargere, quæ dissensionum ac iurgiorum seminaria futura sint. Sic enim languetur circa uerborum pugnas, sic ueritas altercando amittitur, sic charitas*

dissoluitur

dissoluitur. Si uerbum exoticum appellant, quod totidem syllabis compositum in scriptura ostendi non posit, iniquam sanè legem nobis imponunt: qua damnantur omnes conciones, quæ scripturæ cõtextu non cõsarcinantur. Sin exoticum illis est, quod curiose excogitatũ superstitiose defenditur: qđ ad con tentionẽ magis q̃ ad ædificationẽ ualet: qđ uel impor tune, uel nullo fructu usurpatur: quod sua asperitate pias aures offendit: quod à uerbi Dei *simplicitate ab strahit: eorũ sobrietatẽ toto animó amplector.* Non *enim minori religione de* Deo *nobis loquendũ, q̃ co gitandum sentio. quando, & quicquid de eo à nobis cogitamus, stultum est: & quicquid loquimur, insulsum* Est *tamen modus aliquis seruãdus. petenda certe est ex scripturis, & cogitandi & loquendi regula. ad hanc amusim, & mentis cogitationes omnes, & oris uerba exigenda sunt. Sed quid uetat, quominus, quæ captui nostro perplexa in scripturis impeditaq; sunt, ea uerbis planioribus edisseramus? quæ tamen religiose & fideliter ipsius scripturæ ueritati ser uiant, & parce modesteq;, nec citra occasionẽ usur pentur.* Occurrunt *quotidiana exempla. Sæpe de fidei iustitia disputatur: pauci assequuntur, quomodo fiamus iusti fide.* Addamus *hanc esse* Christi *iustitiam,*

tiam, non nostram: in ipso, non in nobis sitam: sed imputatione nostram fieri, quoniam accepta nobis fertur. Ita non uere nos esse iustos, sed imputatiue: uel nō esse iustos, sed pro iustis imputatione haberi, quatenus Christi *iustitiam per fidem poßidemus, res plana erit & expedita.* Dicitur Deus *in reprobis operari, quorū opera damnata sunt. difficilis & inuoluta quæstio.* An Deus *autor sit peccati? an malū* Deo *sit imputandum? an iniustitia opus eius censeri debeat? Subijciamus, in eodem facto respiciendum peruersi hominis, ac iusti* Dei *opus.* Hominem *reprobum, mali radicem in se habere fixam, à se malum cogitare, à se uelle, à se conari, à se perpetrare. Ideo illi imputandum, quicquid in opere mali ac culpæ est.* Q*uia consilio, uoluntate, facto, contrà* Deum *nititur.* Deum *uero, malam uoluntatem, ac malum conatum, quo uult inflectere, nunc coërcere ac moderari: nūc successum dare, & uires addere. sed omnia iuste. Sic* Pharao, Nabuchadnezer, *Sennacherib, contra* Deum *uiuentem belligerabantur, potentiam eius ridebant: populum, quantum in se erat, immerentem persequebantur: uiolenter, nullo iure, irruebant*
Exod. 9 *in alienam poßeßionem.* Deus *autē eos omnes exci*
Iere. 5 *tauerat, ut hæc omnia perpetrarent: sed iam male*

uolentes,

uolentes, & male cogitantes: aut potius malam eorum uoluntatem, & malũ conatum, in Israëlem conuerterat, & faciebat inualescere: nunc ut populi sui impietatem ulcisceretur, nunc ut liberationem faceret magnificentiorẽ. Sic afflictio Iob, opus erat Dei Iob 1. &
& diaboli. & tamen diaboli iniustitiam à Dei iustitia distinguere conuenit: quod ille perdere conabatur, Deus autem exercebat. Sic Assur erat uirga furoris Domini, Sennacherib securis manus eius: oẽs Iesa. 10
ab eo uocati, suscitati, impulsi, deniq; eius ministri. Sed quid? dum efferatæ suæ libidini obsequebantur, Iere. 27
iustitiæ Dei inscij seruiebant. En Deus, & illi, eiusdem operis autores. sed in eodem opere elucet Dei iustitia, eorum iniquitas. Hac distinctione implicitus ille nodus dissoluitur: si quis interpellet & fremat non probari sibi distinctiones, quia suas rixas distinctiunculis Sophistæ farciũt. quis talem importunitatem non oderit? Si quis uerborum nouitatem reprehendat, nónne merito iudicetur lucem ueritatis indigne ferre? ut qui tantum hoc reprehendat, ueritatem planam ac dilucidam reddi. Huiusmodi autem uerborum nouitas (si ita appellanda est) tum potissimum usu uenit, dum aduersus calumniatores asserenda est ueritas, qui tergiuersando ipsam eludunt. Quod hodie plus

die plus satis experimur, quibus plurimum est negotij in expugnandis ueritatis hostibus: adeo obliquo & uolubili flexu lubrici isti angues effugiunt, nisi fortiter premantur, & deprehensi urgeantur. Sic ueteres uarijs prauorum dogmatũ certaminibus exagitati, coacti sunt exquisita perspicuitate edisserere, quid sentirẽt, ne obliqua subterfugia impijs relinquerent: quibus uerborũ inuolucra, errorũ erãt latebræ. Arrius fatebatur Christũ Deum, & filiũ Dei: quia euidentibus scripturis reluctari non poterat. & quasi probe defunctus, consensum aliquem cum alijs simulabat. At interim non desinebat iactare, Christũ creatum esse, & initium habuisse, ut reliquas creaturas. Quo flexilem hominis uafritiem è latebris extraherent ueteres, ultra progreßi sunt, & declararũt Christum æternum patris filium, patriq; cõsubstantialem esse. Hic efferbuit Arrianorum impietas, dum nomẽ ὁμοουσίου peßime odisse, & execrari cœperunt. Quòd si principio, Christum confeßi essent syncere & ex animo, Deum, non inficiati essent patri esse cõsubstantialem. Quis probos illos uiros insectari audeat, quasi rixatores & cõtentiosos, quòd ob uoculam unam tanto disceptandi feruore incaluerint, & ecclesiæ quietem turbauerint? At uocula

illa

illa distinguebat inter puræ fidei Christianos, & sacrilegos Arrianos. Surrexit postea Sabellius, qui patris, filij, & spiritus sancti nomina uana esse disputabat: nec distinctiōis alicuius causa posita, sed diuersa esse Dei attributa. cuiusmodi plurima habentur. Si in certamē uentū esset, fatebatur se credere Patrē deū, Filiū deū, Spiritū deū: sed postea elabebatur, nihil se aliud dixisse, q̃ si Deum fortem & iustum & sapientem uocasset. Itaq; recinebat aliam cantilenā, patrem esse filium, & spiritum sanctum esse patrem, nullo ordine, nulla distinctione. Ii, quibus tum pietas cordi erat, ut hominis improbitatem frangerent, contrà reclamabant, uere agnoscendas esse in Deo uno tres proprietates. Et, ut se simplici ueritate aduersus tortuosas uersutias munirent, affirmarūt uere in uno Deo tres personas subsistere, seu (quod idem erat) in Dei unitate subsistere personarum trinitatem. Si ergo temere non sunt inuenta nomina, temere repudiantur. Vtinam sepulta essent: constaret hæc modo inter omnes fides, patrē, filiū, et spiritū sanctū unum esse Deum. nec tamen aut filium, patrem esse: aut spiritum sanctum, filium: sed proprietate quadam esse distinctos. Verum ubi occurrendum est, ex una parte Arrianis, ex altera Sabellianis: qui utrisq; tergiuer

ſandi anſam præcidi ſtomachantur, nonnullam ſuſpi tionē inijciunt, uel Arrij ſe eſſe diſcipulos, uel Sabellij. Dicit Arrius *Chriſtū eſſe deū, ſed muſsitat factū eſſe, & initiū habuiſſe. dicit unū cum patre, ſed clam in ſuorū aures inſuſurrat, unitum ut reliquos fideles, quanq̃ ſingulari prærogatiua.* Dic *conſubſtantialē, detraxeris uerſipelli laruā, & tamen nihil addis ſcripturis.* Dicit Sabellius, *patrem, filium, & ſpiritum ſanctū nihil in* Deo *diſtinctū ſonare.* Dic *tres eſſe, uociferabitur te nominare tres deos.* Dic *in una* Dei *eſſentia perſonarum eſſe trinitatem: dixeris uno uerbo quod ſcripturæ loquuntur, & inanem loquacitatem compreſſeris.* Et *ſi hæc nomina non ferunt, concedat ſaltē nobis, quod inficiari, uel ſi rumpantur, non poſſunt: cum unum audimus, intelligendam eſſe ſubſtantiæ unitatem: cum tres audimus, in una hac eſſentia diſtinguendas tamen tres proprietates.* Siquidem *ita eas ſcriptura diſtinguit, ut* Patri *principium agendi rerumq́; omnium fontem & originem attribuat:* Filio, *ſapientiam & conſilium agendi aſsignet: ad* Spiritum, *uirtutem efficaciamq́; actionis referat.* Vnde *& filius uerbū patris dicitur: non quale homines loquuntur aut cogitant, ſed æternum & incōmutabile, ineffabili modo à patre emergens.*

ut ſpiri

ut ſpiritus ſanctus uirtus, digitus, potentia nuncupatur. Nunc ſimplicẽ ueritatis confeſſionẽ audiamus.

PARS SYMBOLI PRIMA.

CRedo in Deũ patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Qua profitemur, nos fiduciam habere omnem in Deo patre fixã: quem & noſtrũ, & omniũ omnino rerum, quæ creatæ ſunt, creatorẽ agnoſcimus. quas uerbo & æterna ſua ſapientia (qui filius eſt) & ſua Pſal. 3
uirtute (qui ſpiritus ſanctus eſt) condidit. Atq; ut Pſal. 10
ſemel condidit: ita nunc ſuſtinere, fouere, agere, con Acto. 1
ſeruare, bonitate ac uirtute ſua: citra quam omnia ſta Hebr. 1
tim collapſura eſſent, & in nihilũ abitura. Cum uero omnipotentem & rerum omnium creatorem appellamus, talem eius omnipotentiam, qua omnia operatur in omnibus: talemq; prouidentiam, qua omnia 1. Cor.
moderatur, cogitare oportet. non qualem illi Sophiſtæ affingunt, inanem, ſopitam, ocioſam: ut fide per- Thre.
ſuaſum habeamus, quæcunq; nobis accidunt, læta iuxtà ac triſtia, proſpera ac aduerſa, ſiue ad corpus illa, ſiue ad animam pertineant, ab eo nobis euenire:

(excepto duntaxat peccato quod nequitiæ nostræ
Osee.13 imputari cõuenit, eius etiam præsidijs nos tuto pro-
tegi, defendi ac seruari, ne qua uis inimica noceat.
Rom.8 nihil deniq; (cum omnia ex eius manu suscipiamus)
ab eo nobis euenire, quod non in rem nostrã condu
cat: ut ut res nunc prosperæ, nunc aduersæ uulgo ui
deantur. Atq; hæc quidem omnia nobis ab eo fieri,
non aliqua nostra dignitate, non merito aliquo, cui
hanc gratiam debeat. non quòd remunerari eius be-
Roma.11 neficentiam mutua uice ualeamus: sed paterna beni-
gnitate ac clementia. qua ut nobiscũ sic agat, in cau-
sa sola est eius bonitas. Quamobrem danda opera,
ut gratiarum actionem tantæ bonitati referamus, il-
lam cum animis nostris reputemus, illam lingua præ
dicemus, &, quibus possumus, laudibus tollamus. Ta
lem patrem grata pietate ardentiq; amore sic cola-
mus, ut nos totos eius obsequio deuoueamus, illum
in omnibus honoremus. omnia, aduersa quoq;, æquis
placidisq; animis, quasi ex eius manu, suscipiamus:
cogitantes eius prouidentiam sic quoq; nobis ac salu
ti nostræ prospicere, dum affligit & tribulat. Itaq;
quicquid tandem accidat, nunquam ambigendũ aut
diffidendum erit, eum nos habere propitium ac bene
uolentem, salusq; ab eo nihilominus expectanda. Est
enim

enim certißimum ac uerißimum, hanc esse rectam fidem. quam ut quisq; habeat, hac prima Symboli parte docemur.

SECVNDA.

Et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum. qui conceptus est è spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris: inde uenturus ad iudicandum uiuos & mortuos.

Qua cõfitemur nos credere in Iesum Christum: quem persuasum habeamus, unicum esse Dei patris filium. non ut fideles, adoptione duntaxat & gratia: sed naturalem, & ab æterno ex patre genitum. Sic enim à cæteris omnibus ipsum discernimus, dũ unicum uocamus. Vt, quatenus Deus est, sit unus cum Psal. 10[illegible]
patre Deus, eiusdem naturæ ac substantiæ seu essentiæ: non aliter, quàm persona distinctus, quam propriam ac distinctam à patre habet. Quicquid autem est humanæ sapientiæ, hic submitti ac uelut captiuũ teneri decet. nihilq; aut curiose argutando, aut hæsi-

tando huiusmodi mysteria adorari, quæ omnem humani sensus captum longe superãt. Ac ne quicquam hac in parte aut animo concipiamus, aut sentiamus, aut loquamur, quàm scripturis docemur, terreãt nos hæreticorũ exempla: qui in præceps deturbati sunt, dum sensu suo abundare uolũt. Quando igitur Deus filius, unus atq; idem cum patre Deus est, habemus
Hebr. 1 *uerum esse Deum creatorem cœli & terræ. Atq; ut fiduciam omnem in patre constituimus: ita & in filio constituenda est, cum unus sit Deus. Quod autem hic peculiariter cœli ac terræ creator pater dicitur, in causa est ea, quam antè diximus, proprietatum distinctio, qua ad patrem agendi principium refertur: ut ipse quidem proprie agere dicatur, sed per uerbum ac sapientiam suam, sed in uirtute sua. Cæterum communem trium personarum actionem fuisse*
Gene. 1 *in creando mundo, planum facit uox illa patris, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. qua non cum angelis deliberat, non seipsum alloquitur, sed sapientiã suam & uirtutem aduocat.*

Præterea cõfitemur nos credere, ipsum nostra causa, ut nos à diaboli tyrannide solueret, cui obnoxij eramus: à uinculis peccati, quibus astricti tenebamur: à seruitio mortis & corporis et animæ, in quod

detrusi

detrusi eramus: ab æternis pœnis, quibus eramus addicti (cũ hinc exolui ac extricari facultatis nostræ nõ esset:) diuina benignitate ac misericordia à patre missum, ad nos descendisse, ut carnem nostram indueret, quam suæ diuinitati coniunxit. Sic enim nostra referebat, uerum esse Deum & hominem, eum, qui mediator noster futurus esset. Cum enim omnia Iesa. 59
dißipata essent, cum peccata nostra opposuissent nubem inter nos & Deũ nostrũ, quis ad eũ pertingeret? Homó ne? Atqui omnes cũ parente suo Adam ad Gen. 3
cõspectũ Domini horrebant. Angelus? Atqui etiam Ephes.
illi opus habebant capite, in quo Deo suo cohærerent. Coloss.
Quid igitur? Deplorata res erat, nisi maiestas ipsa Dei ad nos descenderet, quando ascendere nostrum non erat. Ita Dei filius, factus est nobis Immanuël, id est, nobiscũ Deus. Iesa. 7
Rursum cum modis omnibus nostra humilitas cum Dei maiestate dißideat, quis satis confidere ausus etiamnum esset, Deum sibi propinquum esse, secum habitare, sibi adesse? Nondum igitur satis propinqua uicinitas, nondum satis firma affinitas: nisi, ut suam nobis diuinitatem adiunxerat, ita nostram quoq; humanitatem suæ diuinitati adiungeret. Ita Paulus, cum eum nobis mediatorem proponeret, nominatim dixit hominem. Media- 1. Cor.

tor, inquit, Dei & hominum, homo Iesus Christus. Poterat Deū dicere, poterat saltē & hoc nomen, ut Dei nomen, omittere: sed infirmitatem nostram nouerat. Ne quis itaq; se torqueret, ubi ille quærendus mediator, quomodo ad ipsum perueniretur: continuo addidit, Homo est. ac si diceret, uobis propinquus est, imò contiguus, caro uestra est. Id scilicet designare uolens, quod alibi significantius explicauit:
ebr. 4 *Non esse nobis pontificem, qui nō poßit compati infirmitatibus nostris, quando more nostro sit, absq; peccato, per omnia tentatus. Non erat res uulgaris, quæ mediatori præstanda erat: ut ex filijs hominum, filios Dei faceret. ex hæredibus geennæ, cœlestis regni hæredes. Quis hoc poterat, nisi filius Dei, filius hominis fieret? & sic nostrum acciperet, ut suum ad nos transferret? quod suum erat natura, nostrum faceret gratia? Hæc ergo spes nostra est, quòd filij Dei sumus: quia naturalis Dei filius, sibi corpus ex corpore nostro, carnem ex carne nostra, ossa ex oßibus nostris composuit, ut idem nobiscum esset. quod nobis proprium erat, ad se pertinere uoluit: ut, quod sibi proprium erat, ad nos pertineret. & ita in cōmune ipse nobiscum & filius Dei esset, & filius hominis. Hæc spes nostra est, quòd hæreditas*

ditas regni cœlestis nostra sit: quia unicus Dei *filius, cuius solida erat hæreditas, nos sibi fratres adoptauit quòd si fratres, ergo & hæreditatis participes.* Præ*terea sic nostra referebat, uerum esse* Deum *&* ho*minem, qui redemptor noster futurus esset.* Eius erat *mortem absorbere. quis hoc poterat, nisi uita?* Eius *erat peccatum uincere. quis hoc poterat, nisi ipsa iustitia?* Porrò *quis aut uita est, aut iustitia, nisi solus* Deus? *Sese ergo clemētissimus* Dominus *redemptorem nostrum fecit, dum nos redemptos uoluit.* Alte*rum hoc redemptionis nostræ caput erat: ut homo, qui sese sua inobedientia perdiderat, suam confusionem obedientia tolleret: ut iustitiæ* Dei *satisfaceret, ut pœnas peccati persolueret.* Prod*ijt ergo uerus homo,* Dominus *noster.* Adæ *personam induit, nomen assumpsit, ut patri se obedientem pro eo exhiberet, ut carnem nostram in satisfactionē iustitiæ* Dei *statueret, ut in carne nòstra peccati pœnam persolueret.* Qui *ergo* Christum *sua aut diuinitate, aut humanitate spoliant, illius quidem uel maiestatem blasphemant, uel bonitatem obscurant: sed non minus fidem nostrā labefactant & euertunt, quæ, nisi hoc fundamento stare non potest.* Verbum *itaq; caro factum est: &* qui Deus erat, *simul etiam* homo *factus est.* Rom. 5

ctus est, ut unus sit idem, & homo & Deus: *nõ confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Id hominis *exemplo intelligi potest, quem uidemus duabus partibus constitutum: quarum neutra tamen sic alteri permixta est, ut non retineat naturæ suæ proprietatem.* Neq; *enim, aut anima corpus, aut corpus anima est.* Q*uare & de anima seorsum dicitur, qd' in corpus nullo modo cadere potest: & de corpore rursus, quod nulla ratione animæ conueniat. de toto homine, quod nec de anima seorsum, nec de corpore nisi inepte accipi poßit. postremo animæ propria ad corpus transferuntur, & corporis propria ad animam.* Q*ui tamen ijs constat, unus homo est, non plures.* H*uiusmodi uero loquendi formulæ, & unam esse in homine naturam, ex duabus connexis compositam, significant: & duas diuersas subesse naturas, quæ hanc componant. Sic & de* C*hristo scripturæ loquuntur. attribuunt illi interdum, quæ ad humanitatem singulariter referri oporteat: interdum, quæ diuinitati peculiariter competant: nonnunquam, quæ utramq; naturam complectantur, neutri seorsum satis conueniant. postremo, & per idiomatum communicationem ipsius diuinitati aßignant, quæ humanitatis propria erant: & humanitati, quæ ad diuinitatem spe*

tem spe

tem spectabant. Horum nihil meum est: sed plana exempla in scripturis extant. Quod de se ipse dicebat Christus: Antequam Abraham fieret, ego sum: ab eius humanitate longe alienum erat. Non enim homo factus est, nisi multis post Abrahamum seculis. Id ergo peculiare erat diuinitatis. Quod seruus patris uocatur, quod creuit ætate & sapientia apud Deum & homines, quod gloriam suam non quæsijt; solius humanitatis fuit. Siquidem quatenus Deus est, æqualis est patri: nec augeri ulla re potest, & omnia propter semetipsum operatur. Nec diuinitatis singulare, nec humanitatis fuit, sed utriusq; simul: quod potestatem accepit à patre remittēdi peccata, suscitandi mortuos, quod iudex constitutus est uiuorum & mortuorum. Huiusmodi enim prærogatiuis præditus fuit filius Dei, cū in carne manifestatus est. quas & ipse una cum patre, ante mundi constitutionem possidebat: & quæ homini, qui nihil esset quàm homo, dari non poterant. Istius formæ permulta sunt in Euangelio Ioannis. quæ nec diuinitati, nec humanitati bene conueniant: Christi personæ, in qua Deus & homo manifestatus est, optime congruāt. In hunc quoq; sensum accipiendū est quod legitur apud Paulum, Christum redditurum regnum Deo & patri.

Ioan. 8 · Iesa. 53. 4 · Luc. 2 · Ioan. 8 · Philip. 2 · Luc. 5 · Ioan. 5. 6 · Acto. 10 · 1. Cor. 15

Non

Non enim regnum filij Dei, quod initium nullum habuit, finem habiturum est. sed, quomodo post suam abiectionē, gloria & honore coronatus est, & constitutus super omnia: quomodo, postquā semetipsum exinaniuit, & patri obedientē se ad mortē praestitit,
Philip. 2 *exaltatus est, & nomē accepit, in quo genu omne flectatur: ita tum & nomen ipsum, & quicquid à patre accepit, patri subijciet: ut sit* Deus *omnia in omnibus*. Communicatio *autem idiomatum siue proprietatum est, quod* Paulus *dicit* Deum *suo sanguine ac-*
Acto. 20 *quisijsse sibi ecclesiam, &* Dominum *gloriae cruci-*
1. Cor. 2. *fixum.* Deus *enim proprie sanguinem nō habet, nec patitur*. Sed *quia uerus* Deus *& uerus homo* Christus *sanguinē suum crucifixus pro nobis fudit: quae in eius humanitate peracta sunt, ad diuinitatē transferuntur.* Rursum, *cum* Christus *diceret, neminem*
Ioan. 3 *in coelum ascendisse, nisi filium hominis qui in coelo esset: certe tū non erat in coelo corpore, quod assumpserat. sed quia ipse idem, erat* Deus *& homo, propter naturarum unitatem, uni dabat, quod alterius erat.* Haec *pluribus persequor, propter eos qui nulla ratione adduci possunt, ut in una* Christi *persona utriusq; naturae proprietates obseruent*. Ita Christū *fatentur* Deum, *& hominem, & filium* Dei. Verum *si pro-*

ſi proprius inſtes, animaduertes non aliter Deum & Dei filium ab illis dici, quàm quia conceptus eſt ex ſpiritu ſancto, in utero uirginis. qualiter olim Manichæi nugabantur, hominem ex traduce Dei animam habere, quia legebant Deum illi inſpiraſſe ſpiraculum uitæ. Atque in erroris ſui patrocinium tumultuoſe urgent, quòd dicitur Deus proprio filio non peperciſſe: quòd illum ipſum, qui è uirgine naſceretur, filium altiſsimi uocari angelus præcepit. Neq; ſanè duos Chriſtos facimus: ſed ſimpliciter profitemur eum, qui filius erat æternus Dei, carnẽ noſtram induiſſe. ſic ut unus idemq́; Chriſtus, Deus ſit & homo ſed unitis, nõ confuſis naturis. Verum ne adhuc ſuperbiant futili ſua obiectione, qua pugnant, Chriſtum eſſe filium Dei ſecundum humanitátem duntaxat: quia is, q̃ è uirgine natus eſt homo, paſſusq́; eſt, non alius, Dei filius uocatur: diſcant rationẽ loquendi ſcripturæ, ex uno prophetæ loco, apud quem ſic Dominus loquitur. Et tu Bethleem Ephrata, paruula es in milibus Iuda. ex te mihi naſcetur dux, qui regat populum meum Iſraël. & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. Audiũt ne eius ipſius Chriſti, qui in Bethleem naſcitur, egreſſum eſſe à diebus æternitatis? Atqui, ſi in illam dierum æternitatem intuemur,

Mich. 5

tuemur, nondum Christus erat. Verum istud qui-
Hebr.1 dem: sed filius Dei erat, qui postea factus est Chri-
stus. Sic autor epistolæ ad Hebræos: Proximis, in-
quit, diebus locutus est nobis Deus in dilecto filio
suo, quem constituit uniuersorũ hæredem, per quem
secula etiam fecit. Certe filium esse oportebat, anteq̃
homo fieret, si per eũ facta sunt secula. quin & col-
Ioan.1 ligere hinc licet, uerbum Dei esse filium Dei. Nam
quod Ioannes inquit, per uerbum facta esse omnia:
Apostolus ait, per filium. Paulus quoq; adeo perspi-
cue distinguit utramq; appellationem, filij Dei & fi
lij hominis, ut adhuc refragari, non modo cæcitatis,
Rom.1 sed obstinationis fuerit. Primum, dum se ait segre-
gatum esse in Euangelium Dei, quod antè promise-
rat per prophetas, de filio suo, qui factus fuit ex se-
mine Dauid, secundũ carnem, declaratus filius Dei
in uirtute. Cur secundum carnem distincte notaret
esse filium Dauid, nisi uellet innuere filium Dei, non
Rom.9 secundum carnẽ? Alibi: Ex quibus, inquit, est Chri-
stus, secundum carnem, qui est Deus benedictus in
secula. An quicquam uolunt apertius, quàm Chri-
stum uocari Abrahæ semen secundum carnem: cæ-
terum, ultra carnem esse Deum benedictum in secu
la? Rursum id testatum uolo, Nos non negare unum
Christum

Christum, uerum esse Deum, & hominem: nec diuinitatem eius ab humanitate per hæc diuelli, sed distingui. Hæc pulchre cõueniunt, si sobrium habent interpretem, qui tanta mysteria, qua decet religione, tractet. Nihil est autem quod furiosi & phrenetici spiritus non perturbent. Arripiunt attributa humanitatis, ad tollendã diuinitatẽ: diuinitatis, ad tollendã humanitatẽ. quæ uero de utraq; natura sic cõiũctim dicta sunt, ut neutri cõueniant, ad tollendã utramq;. Hoc uero quid aliud est, q̃ contendere Christũ non esse hominẽ, quia Deus est? nõ esse Deũ, quia homo est? nec hominẽ, nec Deum esse, quia et homo simul & Deus est? Ergo Christus, præter id quod Deus est, assumpta uera carne homo factus est. Hunc Luc. 1
ut sic uoce patris & cælesti oraculo appellatus est, ita uere esse Iesum credimus. hocq; nomen, nõ aliud, datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri. Credimus & Christum ipsum esse: hoc est, omnibus sancti spiritus gratiis perfusum. quæ oleum ideo dicuntur, quòd sine his aridi & steriles tabescimus. sicq;, ut spiritus super ipsum requieuerit, ac sese totum in eum effuderit: ut de plenitudine eius omnes accipiamus, quicunq; simus per fidem eius consortes ac participes. hac deniq; unctione constitutum esse à pa-

Acto. 4
Psal. 45 8
Iesa. 11. 61
Ioan. 1

Psal.2 *tre regem, qui omnem sibi potestatem in cœlo & in terra subijceret: ut in ipso reges essemus, imperium habentes supra diabolum, peccatum, mortem & in-*
1. Pet.2 *feros.* Deinde *sacerdotem, qui suo sacrificio patrem*
Apocal.1 *nobis placaret ac reconciliaret: ut in ipso sacerdotes*
Psal.110 *essemus: ipso intercessore ac mediatore, patri preces,*
Hebr.5.13. *gratiarum actiones, nosmetipsos, & nostra omnia offerentes.* Itaq; & Dominum *unicum esse ipsum agnoscimus, ut nobis à patre præfectus est.* Hunc
Rom.12 *mirabili, nobisq; inenarrabili spiritus sancti uirtute,*
Luc.1.2 *conceptum esse hominem credimus, in utero sacræ uirginis: ex qua natus homo mortalis, salutem nostrã, cuius causa uenerat, ut perficeret, corpus suum in miserrimam mortem tradidit, ac suum sanguinem in redemptionis precium effudit.* Passus est *autem sub* Pontio Pilato, *iudicis scilicet sententia damnatus, pro nocente & malefico: ut apud summi iudi-*
Deut.21 *cis tribunal, eius damnatione absolueremur.* Cruci-
Gal.3 *fixus, ut in cruce, quæ* Dei *lege maledicta fuerat, maledictionem nostram sustineret, quam peccata no-*
Ose.13 *stra merebantur.* Mortuus, *ut morte sua mortem uin*
1. Cor.15 *ceret, quæ nobis imminebat: ac absorberet, à qua*
Hebr.2 *absorbendi eramus.* Sepultus, *ut per eius gratiam pec*
Rom.6 *cato sepeliamur: à diaboli et mortis imperio liberati.*

Quod

Quod uero ad inferos descendit, id significat, af- Psal. 22
flictum à Deo *fuisse, ac diuini iudicij horrorem & * Iesa. 53
seueritatem sensisse: ut iræ Dei *intercederet, ac eius iustitiæ, nostro nomine, satisfaceret. ita debitas soluens ac luens pœnas, non suæ (quæ nulla unq̃ fuit) sed nostræ iniquitati.* Neq; *tamen intelligendum est, patrem illi unquam iratum fuisse. Quomodo enim di* Matth. 3
lecto filio, in quo illi complacitũ est, irasceretur? aut quomodo ipse patrẽ sua intercessione placaret, quem infensum haberet? Sed *hoc sensu dicitur diuinæ seueritatis grauitatẽ sustinuisse, quoniam manu* Dei *percussus & afflictus, omnia irati & punientis* Dei *signa expertus est. ut coactus fuerit, urgente angustia, exclamare.* Pater: *pater, ut quid me dereliquisti?* Matth. 27
Id *sanè dicitur, ipsum descendisse ad inferos: non autem in locum aliquem certum (cui lymbi nomen confictum est) commigrasse, quo patres, qui sub ueteri testamento uixerant, ueluti carcere clausi tenerentur, ibi in uinculis ac captiuitate redemptionẽ suam expectantes: ac eius loci fores ui perfregisse, ut ipsos inde eximeret.* Hæc *enim fabula, tametsi magnos autores habet, & hodie quoq; à multis serio pro ueritate defenditur, nihil tamẽ quàm fabula est.* Neq; *in eum sensum accipi debet* Petri *locus, quem semper* 1. Pet. 3

obtrudunt, *qui eam tueri uolunt: Quod* Christus, *ſpiritu ueniens prædicauerit his, qui in carcere erant ſpiritibus.* Hoc *enim tantum uoluit* Petrus, *uirtutem redemptionis per* Christum *partæ, exhibitã & planè manifeſtatam eorum ſpiritibus, qui ante id tempus defuncti fuerant.* Fideles *enim, qui ſuam ab illo ſalutem ſemper expectauerant, tunc planè & præſenti aſpectu perſpexerunt eius uiſitationem.* Contrà, *reprobi ipſum unicam eſſe ſalutẽ ſero percipientes, à qua excluſi eſſent, nullam ſibi ſpem reſiduam tunc planius agnouerunt.* Quod *autem* Petrus, *nullo diſcrimine, pios ſimul & impios in carcere fuiſſe ait: non ita accipiendum, quaſi pij anguſtijs quibuſdam uincti clauderentur: uerum quia obſcure, & ſub nubium umbris,* Christum *eminus conſpiciebant nondum exhibitum.* Hanc *eorum anxiam expectationem, quodam ſchemate, carcerem appellat.*
Luc.16 Porrò *ſcriptura teſtificatur, tũ in ſinu* Abrahæ *eos*
Apoc.6 *fuiſſe, ut nunc etiam ſunt: hoc eſt, in requie ac tranquillitate, quæ ſit ipſis beatitudinis initiũ.* Intelligunt *enim ſe uiuere in* Deo. *& illi inſeparabiliter hærere.* Quo *ſenſu eximiam conſolationem accipiunt, expectãtes beatæ reſurrectionis diem.* Quanquam *autem hæc particula de deſcenſu ad inferos, à nõnullis*

omiſſa

omiſſa eſt, minime tamen eſt ſuperflua, utpote quæ rerum maximarum maxima myſteria continet. Præterea, credimus tertia die ſuſcitatum ex mortuis: hoc eſt, ex eadem morte, qua cæteri homines naturæ lege defunguntur. Atq; in uitam reſurrexiſſe, uerum hominem, non iam tamen mortalem: ſed incorruptum, corporeq; & anima receptis glorificatum. Hancq; eſſe reſurrectionis eius uirtutem, ut iuſtificati ſuſcitemur per eam à morte peccati, in uitæ nouitatē ac iuſtitiā. Simul, ut ſecuri ſimus, omnes olim homines, qui eandem mortem obierunt, ſuſcitandos. Quoniā eius reſurrectio, certiſſima eſt fides & hypoſtaſis reſurrectionis hominū. Credimus in cœlum aſcendiſſe: quo aſcenſu aditum regni cœlorum, qui in Adam omnibus clauſus fuerat, nobis aperuit. Siquidem cœlum in carne noſtra, quaſi noſtro nomine, ingreſſus eſt, ut iam in ipſo per ſpem cœlum poſſideamus: adeoq; inter cœleſtes quodāmodo ſedeamus. Credimus item illic, qualis in carne manifeſtatus eſt, ſedere ad dexteram patris. Quo ſignificatur, conſtitutum ac declaratum regem, arbitrum, ac dominum ſuper omnia: nulla creaturæ exceptione, quæ non eius dominio ſubiecta fuerit. quo, ſua uirtute, nos ſpiritualibus donis ditaret. Itaq; nos ſancti-

Rom. 6 1. Cor. 1 Acto. 1 Ioan. 14 Hebr. 2 Epheſ. 1. Cor. Hebr. 1 Epheſ.

ficat, ac peccatorum sordibus expurgat, gubernat, ac deducit, donec ad sese pertingamus, per mortem: quae finem quidem nostrae imperfectioni, initium uero afferet beatitudini, quam in ipso obtinebimus. Vt regnum eius & gloria, nostrum sit robur, uirtus, ac aduersus inferos gloriatio. Nec sine magno nostro
Hebr. 7. 9 bono apud patrem nunc est. quin potius, ut nobis
Rom. 8 ad eũ accessum praebeat, ac uiam sternat, nos illi of-
1. Ioan. 2 ferat, gratiam nobis ab eo impetret, illum perpetuus pro nobis aduocatus ac mediator interpellet, illi pro nostris offensis intercedat, illumq; nobis assidue reconciliet. Itaq; quanquam in coelum sublatus, corporis sui praesentiam è conspectu nostro sustulit: non tamen auxilio ac potentia desinit adesse suis fidelibus, manifestamq; praesentiae suae uirtutem ostendere.
Matth ult. Quod etiam pollicitus est: Ecce, inquit, uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Postremo, credimus ipsum uisibili forma inde descensurũ, qualis
Acto. 1 ascẽdere uisus est: supremo scilicet die, quo omni-
Matth. 24 bus simul apparebit, cum ineffabili regni sui maiestate, iudicaturus uiuos & mortuos. hoc est, tum, quos
1. Thess. 4 dies ille superstites deprehendet: tum, qui iam antea
Matth. 16 morte sublati fuerant. ac mercedem omnibus redditurus, secundum opera sua: ut se quisq; fidelem suis

operibus,

operibus, aut infidelem probauerit. Quando itaq; totam ſalutis noſtræ ſummam, ac omnes etiam partes in Chriſto comprehenſas uidemus, cauendum, ne uel minimam ſalutis noſtræ portiunculam alibi repoſitam arbitremur. Nā in ipſo ſolo cœleſtes omnes theſauri ſunt reconditi. Vnde quicquid boni expeti poteſt, ad ſatietatem hauriant, qui tota expectatione ab eo uno pendēt. Hæc ſiquidem haud dubie omnia, quæ antè ſcripta ſunt, ſi nobis ab eo præſtantur, qui cunq; ipſa ex eius uerbo certa fide expectamus, nulla prorſus ullius boni pars abeſſe nobis poterit.

TERTIA.

Credo in ſpiritum ſanctum.

Vbi confitemur, nos credere ſpiritum ſanctum, uerum cum patre ac filio Deum eſſe, tertiam perſonam ſacroſanctæ trinitatis, patri & filio conſubſtantialem ac coæternum, omnipotentē, omniumq; creatorem. Sunt enim perſonæ tres diſtinctæ, una eſſentia: ut dictum eſt. Quæ, ut alta ſunt atq; abdita myſteria, ita adorari magis quàm excuti oportet. quando neq; ad ingenij noſtri, neq; ad linguæ rationem ac modulos exigi, aut debent, aut queunt. Quare, ut fiduciam omnem in Deo patre, ac unico eius filio repoſitam habemus, ita & in ſpiritu ſancto habeamus.

mus. Siquidem unus cum patre & filio eſt Deus no
Rom.8 *ſter. Perſuaſi, non alium eſſe nobis ad patrem ducto*
Ephe.2 *rem ac directorem, quàm ſpiritum ſanctum: quemad*
1. Cor.12 *modum non alia eſt uia, quàm Chriſtus. nihil nobis gratiæ à Deo eſſe, quàm per ſpiritum ſanctum. cũ gratia, ipſa ſit ſpiritus uirtus atq; actio: per quam Deus pater, in filio, quicquid usq̃ eſt boni, operatur: per quam agit, ſuſtinet, uegetat, ac uiuificat omnia. per quam nos iuſtificat, ſanctificat, expurgat, ad ſeſe uocat ac trahit, ut ſalutem conſequamur. Itaq; ſpiritus ſanctus, dum in nobis ad hunc modum habitat, nobis ſuo lumine illucet: quo diſcamus, & plane*
1. Cor.2 *agnoſcamus, quàm ingentem diuinæ bonitatis opu-*
2. Cor.13 *lentiam in Chriſto poſsideamus. Corda noſtra incendit ardore charitatis, tum Dei, tum proximi: magisq; indies excoquit & exurit concupiſcentiæ no-*
Rom.8 *ſtræ uitia. ut ſi qua ſunt in nobis bona opera, fructus*
Gal.5 *ſint gratiæ ipſius, & uirtutes. Noſtræ uero ſine ipſo dotes, mẽtis ſunt tenebræ, cordisq; peruerſitas. Atq; hæc quidem omnia dona, non aliquibus noſtris officijs aut meritis rependuntur: ſed liberaliter nobis à diuina largitate, & gratuito donantur. Itaq; credimus in ſpiritum ſanctum, hunc cum patre & filio, pro uno Deo noſtro agnoſcentes. pro certo con-*

ſtantiq;

stantiq; habentes, ipsius opus ac uirtutem esse, quòd sacrum Euangelij uerbum audierimus, quòd ipsum fide acceperimus, quòd nunc in ea fide perstemus. Opus, inquam, gratuitum: ne quid nostris meritis aßignetur. Hæc cum fidelibus omnibus pariter eueniant, debet hæc omnium esse fides.

QVARTA.

Credo sanctam ecclesiã catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorũ, carnis resurrectionem, uitam æternam.

Primum, credimus sanctam ecclesiã catholicam: hoc est, uniuersum electorum numerum, siue angeli sint, siue homines: ex hominibus, siue mortui, siue adhuc uiuant: ex uiuentibus, quibuscunq; in terris agant, aut ubiuis gentium dispersi sint, unam esse ecclesiam ac societatem, & unum Dei populum. cuius Christus, Dominus noster, dux sit & princeps, ac tanquam unius corporis caput. prout in ipso diuina bonitate electi sunt, ante mundi constitutionem, ut in regnum Dei omnes aggregarentur. Hæc autem societas, catholica est, id est, uniuersalis: quia nõ duas aut tres inuenire liceat. uerum electi Dei, sic omnes in Christo uniuntur ac coadunantur, ut, Ephes. 1 Coloss. 1

Roma.12 *quemadmodum ab uno capite pendent, ita in unum*
1. Cor. 10 *uelut corpus coalescant: ea inter se compositione co*
& 12 *hærentes, qua eiusdem corporis membra: uere unum*
Ephes. 4 *facti, qui in una fide, spe, charitate, eodem* Dei *spiritu, simul uiuunt, in eandem uitæ æternæ hæreditatem uocati.* Ioan.17 *Sancta etiam est: quia quotquot æter*
Ephes. 5 *na* Dei *prouidentia electi sunt, ut in ecclesiæ membra cooptarentur, à* Domino *omnes sanctificantur.*

Rom. 8 *Atq; hic quidem ordo misericordiæ* Dei *nobis à* Paulo *describitur, ut, quos ex hominibus elegit, eos uocet: quos uocauit, iustificet: quos iustificauit, glorificet. Vocat, dum ad sese attrahit suos, illis se pro* Deo *& patre cognoscendum exhibens. Iustificat, dum eos* Christi *iustitia uestit: qua & pro sua perfectione ornentur, & suam imperfectionem obtegãt. ac sancti sui spiritus benedictionibus eos irrigat, quibus de die in diem à carnis suæ corruptione expurgentur, & in uitæ nouitatem regenerentur: donec planè sancti & immaculati, in conspectu eius appareant. Glorificabit, cum maiestas regni sui in omnibus, & per omnia manifestata fuerit. Itaq; Dominus, dũ suos uocat, iustificat, glorificat, nihil aliud q̃ æternã suam electionem declarat: qua huc eos destinauerat, anteq̃ nascerẽtur. Quare nullus in gloriam*

cœlestis regni unquam ingressurus est, qui nõ fuerit in hunc modum uocatus, & iustificatus, quando sine ulla exceptione in cunctis hominibus, quos elegit, suam electionem Dominus *ad eum modum profert & manifestat.* Scriptura *sæpe, dum se accommodat sensui nostro, electionem* Dei *nõn uocat, nisi quæ hac uocatione & iustificatione iam manifestata fuerit.* Atq; *hæc causa est, ut sæpe in populo* Dei *numeret eos, in quibus* Deus *uirtutes suas operatus est: quamuis electi non essent. rursum, qui uere electi sunt, eos in populo* Dei *non recenseat: quia nondum tales declarati sunt.* Hic *enim nõ unam illam & incommutabilem* Dei *prouidentiam respicit: sed tales nobis* Dei *filios describit, quales à nobis cognosci possunt: qui scilicet spiritu* Dei *aguntur.* Cum *autem ecclesia sit populus electorum* Dei*: fieri non potest, ut qui uere eius sunt membra, tandem pereant, aut malo exitio perdantur.* Nititur *enim eorum salus tam certis solidisque fulcris, ut, etiam si tota orbis machina labefactetur, concidere ipsa & corruere non poßit.* Primum*, stat cum* Dei *electione: nec, nisi cum æterna illa sapientia, uariare aut deficere potest.* Titubare *ergo & fluctuari, cadere etiam possunt: sed nõ colliduntur. quia* Dominus *supponit manum*

Osee. 2
Rom. 9. 10 & 11
Ioan. 10

Rom. 11 *manum ſuam. id eſt quod ait Paulus: Sine pœnitentia eſſe dona & uocationem* Dei. *Deinde quos*
Ioan. 6 *Dominus elegit, eos Chriſto filio ſuo in fidem ac cuſtodiam tradidit: ut neminem ex illis perderet, ſed reſuſcitaret omnes in nouiſsimo die. Sub tam bono cuſtode, & errare ac labi poſſunt, perdi certe nõ poſſunt. Præterea ſic ſtatuendum: nullum fuiſſe ab orbe condito tempus, quo non habuerit* Dominus
Ioel. 3 *eccleſiam ſuam ſuper terram. nullum etiam fore, uſq; ad conſummationẽ ſeculi, quo nõ ſit habiturus, quẽ-*
Pſal. 89 & 132 *admodum ipſe pollicetur.* Nam *etſi ſtatim à principio hominum genus,* Adæ *peccato corruptum ac uitiatum eſt: ex hac tamen, ceu polluta maſſa, ſemper aliqua uaſa ſanctificat in honorem. ut nulla ſit ætas, quæ non ſuam miſericordiam experiatur.* Poſtremo, *ſic credenda nobis eſt eccleſia, ut diuinæ bonitatis fiducia freti, pro certo habeamus, nos quoq; ex ea eſſe: ac cum cæteris* Dei *electis, cum quibus uocati, & iã ex parte iuſtificati ſumus, perfecte iuſtificatum ac glorificatum iri confidamus.* Comprehen-
Rom. 11 *dere quidem nõ poſſumus incomprehenſibilem* Dei *ſapientiam, nec eam excutere noſtrum eſt: ut nobis conſtet, qui æterno eius conſilio electi, qui reproba-*
Ioan. 1 *ti ſint. Verũ, neq; id fidei noſtræ opus eſt: quæ abun*

de hac

de hac promißione ſecura redditur: Deum agniturum pro filijs, qui unigenitũ filium ſuum receperint. Quis tam improba cupiditate fuerit, qui non contentus ſe Dei filium eſſe, aliquid ultra appetat? Quando itaq; in uno Chriſto bonam Dei patris erga nos uoluntatem, uitam, ſalutem, & ipſum deniq; regnum cœlorũ inuenimus: ſolus ipſe ſatis ſuperq; nobis eſſe debet. Hoc enim cogitandum eſt, nihil penitus nobis defuturum, quod in ſalutem ac bonum noſtrum conducere poßit, ſi ille noſter eſt. illũ uero noſtrum fieri, & omnia quæ illius ſunt: ſi certa fide in ipſum recumbimus, ſi in ipſo acquieſcimus: ſi in ipſo ſalutem, uitam, omnia deniq; noſtra reponimus: ſi certo expectamus, nunquam futurum, ut nos deſerat. Ipſe enim obuijs manibus ſeſe nobis defert: tantum fide accipiamus. Qui uero Chriſto non contenti, nitũtur altius penetrare, iram Dei aduerſum ſe prouocant. & quia in abyſſum maieſtatis eius irrũpunt, nihil poſſunt quàm opprimi à gloria. Prouer. 25 Cum enim Chriſtus Dominus noſter, is ſit, in quo pater ab æterno elegit, quos uoluit eſſe ſuos, ac in eccleſiæ ſuæ gregem referri: ſatis clarum teſtimonium habemus, nos & inter Dei electos, et ex eccleſia eſſe, ſi Chriſto communicamus. Deinde, cum ſit ipſe idem Chri-

ſtus

Ioan.1.14 *ſtus, conſtans & immutabilis patris ueritas: minime hæſitandum eſt, quin eius ſermo uere nobis enarret patris uoluntatem, qualis ab initio fuit, & ſemper futura eſt. Quando itaq; Chriſtum, & quicquid eius eſt, fide poßidemus: certò ſtatuendum, quòd ut*
Rom.8 *ipſe dilectus eſt patris filius, hæresq́; regni cœlorũ, ita & nos per ipſum in Dei filios ſumus adoptati: & ſic eius fratres ac conſortes, ut eiuſdem ſimus hæreditatis participes. ob id certi quoq; ſimus, nos inter eos eſſe, quos Dominus ab æterno elegit, quos ſemper eſt protecturus, quos nunquam perire ſinet.*

Alioqui fruſtra, nulloq́; fructu, à nobis crederetur eſſe eccleſia catholica: niſi ſe quiſq; membrum eius eſſe crederet. Cæterum, de alijs certò cenſere, an ſint ex eccleſia, nec ne: ac electos à reprobis diſcernere, non noſtrum eſt. Hæc enim ſingularis eſt Dei prærogatiua, noſſe qui ſui ſint: ut teſtatur Pau-
2.Tim.2 *lus. Et ne hominum temeritas eò ſe proriperet, ipſo quotidie euẽtu admonemur, quàm longe ſenſum noſtrum ſuperent iudicia Domini. Nam &, qui perditißimi uidebantur, & planè deplorati fuerãt, eius bonitate in uiam reuocantur: &, qui præ alijs ſtare uidebantur, ſæpe corruunt. ſolius Dei oculi uident, qui*
Matth.24 *in finẽ uſq; ſint perſeueraturi: quod demũ eſt ſalutis caput.*

caput. Neq; uero quia Christus affirmauit, solui ac ligari in cœlo, quæ uerbi sui ministri in terra soluerint, aut ligarint: ex eo sequitur, perspici à nobis posse, qui ex ecclesia sint, qui ab ea alieni. Hac enim promissione, non externum aliquod indicium dare uoluit, quod nobis ligatos & solutos palàm designaret, & ob oculos poneret: sed hoc duntaxat polliceri, eos, qui Euangelicam promissionem, qua Christus in redemptionem ac liberationem offertur, in terra, id est, in hac uita, ab homine sibi prædicatam, audierint, & fide acceperint: eos, inquam, uere solui ac liberari in cœlo, id est, coram Deo & eius iudicio. Qui uero respuerint ac contempserint: ijs ab ea esse testimonium, quòd in cœlo & coram Deo, in suis uinculis, atq; adeo in sua damnatione maneant. Matth. 16

Quanquam autem fidei certitudine agnosci à nobis electi non possunt: quando tamen scriptura certas quasdā notas nobis describit, ut antea dictū est, quibus electos & filios Dei à reprobis & extraneis distinguamus, quatenus à nobis uult aguosci: debēt quodā charitatis iudicio ꝓ electis ac ecclesiæ mēbris haberi oēs, qui et fidei cōfessione, & uitæ exēplo, et sacramentorū participatione, eundē nobiscū Deū ac Christū ꝓfitētur. etiā si aliquid imꝑfectionis in eorū

moribus

moribus resideat (ut nullus hic perfectus conspicitur)modo in suis uitijs non sibi nimium placeant,& blandiantur. ac de ijs bene sperandum fore, ut Dei *ductu semper in melius proficiant,donec omnem im perfectionem exuti,in æternam electorum beatitudinem perueniant.* His *enim notis ac indicijs scriptura electos* Dei, *filios* Dei, *populum* Dei , *ecclesiam* Dei *nobis definit,ut à nobis intelligi possunt.* Qui *uero , aut nobiscum non consentiunt in eandem fidem,aut,etiamsi confeßionẽ in labris habẽt ,* Deum *tamen,quem ore confitentur,operibus abnegant(ut quos uidemus in omni uita sceleratos ac perditos, peccandi uoluptate ebrios, malisq; suis indormiẽtes) huiusmodi omnes suis se indicijs produ͂t , non esse ad*
1. Cor.5 *præsens ecclesiæ membra.* In *hunc usum constitutæ*
Matth.18 *sunt excõmunicationes,quibus à fidelium con-*
1. Timot.1 *sortio abdicarentur atq; expellerentur ij , qui fidem* Christi *falso obtendentes , uitæ nequitia , effreniq; peccandi licentia,nihil aliud sunt quàm scandala ecclesiæ: ideoq; indigni, qui* Christi *nomine glorientur.* Primum , *ne cum* Dei *contumelia inter* Christianos *nominentur : ac si sancta eius ecclesia foret maleficorum ac publice improborum hominum con iuratio.*Deinde, *ne frequenti consuetudine alios cor*

rumpant

rumpant peruerſæ uitæ exemplo. poſtremo, ut eos ipſos pudore cõfuſos, ſuæ turpitudinis pœnitere inci piat: ac ex ea pœnitentia reſipiſcere tandem diſcant.

Tales quidem iudicare poſſumus, pro eo tempore ab eccleſia alienos, quantum cernere datur, ac ſecundum eius, quam diximus, notitiæ regulam. Verum ne ſic quidem deſperãdi à nobis ſunt, quaſi extra manum Dei *abiecti.* Ac *omnino nefas eſt quempiam expungere ex electorum numero, aut deſpera re, quaſi iam perditum: niſi quos forte certò conſtat, uerbo* Dei *iam damnatos. ut ſi quis, data opera, ac de ſtinata malitia, ueritatẽ oppugnet, ut opprimat* Euan*gelium, ut nomen* Dei *extinguat, ut ſpiritui ſancto reſiſtat. de iјs enim iã ore* Domini *pronunciatũ eſt: cũ dixit nõ remitti peccatũ in ſpiritũ ſanctũ, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro.* Q*uod raro adeo ſentiri à nobis poteſt (ſi unq̃ tamen poteſt) ut ſanioris ſit con ſilij, expectare diem reuelationis, nec temere* Dei *iu dicio præire.* Plus *licentiæ ne nobis in iudicando arrogemus: niſi uolumus* Dei *uirtutem limitare, ac miſericordiæ eius legẽ dicere. cui quoties uiſum eſt, peßimi in optimos mutantur, alieni inſeruntur, extra nei cooptantur in eccleſiam. ut ſic hominum opinio nem eludat, & temeritatem retundat: ne ſibi iudican*

Matth. 12
Hebr. 6. 10
Ioan. 5
1. Cor. 4

Matth.7 di ius, suprà quàm decet, usurpare audeant. Dan-
Ro.12.14 da potius opera, ut mutuo candore alter de altero, q̃
1.Thes.5 poterit optime fieri, sentiamus. alij aliorum facta ac
Hebr.12 dicta uicißim in optimam partem accipiamus: nõ ut suspicaces solent, oblique ac sinistre torqueamus. Quod si qui ita peruersi sunt, ut de se bene sentiri non permittant: eos tamen in manum Dei committamus, bonitatiq; cõmendemus, meliora de his sperantes, quàm uidemus. Sic enim fiet, ut & mutua æquitate ac patientia nos sufferentes, pacem ac charitatem alamus: nec stolide irrũpentes in secretiora Dei iudicia, errorũ tenebris nos inuoluamus. Vt uno uerbo absoluam, nõ personam ipsam, quæ in manu atq; arbitrio Dei est, in mortem addicamus: sed tantum, qualia sint cuiusq; opera, æstimemus ex lege Dei, quæ boni & mali regula est. In hunc sensum accipiendæ sunt excommunicationes, non quibus deijciantur ex spe salutis, qui coram hominibus abdicantur ex ecclesiæ grege: sed quibus duntaxat castigentur, donec ex uitæ prioris sordibus in uiam redeant.
1.Cor.5 Quemadmodum Paulus scribit, se tradidisse sathanæ hominem, in interitum carnis, ut spiritus saluus fieret in die Domini: hoc est (ut ego quidem interpretor) coniecisse in damnationem temporaneam,

ut in

ut in æternum saluus fieret. Itaq; tametsi familiarius uersari, aut interiorem consuetudinem habere cum excõmunicatis, per ecclesiasticam disciplinam non liceat: debemus tamen cõtendere, quibus possumus modis, siue exhortatione ac doctrina, siue clementia ac mansuetudine, siue nostris ad Deum precibus, ut ad meliorẽ frugem conuersi, in societatem ac unitatẽ ecclesiæ se recipiant. Neq; ij modo sic tractandi sunt, sed Turcæ quoq; ac Sarraceni, cæteriq́; ueræ religionis hostes. tantum abest ut probandæ sint rationes, quibus eos ad fidem nostram adigere multi hactenus moliti sunt: dum aqua & igni, communibusq́; elementis illis interdicũt, cum omnia illis humanitatis officia denegant, cũ ferro & armis persequuntur. Quanquam autem, dum adhuc incertum est nobis Dei iudicium, censere singulatim non licet, qui ad ecclesiam pertineant, nec ne: ubi tamen cunq; uerbũ Dei syncere prædicari atq; audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari uidemus, illic aliquam esse Dei ecclesiam nullo modo ambigendum est. quando eius promissio fallere non potest: Vbicunq; duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Certior autem, alia etiam, de ecclesia Dei haberi in terris noti-

1. Cor. 5
2. Thes. ul.
Matth. 18

tia non poteſt, nec aliter diſcerni, qui ex ea ſint aut minus. Quin potius nihil horum, niſi fide, intelligitur. quod ipſum ſignificamus, cũ dicimus nos ipſam credere. Creduntur enim quæ præſenti oculo ſpectari nequeũt. Quo planũ fit, non rẽ eſſe carnalem, quæ ſenſibus noſtris ſubijci, aut certo ſpacio circunſcribi, aut in ſede aliqua figi debeat. Credimus *item communionem ſanctorum: hoc eſt, in eccleſia catholica electis omnibus, qui uera Deum fide ſimul colunt, eſſe mutuam bonorum omnium communicationem, ac participationem. Quo non negatur, quin*
1. Cor. 12 *diuerſæ ſint ſingulis gratiæ (ut Paulus diuiſa eſſe dona ſpiritus, & uarie diſtributa docet) non quin recte atq; ordine proprium ſinguli teneãt, quod ex politica conſtitutione poßident (ut neceſſe eſt ſub elementis huius mundi, inter homines, diſtinctas eſſe poſſeßiones:) ſed huc ſpectat fidelium communitas, qđ omnia huiuſmodi bona, tũ ſpiritus, tũ corporis, quatenus æquum eſt, quantumq; uſus poſtulat, benigne & qua debent charitate, inter ſe cõmunicant.*

Rom. 12 Et *ſanè quicquid donorum* Dei *uni obtigit, eius*
1. Cor. 11 *omnes uere fiũt participes: tametſi* Dei *diſpenſatione id uni peculiariter datum eſt, non alijs. Quemadmodum unius corporis membra quadam communitate*

tate inter se omnia participant, sunt nihilominus suæ singulis peculiares dotes, distinctaq́; ministeria. nã, ut dictum est, in unum collecti ac cõpacti sunt corpus. Hæc *est ecclesia catholica, corpus* Christi *my sticum.* Ephe. 1 *Ita proximo capite testati sumus, nos credere ecclesiam.* Hoc *uero declaramus, qualem ipsam esse credamus. Scio uero hanc partem ab alijs præteriri, ab alijs in alium sensum trahi: sed sum interpretatus, qua optima potui fide.* Credimus *remissionem peccatorum: hoc est, diuina liberalitate, intercedente* Christi *merito, peccatorum remissionem ac gratiam nobis fieri, qui in ecclesiæ corpus asciti & inserti sumus. nullam uero peccatorum remissionem aut aliũde, aut ulla alia ratione, aut alijs, dari.* Acto. 10 1. Ioan. 2 *Quando extra hanc ecclesiam, & hanc sanctorum communionẽ, nulla est salus.* Iesa. 33 Porrò *ecclesia ipsa constat ac consistit hac peccatorum remissione, hocq́; ueluti fundamento suffulta est.* Osee. 2 *Quando peccatorum remissio, uia est, qua ad* Deum *accedatur: ac ratio, qua nobis concilietur. ideoq; & hæc una nobis ingressum in ecclesiam (quæ ciuitas est* Dei, *& tabernaculum, quod sibi in habitationem sanctificauit altissimus) aperit: & nos in ea retinet, ac tuetur.* Psal. 46 & 87 1. Timot. *Hanc uero remissionem accipiunt fideles, cum peccatorum*

catorum ſuorum cõſcientia oppreßi, afflicti, & con fuſi, diuini iudicij ſenſu conſternantur, ſibiq; ipſis diſplicent, & uelut ſub graui pondere gemunt ac la borant. hocq; peccati odio, ac ſui cõfuſione, carnem ſuam, & quicquid ex ſe eſt, mortificãt. Atq; *ut hanc pœnitentiam aßiduè (ſic enim oportet) illi quamdiu in carcere ſui corporis degunt, proſequuntur: ita ſub inde atq; aßiduè illam remißionem obtinent.* Non *quòd ita eorum pœnitentia mereatur: ſed uiſum eſt* Domino, *ſeſe hominibus hoc ordine exhibere. ut cũ ex ſuæ ipſorum paupertatis agnitione omnem fa- ſtum exuerint, ſe totos abiecerint, ac ſibi planè ipſis uiluerint: tum demum ſuauitatẽ miſericordiæ, quam illis in* Chriſto *proponit, guſtare incipiant. qua per- cepta, reſpirent, ac ſe cõſolentur, ſecure ſibi in* Chri *ſto promittentes & peccatorum remißionẽ, & bea tam ſalutem.* Rurſum, *qui his gradibus ad* Deum *non contendunt, nunquam hanc, quæ ſalutis cardo eſt,*
Luc. 16 *remißionem peccatorũ aſſequuntur.* Polleant *quam uis ſplendida operum magnificentia, etiam ad mira culum uſq;: omnia tamen eorum dicta, facta, cogita- ta,* Deus *abominatur. eo etiã magis, quo maiore ſan- ctitatis ſpecie homines fallunt: quorum oculi inani illo operum ſplendore ſæpe perſtringuntur.* Cre

dimus

dimus carnis resurrectionem: hoc est, futurum, ut omnia hominum corpora ex corruptione in incorruptionem, ex mortalitate in immortalitatem, semel suscitentur. atq; hi quidem, qui antea uita defuncti fuerint, carnem suam recipiant: siue à uermibus corrosa fuerit, siue in terra putruerit, siue in cineres redacta, siue alio quouis modo dißipata. Qui uero tũc superstites reperientur, suæ etiam carnis corruptionem exuant: omnes subita immutatione in naturam immortalem transeant, pij quidem in gloriam uitæ, reprobi in mortis damnationem. 1. Cor. 15 1. Thes. 4 Act. 23 Ioan. 5

Credimus postremo uitam æternam: hoc est, futurum, ut tum suos Dominus *corpore & anima glorificatos in beatitudinem accipiat, sine fine perstaturam, extra omnem mutationis aut corruptionis sortem. quæ uera erit solidaq; in uitam, lucem, iustitiam, perfectio: cum inseparabiliter* Domino *adhærebimus, qui earum, uelut fons inexhaustus, plenitudinẽ in se continet. Illa uero beatitudo, regnum erit* Dei, *omni claritate, gaudio, uirtute, fœlicitate, refertum: rebus ab hominum sensu nunc remotißimis, & quas (ut* Paulus *ait) nec auris audiuit, nec oculus uidit, nec mens hominis percepit. Cõtrà, impij ac reprobi, qui sincera fide* Deũ *non quæsierint ac coluerint, quando nullam in* Deo Matth. 25 1. Cor. 15 1. Cor. 2

*ac regno eius partem habituri sunt, in æternam mor-
Matth.22 tem cum diabolis conijcientur. ut extra omne gau-
Iesa.ult. dium, uirtutem, & cætera regni cœlestis bona, æter-
Mar.9 nis tenebris, æternoq; cruciatu damnati, uerme im-
mortali arrodantur, & igni ardeant inextinguibili.*

Ac sic quidem credere & sanctorum cõmunionem, & peccatorum remißionem, & carnis resurrectionem, & uitam æternam conuenit: ut de Domini *bonitate confisi, certo statuamus, hæc nobis cum omnibus sanctis euentura omnia.* Atq; *ut quàm sit horum omnium certa constansq; ueritas, significetur: utq; sese omnes hac fide confirment, pro se quisq;* Dominum *sibi* Deum, Christum *sibi saluatorem statuentes, carnisq; suæ resurrectionẽ ac uitam æternam expectantes, tota confeßio uerbo* Amen *clauditur, quæ probatæ certitudinis nota est.* Iam *uero ubicunq; est uiua hæc fides, quam esse in unum* Deum *ac* Christum *fiduciã prius ostendimus, ociosa certe esse non potest: quin simul comites habeat, spem, & charitatem.* Quæ *si penitus desunt, quamlibet diserte atq; ornate de fide differamus, nullã habere conuincimur.* Non *quia ex spe aut charitate gignitur in nobis fides: uerum, quia fieri omnino non potest, quin fidem spes & charitas perpetuo sequantur*

tur. Nam ut de spe prius comprobemus: si fides (ut auditū est) certa est de ueritate Dei persuasio, quę nec mentiri nobis, nec fallere, nec irrita esse poßit: qui hanc certitudinem conceperunt, simul profecto expectant fore, ut promißiones suas Deus praestet. cum, eorum opinione, non nisi uerae esse poßint. ut, in summa, non aliud sit spes, quàm eorum expectatio, quae uere à Deo promissa fides credidit. Ita fides Deum ueracem credit: spes expectat, ut in temporis occasione ueritatem suam exhibeat. fides credit nobis esse patrem: spes expectat, ut se talem erga nos semp gerat. fides datā nobis uitā aeternā credit: spes expectat, ut aliquando reueletur. fides fundamentum est, cui spes incumbit: spes fidem alit, ac sustinet. Nam ut expectare à Deo nemo quicquam potest, nisi qui prius eius promißis crediderit: ita rursum fidei nostrae imbecillitatem, ne uelut fessa concidat, sustineri ac foueri, patienter sperando & expectādo oportet. De charitate nihilo est obscurius argumentum. cum enim fides Christum amplectatur, ut nobis offertur à patre: ille uero non modo sit remißio, iustitia, pax, & recōciliatio apud patrem: sed etiam sanctificatio, & fons aquae uiuae: indubie in eo charitatem reperit. quae donum est & fructus Gal. 5

 spiritus

ſpiritus ſancti, opusq́; eius ſanctificationis. En, *ut ſpes & charitas, ex fide ambæ pariter naſcantur ac proueniant, eiq́; indiuidua copula adiunctæ, adnexæq́; ſint.* Neq; *tamen de charitate exiſtimandũ, quod de ſpe nuper docuimus: nempe, quod per eam nutriatur, conſeruetur, ac ſtabiliatur fides. ſiquidem id ſpei proprium eſt. quia dum in ſilentio & patien-*
Ieſa. 28 *tia* Dominum *expectat, fidem continet, ne nimium feſtinet: & confirmat, ne uacillet aut hæſitet de fide promiſsionum* Dei. *Longe diuerſa charitatis ratio, quæ nihil horum habet ſimile.* Qui *ſolent obtru*
.Cor.13 *dere, quod ait* Paulus: Si *quis, ſcilicet, omnem fidem habeat, ut montes transferat, charitatem autem non habeat, eum nihil eſſe: quo euincant, fidem aliquam citra charitatẽ haberi (quam ipſi informem uocãt:) non animaduertunt, quid in eo loco* Apoſtolo *ſit fides.* C*um enim proximo capite diſſeruiſſet de uarijs donis ſpiritus, in quibus repoſuerat uirtutes, genera linguarũ, prophetiã: & hortatus eſſet* Corinthios, *ſectari ex ijs meliora, hoc eſt, unde plus fructus rediret ad eccleſiam* Dei: *ſubijcit, excellentiorem adhuc uiam ſe demonſtraturum. hæc dona omnia, utcunq; per ſe excellentia ſint, nihil tamen eſſe, niſi charitati ſeruiant, eſſe enim data ad ædificationem eccleſiæ:*

in quam

in quam nisi conferantur, perdere suam gratiam. Ad id probandum distributione utitur, repetens eadem illa dona, quæ supra recensuerat: sed alijs nominibus. Pro eodem autem usurpat uirtutes & fidem: hoc est, pro dono edendi miracula. Cum autem hæc, siue uirtus, siue fides miraculorum, sit donum particulare Dei, quo abuti quispiam possit, ut dono linguarum, ut prophetia, ut alijs charismatibus: constat, longissime à uera & christiana fide distare. id & in exemplo Iudæ spectare est: qui eam habuit, nihil tamen minus quàm fidelis. Quod autem ex hoc ipso loco, & alio qui eodem capite sequitur, charitatem spe & fide maiorem esse, asserere contendunt, potius nos charitate quàm fide iustificari: nẽpe, uirtute, & ut ipsi aiunt, potiore: nullo negotio diluitur hæc argutatio. Habemus enim, ad ueram fidem nihil pertinere, quæ primo loco dicuntur. Alterum nos quoque de uera fide interpretamur, qua maiorem esse charitatem dicit. quia magis fructuosa est, quia latius patet, quia pluribus seruit, quia semper uiget: cum fidei usus ad tempus consistat. Quis sano iudicio, imò quis omnino sano cerebro, ex eo ratiocinetur, magis iustificare? Vis enim iustificandi, in dignitate operis sita non est. Sola Dei misericor-

Luc. 10

misericordia, cònstat nostra iustificatio: quam dum fides apprehendit, iustificare dicitur. Si quis autem rixator adhuc interpellet, cur fidei nomen tantulò interuallo uarie accipiã: huius interpretationis non leuis ratio mihi constat. Cum enim dona illa, quæ enumerauerat Paulus, fidei & spei quodãmodo subsint, quia ad cognitionem Dei spectant: ea omnia κατ' ἀνακεφαλαίωσιν, sub nomine fidei & spei complectitur. ac si diceret: Et prophetia, & linguæ, & interpretãdi gratia, & scientia, hunc habent scopum, ut nos ad cognitionem Dei deducãt. Deum autem non, nisi per fidem & spem, in hac uita cognoscimus. Cũ ergo fidem et spem nomino, hæc omnia simul cõprehendo. manent itaq; hæc tria: fides, spes, charitas. hoc est, quãtacũq; sit donorũ uarietas, huc omnia referuntur: inter hæc præcipua est charitas, & cætera. Porrò cogitandum est, & fidem, &
Cor.4 spem, & charitatem, spiritus sancti dona esse: nec posse ullam ex ipsis aut inchoari, aut consistere, nisi Dei misericordia. Itaq; & omnes à Deo petere, non in nobis quærere, discamus: & si quid in nobis aut spei, aut charitatis, aut fidei sentimus, id totum referamus acceptum Deo, cum gratiarũ actione. postulantes corde & ore, corde uero præsertim: idq; continenter

tinenter, ut eas in nobis tueri, ac indies in melius prouehere uelit. Sic enim nobis opus est, ut perpetuo augeantur, dum in hac uita sumus. quæ (dum optime nobiscum agitur) non aliud est, quàm uia & profectus: donec ad Deum plane pertingamus, in quo tota nostra perfectio sita est.

DE ORATIONE; VBI & oratio dominica enarratur.

CAPVT III.



X *his quæ hactenus disputata sunt, non obscure perspicimus, quàm sit homo bonorũ omnium egenus ac inanis: utq; illi omnia desint salutis adiumẽta. Quare si præsidia quærit, quibus inopiæ suæ succurrat, extra se exeat oportet, & aliunde ea sibi comparet.* Hoc *postea uobis explicatum est,* Dominum *sese nobis ultro ac liberaliter in* Christo *suo exhibere: in quo pro nostra miseria, omnem felicitatem: pro nostra inopia, opulentiam offerat. In quo cœlestes thesauros no-*

ros nobis aperiat, ut dilectum illum filium suum tota fides nostra intueatur, ab ipso tota nostra expectatio pẽdeat, in ipso tota spes nostra hæreat et acquiescat. Hæc quidẽ secreta est absconditaq́; philosophia, & quæ syllogismis erui non potest. sed scilicet eam perdiscũt, quibus oculos aperuit Deus, ut in suo lumine lumen uideãt. Postq̃ uero fide edocti sumus agnoscere, quicquid nobis necesse est, nobisq́; apud nos deest, id in deo esse ac Domino nostro Iesu Christo: in quo scilicet omnẽ suæ largitatis plenitudinẽ Pater
Coloss. 1 *residere uoluit, ut inde, uelut ex uberrimo fonte, hau*
Ioan. 1 *riamus omnes: superest ut in ipso quæramus, & ab ipso precibus postulemus, qđ in ipso esse didicimus. Alioqui scire Deum bonorũ omniũ Dominũ ac largitorem, qui nos ad se poscendum inuitet: ipsum uero nec adire, nec poscere, adeo nõ prodesset: ut perinde id futurũ sit, ac si quis indicatũ thesaurum, humi sepultum ac defossum negligat. Hoc ergo postremum, quia obiter duntaxat antea dictum, & quasi leuiter attactum est, nunc fusius tractari cõuenit. Porrò, esto hæc prima probæ orationis lex, ut omni gloriæ nostræ cogitatione nos abdicemus, ut omnẽ nostræ dignitatis opinionẽ exuamus, ut omni nostri fiducia decedamus: dantes gloriã in abiectione nostri, ac humilitate*

militate nostra Domino, ut prophetica doctrina admonemur: Non in iustitijs nostris corã te fundimus preces, sed in misericordijs tuis magnis: Exaudi nos Domine, Domine propitius sis nobis: Exaudi nos, et fac quæ petimus, propter temetipsum. quia inuocatũ est nomen tuũ super populũ tuum, & super locũ sanctum tuũ. Alter uero propheta scribit: Anima tristis et desolata super magnitudine mali, curua et infirma, anima famelica, & oculi deficientes, dant tibi gloriã Domine. Non secundũ iustitias patrũ fundimus preces in cõspectu tuo, & corã facie tua petimus misericordiã Domine Deus noster. sed qa tu es misericors, miserere nostri: quia peccauimus corã te. Esto et altera, ut uerè inopiã nostrã sentiamus, ac serio cogitemus his nos indigere, quæ à Deo nobis, ac in rẽ nostrã, petimus: eáq; nos petere, ut ab ipso impetremus. Nã si alius nobis esset sensus, aut animus, oratio nostra ficta impuráq; foret. Vt si quis peccatorũ remissionem à Deo postulet, non certò ac serio se peccatorẽ cogitans: nihil aliud, quàm sua simulatione Deum rideat. Deinde, quæ in Dei duntaxat gloriã petimus, ut ea magno desiderij feruore et æstu petamus. ut cũ petimus nomen eius sanctificari: ardenter (ut ita dicam) esurienda & sitienda est illa sanctificatio.

Daniel.

Baruch

Si

Si itaq; nos peccatorum mole premi ac laborare intelligimus: ſi rebus omnib. uacuos inſpicimus, quæ gratiam apud Deum nobis conciliare poßint: ne hic nos ſenſus terreat, quominus ad ipſum nos conferamus. quando nobis neceſſe eſt, cum ad eum accedimus, tales nos cogitare ac ſentire. Luc. 17 *Non enim inſtituta eſt oratio, qua nos arroganter coram Deo efferamus, aut aliquid noſtrũ magno æſtimemus: ſed qua noſtras calamitates confiteamur, & apud eum deploremus. quemadmodum filij apud parentes ſuas querelas familiariter deponunt. Quin hic potius ſenſus nobis inſtar calcaris ac ſtimuli eſſe debet, quo magis ad orationem incitemur. Ad hanc noſtræ egeſtatis cognitionem duo addidit optimus pater: quibus nos ad orationis ſtudiũ uehementer impelleret. Mandatum, quo orare præcipit: promißionem, qua pollicetur, impetraturos quicquid petierimus.* Luc. 11 *Mandatum ſæpenumero repetitum habemus: Petite, uenite ad me, quærite me, reuertimini ad me, Inuocate me in die neceßitatis ueſtræ. Ac, cum ſæpe aliâs, tum etiam in tertio legis capite: quo prohibemur accipere in uanum nomẽ Domini. Nam ex quo in uanum accipere prohibemur, ſimul etiam iubemur accipere in gloriam: omnem uirtutis, boni, opis, ac præſidij*

Ioan. 16 Matth. 7 & 11 Zach. 1 Pſal. 50 Exod. 20

laudem illi deferendo: dum ab eo hæc ipsa & petimus, & expectamus. Quamobrē nisi ad ipsum confugimus, cum aliqua nos urget necessitas: nisi ipsum requirimus, ac eius opem imploramus: non aliter eius iram prouocamus, quàm si aut alienos nobis deos faceremus, aut idola fabricaremur. siquidem eius uoluntatem in omnium præceptorum contemptu æque contemnimus. Rursum, qui eum inuocant, requirūt, laudem referunt, magna consolatione fruūtur: quòd intelligant sic se agere rem illi acceptam, uoluntatiq; eius seruire. Promissio est: Petite, & accipietis, fiet uobis, exaudiam uos, eruam uos, reficiam uos, confortabo uos, pascam uos in affluentia, non confundemini. Quæ omnia, ut nobis à Deo promissa sunt, ita indubie præstabuntur, si certa fide expectemus. Non enim orationis est meritum aut dignitas, quæ petita obtineat: sed tota exorandi spes in promissione huiusmodi sita est, atque ab ea pendet. Itaq; cum animis nostris statuendum est, nos exauditū iri, non minus quàm exauditus fuerit Petrus, uel Paulus, uel alius sanctorum quilibet (tametsi maiore quàm nos uitæ sanctimonia præditi fuerint:) si tamen eadem, ac æque firma fide Deū imploramus. Quādo eodem orandi mandato, eadem exorandi promissione instru-

Matth. 7
Luc. 11
Ioan. 16
Mar. 11
Iesa. 65
Iere. 29
Psal. 50.
Matth. 11

cti armatiq; ſumus. Deus uero non ex perſonæ digni tate orationis preciū æſtimat: uerū ob fidē dūtaxat, in qua & ſuo præcepto obediunt, & ſuæ promiſsioni confidunt. Rurſum qui Dei promiſsione parum ſecuri, ueritatem eius in dubium uocant: atq; ita dubij & hæſitantes an exaudiēdi ſint, Deum ipſum inuo
Iacob. 1 *cant, nihil proficiunt (ut inquit Iacobus.) quos etiam fluctibus comparat, qui à uento uarie mouentur & circunferuntur. Deinde cum Dominus iuxta ſuam*
Matth. 8. 9 *cuiq; fidem fieri affirmet: ſequitur, citra fidem nihil*
Mar. 11 *aſſequi nos poſſe. Quando uero nemo eſt hominum dignus, qui Deo ſe repræſentet, ac in eius conſpectum prodeat: ipſe cœleſtis pater, ut nos hac con fuſione eximeret, quæ noſtros omnium animos deij*
1. Tim. 2 *cere debebat, filium nobis ſuum donauit Ieſum Chri*
1. Ioan. 2 *ſtum Dominum noſtrū: qui apud ipſum nobis ſit ad-*
Hebr. 8. 9 *uocatus et mediator, cuius ductu ad ipſum ſecure accedamus. tali interceſſore confiſi, nihil, quod eius nomine petierimus, nobis denegatum iri: ut illi à patre*
Hebr. 4 *nihil denegari poteſt. Thronum quoq; Dei, non maieſtatis tantum eſſe thronum, ſed gratiæ: apud quem eius nomine cum omni fiducia apparere audeamus, miſericordiam conſecuturi, & gratiam inuenturi in auxilio opportuno. Atq; ut lex de inuocando*

Deo

Deo posita est, ut promißio data, exauditum iri qui Ioan.14
inuocauerint: ita in nomine Christi inuocare pecu- & 16
liariter iubemur, & promißionem habemus propo-
sitã, impetraturos, quod in eius nomine petierimus.

Hinc, sine controuersia, clarum est, eos qui in alio quàm Christi nomine Deum inuocãt, illius iussa contumaciter præuaricari, ac uoluntatem pro nihilo reputare: nullã uero promißionẽ habere, quicquam impetrandi. Siquidem (ut ait Paulus) omnes 2. Cor.1
Dei promißiones, in Christo sunt Etiam, & Amen: id est, confirmantur & implentur. Porrò cũ sit ipse Ioan.14
unica uia, ac unus accessus, quo ad Deum ingredi nobis datur: qui ab hac uia deflectunt, & hunc accessum deserũt, ijs neq; uia ulla, neq; accessus ad Deum superest: nihil in eius throno reliquum habent, præter iram, iudicium, ac terrorẽ. Deniq; cum hunc pro Ioan.6
capite ac duce pater nobis signauerit: qui ab eo ullo modo declinant uel obliquant, conantur, quantum in se est, notam à Deo impressam delere & adulterare. Quantum ad sanctos attinet, qui mortui in Christo uiuunt: ne somniemus ijs ipsis aliam esse rogandi Dei uiam, quàm Christum (qui solus uia est:) aut alio nomine Deo esse acceptos. Itaq; postquam scriptura nos ab omnibus ad Christum unum reuo-

Coloss. 1 cat, postquam cœlestis pater uult omnia in ipso recolligi, error est, accessum per sanctos uelle nobis moliri, quem neq; sibi ipsi præstare possunt. Præterea cum in unam Dei uoluntatem omnia sua desideria referant, hanc intueantur, in éa acquiescant: stolide & carnaliter, atq; etiam contumeliose de ijs cogitat qui aliam ipsis orationem aßignat, quàm qua regnum Dei aduenire expetant. Quod ut piorum salute, ita reproborum confusione implebitur. Quare non expectandũ est, iuuari nos eorum orationibus quicquã posse: nisi partem in Christo habuerimus, & pars regni eius fuerimus. Quemadmodum etiam rursum, si Christi participes fuerimus, secure statuere debemus, à nobis stare quicquid ex Deo est: totamq; ecclesiam, cuius sancti illi membra sunt, pro nobis orare: dum orat, ut regnum Domini sui adueniat.

Ephes. 1

Iam uero, tametsi in hunc modum pro nobis orant: non tamen à nobis inuocandi sunt. Neq; id agendum ex eo protinus consequitur, quòd qui in terris degunt homines, uicißim alter alterius precibus cõmendare se possunt. Hoc enim alendæ in ipsis charitati officium seruit, dum suas inter se necessitates ueluti partiuntur, & mutuo suscipiunt. Quæ ratio abest à mortuis, quos à nostro contubernio Dominus

1. Tim. 2

Iacob. 5

minus subduxit. Quorum tametsi erga nos semper uiget charitas, ut sunt una in Christũ fide nobiscum deuincti, nullum tamen remanet nec linguæ nec auditus commercium. Nam secus affirmare, quid est, nisi p temulenta cerebri nostri somnia, uelle in abdita Dei iudicia sine eius uerbo penetrare & perrumpere, ac scripturam conculcare? quæ toties carnis nostræ prudentiam, sapientiæ Dei inimicam pronunciat: uanitatem sensus nostri in uniuersum damnat, prostrata omni nostra ratione, solã Dei uoluntatem à nobis uult spectari. Hæc uero ipsa Christum unice nobis offert, ad ipsum nos mittit, & in ipso sistit. Ipse, inquit Ambrosius, os nostrum est, per quod patri loquimur: oculus noster, per quem patrem uidemus: dextra nostra, per quam nos patri offerimus. quo nisi intercedente, nec nobis, nec sanctis omnibus, quidquam cum Deo est. Porrò qui sibi ex sanctis peculiares patronos cooptant ac deligunt, qui singulari aliqua eorum cõmendatione adiutũ se iri sperant, sunt in eos non parum contumeliosi. Eos enim ab unica illa uoluntate retrahunt, quam statam (ut diximus) & immotã in Deo habent, ut regnum eius adueniat: dum carnalem illis affectũ affingunt, qui in unum aut alterum suum cultorẽ sit propẽsior.

1. Cor. 13

Deut. 12

Qui uero illos sibi mediatores faciunt, ac si se Christus deficeret, aut nimiũ sibi seuerus esset: ipsum inhonorant, & solius mediatoris titulo spoliant. qui ut illi in singularem prærogatiuam à patre datus est, ita neq; aliò transferri debet. Atq; hoc quidem ipso gloriam natiuitatis ipsius obscurant, crucem euacuant: quicquid deniq; in salutem nostrã aut fecit, aut passus est, sua laude exuunt ac defraudant. Siquidẽ huc tendunt omnia, ut solus sit & habeatur mediator. Simul Dei benignitatẽ abijciũt, qui se illis in patrem exhibebat. Non enim illis pater est, nisi Christum sibi esse fratrẽ agnoscant. Quod plane abnegant, nisi fraterno esse erga se affectu, quo nihil mollius esse potest, cogitant. Sed hoc quosdam scilicet mouet, quod sanctorum orationes sæpe leguntur exauditæ.
Psal. 22 *Cur? Nempe, quia orarunt. In te sperauerauerũt, inquit* Propheta, *& salui facti sunt: clamauerunt, & non sunt confusi. Oremus ergo & nos eorum exemplo, ut eorum instar exaudiamur.* Nos *uero, contra quàm decet, præpostere ratiocinamur: nõ exauditũ iri, nisi qui semel exauditi sunt. Quanto melius Iaco-*
Iacob. 5 *bus? Helias, inquit, homo erat nobis similis, & precatione precatus est, ne plueret: & non pluit super terram annos tres, & mẽses sex. Rursum orauit, & cœlum*

lum dedit pluuiam, & terra dedit fructũ suum. Quo non aliquam Heliæ *prærogatiuam colligit, sed uim orationis docet, ut nos ad similiter orandum exhortetur.* Orationis *(ut hoc nomen nunc accipimus) duæ sunt partes, petitio, & gratiarum actio.* Petitio *ne cordis nostri desideria apud* Deũ *deponimus, pe-* 1. Tim. 2
tentes ab ipsius bonitate, primum quæ ipsius duntaxat gloriæ seruiunt: deinde quæ usibus etiã nostris conducunt. Gratiarum *actione eius erga nos benefacta recognoscimus, & cum laude confitemur: accepta ferentes eius bonitati omnia, quæ uspiã sunt, bona.* Vtrunq; *uno uersu* David *complexus est, cum* Psal. 50
in persona Dei *ita scripsit:* Inuoca *me in die necessita-*
tis, eruam te, & glorificabis me. Vtraq; *in usu no-* Luc. 18.
bis esse cõtinenter debet. Tanta *est enim nostra ino-* Ephes. 5
pia, tanta rerũ angustia nos undiq; urget ac premit, ut satis sit causæ omnibus, etiã sanctissimis, cur assidue gemant ac suspirent ad Deũ, *supplicesq; ipsum inuocent.* Ad *hæc, tanta ac tã effusa benefactorum* Dei *largitas nos penè obruit, tot ac tã ingentia eius miracula, quaquauersum spectes cernuntur: ut nunquam nobis desit laudis gratiarumq; actionis argumentum ac materia.* Atq; *ut hæc planius aliquanto explicentur. cum sic in* Deo *spes omnes opesq;*

nostræ sitæ sint (quod iam antea satis probatū est:) ut neq; nos, neq; nostra omnia, prospere habere, nisi eius benedictione, poßimus: aßidue nos ei cōmendemus, nostraq; omnia cōmittamus oportet. Deinde *quicquid deliberamus, loquimur, agimus, sub eius manu ac uoluntate, sub spe deniq; auxilij eius deliberemus, loquamur, agamus.* Omnes *enim à* Deo *maledicti pronunciantur, qui sui alteriusue cuiuspiam fiducia, consilia agitant ac statuunt, qui extra eius uoluntatem, ipsoq; non inuocato, quicquā moliuntur, aut inchoare tentant.* *Cum autem dictum sit, agnoscendum esse ipsum bonorum omniū autorem: consequitur, tanquam ex eius manu suscipienda esse omnia, cum aßidua gratiarum actione. nullamq; esse iustam rationem, qua eius beneficia usurpemus, quæ nullo fine ab eius largitate nobis fluūt ac proueniūt: nisi etiam in laude eius confitenda, & gratijs agendis aßidui simus.* Paulus *enim dum testatur, per uerbum & orationē sanctificari: simul innuit, sine uerbo & oratiōe minime sanctificata esse.* Per uerbum *scilicet, fidē metonymice* intelligens. Hæc ratio est, *cur alibi* Paulus *sine intermißione orare iubeat. uolens omni tempore, omni hora, omni loco, omnibus in rebus, erecta esse ad* Deum, *omniū uota: quæ & omnia*

Iacob. 4
1. 30. 31
Timot. 4
Thes. 5
Timot. 2

omnia ab eo expectent, & omnium laudem illi referant. ut perpetua laudandi orandiq; argumenta nobis proponuntur. Hæc autem orandi aßiduitas, proprias ac priuatas cuiusq; respicit: nihil ad publicas ecclesiæ oratiões pertinet. quæ nec aßiduæ esse possunt, nec aliter etiam fieri debent, quàm ex politia: quæ cõmuni inter omnes consensu conuenerit. Ideo & certæ horæ condicuntur ac præstituuntur, ut apud Deum indifferentes, ita hominũ usibus necessariæ: ut omnium cõmoditati prospectum sit, & omnia decenter & composite (iuxta Pauli senten- 1. Cor. 14
tiam) in ecclesia administrentur. Huc & loca publica destinata sunt, quæ tẽpla dicimus. non quæ secreta aliqua sua sanctitate orationes magis sanctificent, uel exaudiri à Deo faciant: sed quæ fideliũ congregationem cõmodius accipiant, dum ad orandum, ad audiendam uerbi prædicationem, ad sacramenta suscipienda simul conueniunt. Alioqui (ut ait Pau- 1. Cor. 3.
lus) nos ipsi sumus uera Dei templa: qui si orare in 2. Cor. 6
Dei templo uolumus, in nobis ipsis oremus. Qui uero aurem Dei propius sibi in templo admotam opinantur, aut sacratiorem loci sanctitate orationem ducunt, hoc pro Iudæorũ aut gentiũ craßitie faciunt: carnaliter Deũ adorantes, contrà quàm præceptum

Ioan.4 eſt, ut ſine ulla loci diſcretione, in ſpiritu & uerita-
te adoremus. Quando uero hunc eſſe orationis
ſcopum iam prius dictum eſt, ut erecti in Deum ani-
mi ferantur, tum ad confeßionem laudis, tũ ad opem
implorandam: ex eo intelligere licet, primas eius par
tes in mente & animo poſitas eſſe. Vel potius ora-
tionẽ ipſam, eſſe proprie interioris cordis affectum:
qui apud Deum, cordiũ ſcrutatorem, effunditur &
exponitur. Quamobrem Chriſtus Dominus no
Matth.6 ſter, cum optimam orandi legem ferre uellet, iußit in
trare in cubiculum: ibiq; oſtio clauſo, orare patrem
noſtrum in abſcõdito: ut pater noſter, qui eſt in ab-
ſcondito, nos exaudiat. Nam ubi ab hypocritarum
exemplo abſtraxit, qui ambitioſa precum oſtẽtatio-
ne hominum fauorem captant: ſimul adijcit, quid ſit
melius: intrare ſcilicet cubiculum, & clauſo oſtio ibi
orare. Quibus uerbis (ut ego interpretor) tota cogi-
tatione in cor noſtrum deſcendere & ingredi nos
docuit, propinquũ nobis Deum talibus animi affecti
bus promittẽs: cuius templa eſſe debent, corpora no
ſtra. Neq; enim negare uoluit, quin alijs quoq; locis
orare expediat: ſed eſſe quiddam ſecretum oſtendit,
orationem, quæ & in animo potißimum locata ſit,
& eius tranquillitatem, procul omnibus curarũ tur-
bis,

bis, maxime requirat. Hinc *plusquam clarum est, neq; uocem, neq; cantum (si in oratione intercedãt) habere quicquã momenti, aut hilum proficere apud* Deũ:*nisi ex alto cordis affectu profecta.* Q*uin eius iram aduersum nos prouocant, si è summis duntaxat labris & gutture exeunt. quando id est sacrosancto eius nomine abuti, ac eius maiestatem derisui habere. ut ipse per* Prophetam *affirmat:* Populus, *inquit, iste appropinquat mihi ore suo, & labijs suis me honorat: cor aũt eorum longe est à me. &,* Timuerunt *me mãdato & doctrina hominũ. propterea ecce faciã in populo hoc, miraculũ grande & stupendum.* Peribit *enim sapiẽtia à sapientibus eorũ, & prudẽtia seniorũ euanescet.* Neq; *tamẽ uocẽ, aut cantum hic dãnamus: modo animi affectũ sequantur, eiq; seruiant.* Sic *enim mentẽ in* Dei *cogitatione exercent & intentã retinẽt: quæ (ut lubrica est) facile remittitur, & in uaria distrahitur.* Præterea, *cum* Dei *gloria in singulis corporis nostri partib. elucere quodãmodo debeat, cõuenit præsertim linguã huic ministerio addictã esse ac deuotã, tum canendo, tũ loquendo. quæ peculiariter ad enarrandã prædicandãq;* Dei *laudẽ condita est.* Potissimus *uero linguæ usus est in orationibus publicis, quæ in fideliũ cõuentu habentur.*

Iesa. 29
Matth.

quibus

quibus hoc agitur, ut Deum, quem uno ſpiritu, eademq; fide colimus cõmuni una uoce, & ueluti eodem omnes ore pariter glorificemus. idq; palàm, ut omnes uiciſsim, à ſuo quiſq; fratre, cõfeſsionem fidei accipiant, ad cuius exemplũ inuitentur. Quo etiam plane conſtat, nõ Græco inter Latinos, nec Latino inter Gallos aut Anglos (ut hactenus paſsim factita tum eſt:) ſed populari ſermone concipiendas eſſe publicas orationes, qui uulgo à toto cœtu intelligi poſſit. quandoquidẽ in totius eccleſiæ ædificationem fieri conuenit: ad quam ex ſono non intellecto nullus penitus fructus redit. Apud quos uero nulla eſt charitatis ratio, ij ſaltem Pauli autoritate moueri debebant, cuius uerba minime ambigua ſunt: Si benedi
1.Cor.14
xeris, inquit, ſpiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo ad tuam benedictionem dicet Amen? quãdoquidem quid dicas neſcit. nam tu gratias agis: ſed alius non ædificatur. Sic tamen omnino ſentiendum. nulla ratione fieri poſſe, nec in publica oratione, nec in priuata, ut lingua ſine animo, Deo accepta ſit. Præterea, tantam eſſe debere uim atq; ardorem eius quod mens cogitat, ut totum longe ſuperet, quod lingua enunciando exprimere poteſt. Poſtremo, ne eſſe quidem orationi priuatæ neceſſariam linguam

linguam: interior sensus sibi ipse ad incitationem satis esset. ut optimæ interdum orationes uoce careāt. quo modo in exemplo Moschæ & Hannæ spectatur. Nunc certior orandi non modo ratio, sed forma quoq; ipsa discenda est. Ea scilicet, quam per dilectum filium suum nobis cœlestis pater tradidit. ubi immensam bonitatem ac mansuetudinem agnoscere licet. Nam præterquam quod nos monet atq; hortatur, ut se in omni nostra necessitate quæramus (ut filij in parentum fidem cōfugere solent:) quoniam uidebat, ne id quidem satis nos perspicere, quàm angusta esset nostra paupertas, quid æquū postulare, quid etiam è re nostra esset: huic etiā nostræ ignorantiæ occurrit. & quod captui nostro deerat, de suo ipse suppleuit ac suffecit. Conscripsit enim nobis formulam: qua, uelut in tabula, proposuit, quicquid à se expetere licet, quicquid in rem nostram cōducit, quicquid postulare necesse est. Ex qua eius benignitate magnum consolationis fructū percipimus. quod nihil absurdum, nihil alienum aut importunū, nihil denique non illi acceptū, postulare nos intelligimus, qui penè ex eius ore rogamus. Hæc orādi seu forma, seu regula, sex petitionibus cōstituta est. Nā, ne ijs accedam, qui septem capitibus distingūt: facit, quòd apud Lucam

Exod. 1.
1. Reg. 1
Matth. 6
Luc. 11

Lucam ſex duntaxat legũtur: qui ſanè orationẽ mancam non reliquiſſet. Vt iam quod ſeptimo loco apud Matth. additũ eſt, exegetice ad ſextam petitionẽ referendum ſit. in his autẽ omnibus tametſi gloriæ Dei ratio imprimis habenda eſt: rurſum tametſi oẽs in rẽ noſtrã ſunt, atq; ita euenire, ut petimus, expedit: priores tamẽ tres, dei gloriæ peculiariter deſtinatæ ſunt: quam ſolam in illis intueri nos oportet, nullo cõmodi noſtri (ut aiũt) reſpectu. Tres reliquæ, noſtri curam gerunt: ac proprie ijs, quæ ex uſu noſtro ſunt, poſtu landis ſunt aßignatæ. Vt cum nomen Dei ſanctificari petimus: nihil tum de noſtro cõmodo cogitandum eſt, ſed eius gloria nobis proponẽda eſt, quam intentis oculis unã intueamur. nec aliter in huiuſmodi precibus affecti eſſe debemus. Atq; hoc quidẽ ipſum nobis in magnum cõmodum cædit: quod dum ita, ut petimus, ſanctificatur, fit etiã noſtra ſanctificatio. Sed ad huiuſmodi utilitatem oculi noſtri (ut dictum eſt) uelut cæcutire debẽt, ne in ipſam ullo modo reſpiciant. Vt ſi omnis ſpes priuati noſtri boni præciſa eſſet hæc tamẽ ſanctificatio, & alia quæ ad Dei gloriam pertinent, à nobis & optari, & precibus poſtulari
Exod. 32 non deſinant. ut in exemplis Moſche & Pauli ſpe-
Rom. 9 ctatur. qui mentes & oculos à ſeipſis auertentes, ue-
hementi

hementi incensoq́; zelo suam ipsorum perditionem expetebant: ut uel suo dispendio, gloria & regnum Dei promoueretur. Rursum, cũ panem nostrũ quotidianũ nobis dari petimus: tametsi optamus quod est nostri cõmodi, tamẽ hic quoq; Dei gloriam quærere præsertim debemus. Vt ne petituri quidem simus, nisi in Dei gloriam uerteret.

PATER NOSTER QVI ES in cœlis.

Primum, in ipso limine occurrit, quod antea diximus. omnem à nobis orationem offerri Deo debere in Christi nomine, ut nulla alio nomine commendari illi potest. Nam ex quo patrem uocamus Deum, nomen certe Christi prætendimus. Qua enim fiducia Deum aliquis patrem nominaret, quis huc temeritatis prorũperet ut sibi honorẽ usurparet filij Dei, nisi in Christo adoptati essemus in filios gratiæ? Qui cum uerus sit filius, nobis in fratrẽ ab ipso datus est. ut quod natura ipse proprium habet, adoptionis beneficio nostrũ fiat: si tantam beneficentiã certa fide amplectimur. Quemadmodum Ioannes ait, datam Ioan.1 esse potestatẽ ijs qui credunt in nomẽ unigeniti filij Dei, ut filij Dei ipsi quoq; fiant. Itaq; et patrẽ se nostrum appellat, & sic à nobis uocari uult. Hac tanta nominis

nominis suauitate omni nos diffidentia eximens. quando nullus alibi maior amoris affectus, quàm in patre reperiri poßit. Ipsius uero charitas tanto erga nos maior præstantiorq; est omni parentum nostro rum charitate, quanto ipse omnes homines bonitate ac misericordia superat. Vt si, quotquot in terra sunt patres, omni paternæ pietatis sensu exuti, filios desti tuerint, ipse nobis nunquam defuturus sit: quoniam
Tim. 2 *seipsum negare non potest.* Habemus enim eius pro-
Matth. 7 *missum: Si uos cũ mali sitis, nostis bona dare filijs ue stris: quãto magis pater uester qui in cælis est? Quod si filij eius sumus: ut filius in fidem extranei alieniq; hominis se conferre non potest, nisi simul de patris uel sæuitia, uel inopia queratur: ita aliunde subsidia q̃ ab ipso quærere nõ possumus, nisi ex ꝓbrata illi ege state ac facultatũ inopia, uel sæuitia, nimiaq; austeritate.* Nec *causemur, nos merito timidos reddi pec catorũ consciẽtia: quæ patrem, quãuis bonũ ac man suetũ, tamen nobis offensum reddiderint.* Nã *si inter homines, nullo meliore patrono causam suã apud pa trẽ filius agege potest, nullo meliore interprete perdi tam eius gratiã sibi cõciliare, q̃ si ipse supplex ac de- missus culpamq; agnoscens, patris misericordiam im-*
Cor. 1 *ploret: (non enim tum se paterna uiscera dißimulare possunt,*

possunt, quin ad tales preces commoueantur) quid ille pater misericordiarum, & Deus totius consolationis? an non potius filiorum pro se deprecantium lachrymas & genitus exaudiet (cum præsertim ad id nos inuitet & exhortetur) quàm quæuis aliorum patrocinia? ad quorum præsidia ideo suffugiũt: quia de patris sui mansuetudine ac clementia hæsitant.

Hanc paternæ mansuetudinis exuberantiã nobis in parabola pingit ac repræsentat: ubi pater filium, qui ab eo se alienauerat, qui substantiam eius dissolute prodegerat, qui grauiter in eum deliquerat, obuijs ulnis amplectitur. nec expectat donec uerbis ueniã postulet, sed ipse anteuertit, redeuntem eminus agnoscit, ultro illi occurrit, solatur, in gratiã recipit. Hoc enim tantæ mansuetudinis exemplũ in homine spectandum proponens, docere nos uoluit, quàm effusiorem expectare debeamus à se, non modo patre, sed patrum omnium longe optimo ac clementißimo: quãuis ingrati, rebelles, ac improbi filij. modo tamẽ in eius misericordiam nos conijciamus. Ac quo certiorem fidem faceret, se huiusmodi patrem nobis ipsis esse (si christiani sumus:) nõ modo pater, sed nominatim noster dici uoluit. Ac si in hunc modũ cum eo ageremus. Pater, qui tanta in filios pietate es præ- Luc. 15

ditus, tanta ad ignoſcendum facilitate, nos filij tui te appellamus ac poſcimus, ſecuri ac planè perſuaſi, nõ alio te eſſe erga nos affectu, quàm paterno: quantũuis indignos tali patre. Quòd autem non ita inſtituimur, ut ſuum quiſq; patrem peculiariter nominet, ſed potius, ut noſtrum in cõmune omnes uocemus: ex eo admonemur, quantũ fraternæ dilectionis affectum inter nos intercedere oporteat: qui talis patris communes ſumus filij. Nam *ſi unus omnibus nobis communis eſt pater, à quo prouenit quicquid omnino boni obtingere nobis poteſt: nihil inter nos diuiſum eſſe decet, quod non magna animi alacritate parati ſimus alter alteri cõmunicare, quantum uſus poſtulat.* Iam *ſi ita, ut par eſt, uiciſſim manum porrigere atq; opem ferre cupimus: non eſt in quo magis cõmodare fratribus poſſimus, quàm ſi optimi patris curæ ac prouidentiæ commendemus. quo propitio ac fauente, nihil omnino deſiderari poteſt.* Et *ſanè hoc ipſum patri etiam noſtro debemus. Vt enim qui patrem aliquem familias uere & ex animo diligit, totam ſimul eius domum amore ac beneuolentia complectitur: ad hunc modum, quo ſimus in hunc cœleſtem patrem ſtudio atq; affectu, erga eius populum, eius familiam, eius deniq; hæreditatẽ oſtendere conuenit,*

uenit: quam tantopere honorauit, ut plenitudinem unigeniti filij sui uocauerit. Ephe. 1 Ad hanc igitur legem, Christiani hominis orationem exigi oportet, ut communis sit, ac omnes cõplectatur, qui illi sunt in Christo fratres. Neq; solum quos tales ad praesens uidet atq; cognoscit, sed omnes qui super terrã agunt homines. De quibus quid statuerit Dominus, extra notitiam nostram est: nisi quòd illis optima optare, & sperare debemus. Etsi prae alijs, in domesticos fidei singulari quodam affectu propensi esse debemus: quos apostolus peculiariter nobis omni in re commendauit. Gal. 6 In summa, sic debent omnes esse orationes: ut in eam spectent cõmunitatem, quam Dominus noster in regno suo ac domo sua constituit. Neq; id tamen obest, quo minus & pro nobis, & pro certis alijs orare specialiter liceat. modo tamen animus ab huius cõmunitatis contemplatione non discedat, nec deflectat quidem, sed omnia istuc referat. Nam quamuis singulariter cõcipiantur: quia tamen ad eum scopum diriguntur, communes esse non desinũt. Id totum similitudine facile intelligi potest. Generale est Dei mandatum de subleuanda pauperum omnium egestate. Et huic tamen obediunt, qui in eum finem eorum inopiae succurrunt, quos labo-

rare aut norunt, aut uident: etiamsi multos praetereunt, qui non leuiori necessitate premuntur: uel quia nō omnes nosse, uel quia nō omnibus sufficere possint. In hunc modum, neq; ij uolūtati Dei repugnāt, qui cōmunem hanc societatem ecclesiae spectantes & cogitātes, huiusmodi particulares orationes concipiunt, quibus, publico animo, singularibus uerbis, se aut alios Deo cōmendant: quorum necessitatem propius sibi innotescere uoluit. Quanquā nō omnia quidem in oratione, & facultatum erogatione, sunt similia. Nam benignitas largiendi exerceri non nisi erga eos potest, quorum perspecta est nobis inopia. iuuare autem oratione uel alienissimos & ignotissimos licet, quantumlibet longo terrarum interuallo à nobis dissiti sint. Id autem fit per generalē illam precationis formulam, qua omnes filij Dei cōtinentur, in quibus & illi sunt. Adscribitur, *ipsum esse in coelis. Ex quo, non protinus raciocinandum est, ipsum coeli circunferentia, quasi cancellis quibusdā, inclusum & circunscriptū alligari. Siquidem & Solomon confitetur, coelos coelorum eum capere non posse. & ipse per prophetam ait, coelum suam sedem esse: terram autem, scabellum pedum suorum. Quo scilicet significat, non certa aliqua regione se limitari, sed*

3. Reg. 8
Iesa. 66
Act. 7.17

ri:ſed diffundi per omnia. Verum, quia aliter inenarrabilem eius gloriam mens noſtra, pro ſua craßitie, concipere non poterat: nobis per cœlum deſignata eſt, quo nihil auguſtius, aut maieſtate plenius ſub aſpectum noſtrum uenire poteſt. Quare, hoc perinde eſt, ac ſi dictus eſſet potens, ſublmis, incomprehenſibilis. Id uero dum audimus, exerenda eſt altius noſtra cogitatio, cũ de Deo *ſermo eſt: ne quicquã terrenũ aut carnale de eo ſomniemus, ne ipſum noſtris modulis metiamur, ne eius uoluntatem ad noſtros affectus exigamus.*

PRIMA. PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Dei *nomine hic eius poteſtas indicatur, quæ omnibus eius uirtutibus conſtat: ut, eius potentia, ſapientia, iuſtitia, miſericordia, ueritate. in hoc enim magnus & mirabilis eſt* Deus, *quia iuſtus, quia ſapiens, quia miſericors, quia potens, quia uerax, &c.* Hanc *ergo maieſtatem in huiuſmodi uirtutibus ſanctificari petimus. non in* Deo *ipſo: cui apud ſe nihil accedere aut decedere poteſt: uerum ut ab omnibus ſancta habeatur: hoc eſt, uere agnoſcatur & magnificetur.* Et *quicquid agit* Deus, *omnia eius opera glorioſa, ut ſunt, appareant.* Vt *ſiue ipſe puniat, iuſtus: ſiue igno*

ſcat, miſericors: ſiue præſtet quod promiſit, uerax prædicetur. Nulla deniq; omnino res ſit, in qua non eius gloria inſculpta reluceat. & ita in omnibus animis, in omnibus linguis, laudes eius perſonēt. Poſtremo, ut omnis impietas, quæ ſanctum hoc nomē polluit & prophanat: hoc eſt, quæ hanc ſanctificationem obſcurat aut diminuit, pereat atq; confundatur. in qua etiam cōfuſione magis ac magis Dei maieſtas inclareſcat. Atq; *ita hac petitione & gratiarum actio continetur.* Nam *dum nomen* Dei *ubiq; ſanctificari petimus: omnium illi bonorum laudem tribuimus, omnia illi accepta ferimus, beneficia eius erga nos recognoſcimus.*

SECVNDA.

Adueniat regnum tuum.

Regnum Dei *eſt, ſancto ſuo ſpiritu agere ac regere ſuos: quò in omnibus eorū operibus diuitias bonitatis ac miſericordiæ ſuæ cōſpicuas faciat. rurſum, reprobos, qui ſe pro* Deo *ac* Domino *nō agnoſcunt, qui ſuo imperio ſubijci nolunt, perdere ac deijcere, & ſacrilegam eorum arrogantiam proſternere: quò manifeſtum fiat, nullam eſſe poteſtatem, quæ ſuæ poteſtati reſiſtere queat.* H*æc autem cum in oculis noſtris quotidie fiant, dum ſanctum eius uerbum in-*

ſtar

stat sceptri erectum, sub cruce etiam & mundi contẽptu atq; ignominia uiget, regnat, prosperatur, fructum suum profert: uidere est, huiusmodi regnum in hoc quoq; mundo florere, Et si ex hoc mundo non est. Primũ, quia spirituale rebusq; spiritualibus constans: deinde, quia incorruptibile ac æternum. 1. Cor. 1 Ioã. 17. Rom. 14 Luc. 1 Daniel.

Oramus itaq; ut regnũ hoc Dei adueniat: hoc est, ut nouum indies fidelium populum sibi Dominus multiplicet, qui gloriam suam modis omnibus celebrent: in eos gratiarum suarum ubertatẽ largius semper effundat, per quas in ipsis magis indies ac magis uiuat ac regnet, donec sibi perfecte adiunctos totus impleat. Simul ut lucem ac ueritatem suam nouis semper incremẽtis illustret, quibus sathanæ, regniq; eius tenebræ ac mendacia euanescant, dispellantur, extinguantur, pereant. Dum autem hunc in modum precamur, ut regnum Dei adueniat: simul optamus, ut perficiatur tandem & impleatur, in reuelatione scilicet iudicij eius. quo die solus ipse exaltabitur, eritq; in omnibus omnia, collectis ac receptis in gloriam suis: regno uero sathanæ deturbato penitus, & prostrato. 1. Cor. 15

TERTIA.

Fiat uoluntas tua, ut in cœlo, ita in terra.

Qua postulamus, ut, tum in cœlo, tum in terra, hoc est, ubiq;, omnia pro uolũtate sua temperet atq; componat, omnes rerum euentus moderetur, omnibus suis creaturis pro arbitrio suo utatur, oẽs omniũ uoluntates sibi subijciat: ut uolũtati suæ pariter obediant. aliæ consensu, ut suorum: aliæ inuitæ ac reluctantes, ut diaboli & reproborũ, qui eius imperium detrectãt ac subterfugiunt, & obsequio se subducere conantur. Atq; *id quidem postulantes, nostris omnibus desiderijs abrenunciamus. quicquid in nobis est affectuum,* Domino *resignantes ac permittentes: rogantesq;, ne res ex uoto nostro nobis fluere: uerum, ut ipse prospexerit ac decreuerit, succedere faciat.* Neq; *uero id solum petimus, ut affectus nostros, qui uolũtati suæ aduersantur,* Deus *uanos &*
Ezech. 36 *irritos faciat: sed potius, ut nouas mẽtes nouosq; animos, nostris extinctis,* Deus *in nobis creet. ut nullus cupiditatis motus in nobis sentiatur, quàm purus cũ uolũtate sua cõsensus. In summa, ne q̃d ex nobis ipsis uelimus: sed ut spiritus suus uelit in nobis. quo intus docẽte, discamus amare ea, quæ ipsi placita sunt:*

odisse

odisse uero atq; abominari, quæcunq; displicent.

En prima tria capita precationis, in quibus poscendis solam Dei gloriam præ oculis habere conuenit, omissa nostri ratione, nec spectata ulla nostra utilitate. Quæ tametsi larga inde nobis prouenit, hic tamen à nobis quærenda non est. Hæc autẽ omnia quamuis nec cogitãtibus, nec optantibus, nec petentibus nobis, suo nihilominus tempore euenire oporteat: optanda tamen & poscenda nobis sunt. Idq; facere non leue operæpreciũ est. ut sic nos seruos esse ac filios Dei testemur, & profiteamur: eius honori (quod Domino patriq; debetur) quantũ in nobis est, seruiẽtes. Itaq;, qui hoc affectu ac studio promouendæ Dei gloriæ, non petunt, ut nomen Dei sanctificetur, ut regnum eius adueniat, ut fiat uoluntas eius: ij neq; inter filios & seruos Dei habẽdi sunt. Ac quemadmodum hæc omnia illis inuitis fient: ita in confusionem illis cædent ac iudicium.

QVARTA.

Hæc ex reliquis tribus prima: quibus peculiariter quæ in rem nostram sunt, ac nostræ necessitati succurrunt, à Deo poscimus.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Qua in genere omnia, quibus corporis usus sub elementis huius mundi indiget, à Deo *petimus, non modo quo alamur ac uestiamur: uerumetiã quicquid omnino nobis cõducere ipse prospicit, ut panem nostrum in pace comedamus. Qua breuiter, nos in eius curam tradimus, ac prouidentiæ cõmittimus: ut nos pascat, foueat, seruet.* N*on enim dedignatur optimus pater, corpus etiam nostrum in fidem ac custodiam suam suscipere, ut fidem nostram minutis istis in rebus exerceat: dum ab eo omnia, usq; ad micam panis, & guttam aquæ, expectamus.* Nam *cum sit nescio qua nostra iniquitate comparatũ, ut maiori carnis quàm animæ solicitudine afficiamur ac torqueamur, multi qui audent* Deo *de anima fidere, sunt tamen adhuc de carne soliciti. adhuc hæsitant, quid edant, quid uestiantur: & nisi præ manibus habeant uini, frumenti, & olei copiam, trepidant.* T*anto pluris nobis est huius momentaneæ uitæ umbra, quàm æterna illa immortalitas. Qui uero* Deo *confisi, illam de carnis cura anxietatem semel abiecerũt, simul statim quæ maiora sunt, etiam salutem & uitam æternam,*

æternam, ab eo expectant. Non *ergo leue est fidei exercitiũ, ea de* Deo *ſperare, quæ alioqui nos tantopere anxios habent. neq; parum profectum eſt, ubi hanc, quæ in omnium penè hominũ oßibus mordicus hæret, infidelitatem exuimus*. Itáq; *à patre noſtro petimus panem noſtrum*. Porrò *quod quotidianum, & hodie dicimus: docemur, ne immodica fluxarum iſtarum rerum cupiditate ardeamus: quas poſtea ambitioſe in uoluptatem, in oſtentationem, aut aliã luxus ſpeciem profundamus*. *Sed petendum duntaxat quantum neceßitati noſtræ ſatis eſt, & uelút in diem*. Hac *certa fiducia, patrem noſtrum, ubi nos hodie nutrierit, neq; nobis craſtino defuturum*. Matth. 6

Q*uantacunq; autem rerum copia nobis affluat, etiam ubi expleta fuerint horrea, & plena cellaria: ſemper tamen panem quotidianum nos petere conuenit: hoc cogitantes, omnem ſubſtantiam nihil eſſe, niſi quatenus, effuſa ſua benedictione*, Dominus *proſperat & fœcundat. & quæ in manu noſtra eſt, ne eã quidem noſtrã eſſe: niſi quatenus in ſingulas horas portiunculam nobis largitur, uſumq; permittit*. Q*ui uero pane quotidiano nõ cõtenti, ſed effreni cupiditate, infinitis inhiantes: aut qui abundantia ſua ſaturi, & diuitiarum ſuarũ cumulo ſecuri, hac nihilo*

minus

minus precatione Deo ſupplicant, nihil quàm ipſum irrident. Priores enim petunt, quod impetratum nollent: imò quod maxime abominantur. nempe, panem quotidianum duntaxat. quantumq́; poſſunt, auaritiæ ſuæ affectū Deo diſsimulant. cum uera oratio totam ipſam mentem, & quicquid intus latet, apud ipſum effundere debeat. Alteri uero poſtulant, quod minime ab eo expectant. nempe, quod ſibi apud ſe eſſe arbitrantur. In eo quòd Noſter dicitur, magis adhuc eminet Dei benignitas: quæ noſtrum facit, quod nò
Deut. 8 *bis nulla ratione debebatur. Quòd dari notis petimus, ſignificatur eſſe ſimplex ac gratuitum Dei donum, undecunq; nobis adueniat: etiam ubi maxime uiſus fuerit arte atq; induſtria noſtra quæſitus, ac manibus noſtris comparatus.*

QVINTA.

Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

Qua peccatorum remiſsionem condonari nobis petimus: omnibus, ſine ulla exceptione, hominibus
Rom. 3 *neceſſariam. Et peccata, debita nuncupamus: quòd eorum pœnam Deo, ceu precium, debemus. nec ſatisfacere ullo modo poſſemus, niſi hac remiſsione liberaremur: quæ uenia eſt gratuita miſericordiæ eius*

cum

cũ ipse liberaliter hæc debita expungit, ijsq; nos soluit, nullum à nobis precium accipiens: sed sua ipsius misericordia sibi satisfaciens in Christo, qui se semel patri in compensationem tradidit. Itaq; qui suis aut aliorum meritis, Deo satisfieri confidunt, hisq; satisfactionibus peccatorum remissionem pensari ac redimi, huic gratuitæ condonationi minime communicant. ac dum in hanc formam Deum inuocant, nihil aliud quàm in suam accusationem subscribunt, ac damnationem obsignant, suo ipsorum testimonio. Fatentur enim se debitores, nisi remissionis beneficio soluantur: quam tamen non accipiunt, sed magis respuũt, dum sua merita ac satisfactiones Deo obtrudunt. Sic enim non eius misericordiam implorant, sed iustitiam appellant. Petimus demum remissionem nobis fieri, ut ipsi debitoribus nostris remittimus: hoc est, ut ijs parcimus, ac ueniã condonamus, à quibus ulla in re læsi sumus, aut facto iniquè tractati, aut dicto contumeliose accepti. Non quod ijs delicti atq; offensæ culpam remittere nostrũ sit, quod solius Dei est: uerum hæc nostra est remissio, iram, odium, uindictæ appetentiam, ex animo ultro deponere, & iniuriarum memoriam uoluntaria obliuione conterere. Quamobrem peccatorum remissio Iesa. 43

mißio à Deo petenda non eſt, niſi offenſas etiã ipſi noſtras omnibus remittamus, qui nobis iniurij uel ſunt, uel fuerunt. Si qua uero odia animis retinemus, ultiones meditamur, & qua noceamus occaſione, co gitamus: imò uero niſi cũ inimicis redire in gratiam, ipſosq́; omnium officiorũ genere demereri, nobisq́; conciliare nitimur: hac precatione Deum *obteſtamur, ne peccatorum remißionem nobis faciat.* Poſci*mus enim, ut nobis faciat, quã alijs facimus.* Hoc *uero eſt petere, ne nobis faciat, niſi ipſi facimus.* Qui *ergo huiuſmodi ſunt, quid conſequuntur ſua petitione, niſi grauius iudicium?* Poſtremo *obſeruandũ eſt, non hanc conditionem ideo adijci:* Vt *remittat nobis ſicut debitoribus noſtris remittimus: propterea quòd noſtra, quam alijs facimus, remißione, eius remißionẽ mereamur.* Verum *hoc uerbo ſolari duntaxat uoluit* Dominus *fidei noſtræ imbecillitatem.* Addidit *enim hoc tanquam ſignum: quo confirmaremur, tam certo nobis factam à ſe remißionem pec catorum, quàm certo conſcij ſumus, alijs eam à nobis fieri. ſi tamen animus nobis omni odio, liuore, uindicta uacuus, purgatusq́; eſt.* Præterea *hac ueluti nota, è filiorum numero expunxit, qui ad ulciſcen dum præcipites, ad remittendũ difficiles, pertinaces*

inimicitias

inimicitias exercent: & indignationem, quam in Deo deprecantur, ipsi aduersus alios fouent, ne se pro patre inuocare ausint.

SEXTA.

Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à maligno.

Multæ sunt ac uariæ tentationum formæ. Nam & prauæ omnes animi conceptiones, in legis transgreßionem nos prouocantes: quas, uel concupiscentia nostra nobis suggerit, uel diabolus excitat, tentationes sunt. Et quæ suapte natura mala non sunt, diaboli tamen arte, tentationes fiunt: cum sic oculis nostris ingeruntur, ut eorum obiectu à Deo abstrahamur, aut declinemus. Et hæ quidem tentationes sunt, uel à dextris, uel à sinistris: A dextris, ut diuitiæ, potentia, honores: quæ plærunq; suo fulgore & boni specie, quam præ se ferunt, hominũ aciem præstringũt, et blãditijs suis inescãt, ut talibus præstigijs capti, ut tali dulcedine ebrij, Deũ suũ obliuiscantur. A sinistris, ut paupertas, probra, contemptus, afflictiões, et cætera id genus: quorũ acerbitate, difficultateq; offensi, animos despõdeãt, fiduciã ac spẽ abijciãt, demũ à Deo prorsus alienentur. His tentationibus, quæ uel cõcupiscẽtia nostra in nobis accẽsæ, uel

Iacob. 1
Matth. 4
1. Thes. 3

sathanæ

ſathanæ uafritia nobis propoſitæ, nobiſcũ pugnant, ne cædere nos permittat, à Deo patre noſtro precamur. Verum, ut potius manu ſua nos ſuſtẽtet atq; erigat, quo eius uirtute robuſti, contra omnes maligni hoſtis inſultus firmi ſtare poßimus: quaſcunq; cogitationes animis noſtris immittat. Et quicquid nobis in utramq; partem proponitur, in bonum uertamus: hoc eſt, ne inflemur proſperis, nec aduerſis deijciamur. Neq; uero hic poſtulamus, ne ullas omnino tentatiões ſentiamus: quibus magis excitari, pungi, uellicari, magnopere nobis opus eſt, ne nimium reſides
Iacob. 1 *torpeamus. Neq; enim abs re Dauid tẽtari optabat:*
Pſal. 26 *nec citra cauſam electos ſuos quotidie tentat Domi*
Gen. 22 *nus: eos per ignominiam, paupertatẽ, tribulationem,*
ut. 8. 13 *& alias crucis ſpecies caſtigans. Sed aliter Deus tentat, aliter ſathan. hic ut perdat, damnet, confundat, præcipitet: Deus uero, ut ſuos probet & exerceat, eorum carnẽ mortificet, excoquat, urat. Quæ niſi in hunc modum coërceretur, laſciuiret, & ſupra modum exultaret. Præterea, ſathan inermes & imparatos adoritur, ut incautos opprimat: Deus unà cũ*
. Cor. 10 *tentatione facit euentũ, ut ſufferre ſui patienter poſ-*
2. Pet. 2 *ſint, quicquid illis immittit. Hæc igitur noſtra eſt poſtulatio, ne ullis tentationibus uincamur ac obruamur:*

obruamur, ſed Domini *uirtute contra omnes aduerſas uirtutes, quibus oppugnamur, fortes cõſiſtamus. quod eſt, non ſuccũbere tentationibus.* Vt *in eius cuſtodiã ac fidẽ ſuſcepti, ac protectione eius ſecuri, ſupra peccatũ, mortem, inferorũ portas, & totum diaboli regnum inuicti ſtemus. quod eſt, à maligno liberari.* Vbi *etiam diligenter animaduertendum eſt, non noſtrarum eſſe uirium, cum diabolo, tanto bellatore, congredi, nec uim eius atq; impetum ferre.* Alioqui *fruſtra aut per ludibrium à* Deo *poſceretur, quod domi apud nos eſſet. Sanè qui ſui fiducia ad talem ſe pugnam comparant, non ſatis intelligũt, cum quàm pugnaci atq; inſtructo hoſte ſibi res ſit.* N*unc petimus ab eius poteſtate liberari, tanquã ab ore inſani ac rabidi alicuius leonis, ſtatim eius unguibus ac dentibus diſcerpendi, eius faucibus deglutiendi: niſi nos* Dominus *è media morte eripiat.* Hoc *tamen ſimul ſcientes, quòd ſi* Dominus *aderit, ac pro nobis tacentibus pugnabit, in eius uirtute faciemus uirtutem.* C*onfidant alij, ut uolent, libero ſuo arbitrio, & quas ex ſe habent, uiribus: nobis ſatis ſit, quòd unâ* D*ei uirtute ſtamus & ualemus.* Tres *iſtæ precationes, quibus peculiariter nos ac noſtra* Deo *commendamus, euidenter oſtendunt, quod antea diximus.*

mus: Christianorum orationes publicas esse debere, ac in publicam ecclesiæ ædificationem, communionisq́; fidelium profectum spectare. Non enim sibi quisque priuatim dari quicquam postulat: uerum omnes in commune, panem nostrum, remissionem peccatorum, ne inducamur in tentationem, ut à maligno liberemur, poscimus. Causa præterea subijcitur, cur tanta sit nobis & petendi audacia, & fiducia obtinendi.

Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum.

Hæc hæc solida tranquillaq́; est fidei nostræ requies. Nam si nostra dignitate nostræ Deo orationes commendandæ essent, quis omnino uel mutire coram Deo auderet? Nunc ut miserrimi simus, ut omnium indignissimi, ut omni cōmendatione uacui, nunquam tamē orandi nos causa deficiet, nunquam fiducia destituet: quando nec patri nostro regnum suū, potentia, gloria, eripi potest. Ad finē additur, Amen. quo ardor desiderij exprimitur, obtinendi quæ à Deo petita sunt: & spes nostra confirmatur, huiusmodi omnia iam impetrata esse, & certo nobis concessum iri: quando à Deo promissa sunt, qui fallere non potest. Habemus quicquid à Deo petere

debemus,

debemus, ac omnino etiam possumus, descriptũ hac formula, & uelut orandi regula, ab optimo magistro Christo tradita: quem nobis doctorem pater praefecit, & quem unum auscultari atq; exaudiri uoluit. Matth. 17
Nam & aeterna eius sapientia semper fuit: & homo factus, angelus magni consilij hominibus datus est. Iesa. 9
Atq; adeo numeris omnibus absoluta est haec oratio, ut quicquid illi extraneum alienumq; additur, quod ad eam referri non poßit, impium sit, & indignũ quod à Deo *concedatur. Hac enim summa praescripsit, quid se dignum, quid sibi acceptum, quid necessarium nobis sit: quid deniq; concedere ipse uelit.*

Quamobrem qui ultra progredi audent, & praeter haec à Deo *aliquid postulare: primum quidem, sapientiae* Dei *ex suo addere uolunt (quod sine insana blasphemia esse non potest.) deinde, sub uoluntate* Dei *non se continent: sed ea contempta, longius cupiditate euagantur. postremo, nihil unquã assequentur, cum sine fide orent. Quòd uero omnes eiusmodi orationes citra fidem fiant, nihil est dubium. quia hic abest uerbum* Dei: *quo nisi fides semper nititur, stare nullo modo potest. Isti uero non modo uerbo* Dei *carent: sed quantum omni conatu ualent, aduersantur.* *Haec ita nolumus accipi, quasi hac pre-*

candi formula adstringamur, ut nec uerbum aut syllabam mutare liceat. Multæ enim paßim in scripturis leguntur orationes, uerbis ab ista longe diuersæ, eodem tamen spiritu conscriptæ, & quarũ usus ualde utilis nobis est. Id duntaxat sic docendo agimus, ne quis omnino aliud quærat, expectet, aut postulet, quàm quod hac oratiõe summatim cõpræhẽsum est: &, uerbis licet diuersißimis, sensu tamen non uariet. Quo modo omnes, quæ in scripturis habentur, orationes, in hanc conferri certum est. Nullam sanè reperire usquã liceat, quæ huius perfectionẽ æquare, nedum superare poßit. Nihil hic omissum est, quod in Dei laudes cogitari, nihil quod homini pro suis cõmodis in mentem uenire debeat. Et adeo quidem exacte, ut omnibus merito spes ablata sit, melius aliquid tentandi. In summa, meminerimus hanc diuinæ sapientiæ esse doctrinam: quæ quod uoluit, docuit: uoluit autẽ, quod necesse fuit. Quanquam autem supra iam dictum est, sublatis ad Deum animis semper suspirandum, & sine intermißione orandum: quando tamen ea nostra est imbecillitas, quæ multis adminiculis sustẽtari: is noster torpor, qui calcaribus excitari opus habeat: conuenit, ut sibi quisq; nostrûm exercitationis causa peculiares horas constituat,

stituat, quæ non sine oratiòne effluant, & quæ totos animi affectus in hoc penitus occupatos habeãt. N*empe dum mane surgimus, antequã diurnam operam aggredimur, dum ad pastum discumbimus, dum* Dei b*enedictione pasti sumus, dum ad quietem nos recipimus.* H*æc modo sit, non superstitiosa horarum obseruatio, quibus ceu pensum* Deo *soluẽtes in cæteras horas defuncti nobis uideamur: sed imbecillitatis nostræ pædagogia, qua sic exerceatur, & subinde stimuletur.* P*ræsertim solicite curandum est, ut quoties aliqua rerum angustia aut ipsi premimur, aut premi alios uidemus, ad eum statim citatis, non pedibus, sed animis recurramus: deinde ne quam, aut nostram, aut aliorum prosperitatem præterire sinamus, quin laude ac gratiarum actione, manum eius agnoscere nos testemur.* P*ostremo, hoc in omni oratione diligenter obseruandum est, ne certis circumstantijs* Deum *alligare uelimus, ne illi præscribere, quo quid tempore, quo loco, qua ratione facturus sit.* Q*ualiter hac oratione docemur, nullã illi legem figere, aut conditionem imponere: sed eius arbitrio permittere, ut quæ facturus est, qua sibi ratione, quo tempore, quo loco uisum fuerit, faciat.* P*ræterea, antequam ullam pro nobis precem concipimus: præfa-*

mur, ut eius uoluntas fiat. ubi iam eius uoluntati nostrã subijcimus. Quo, hoc uelut iniecto freno, coërcita, Deum in ordinẽ cogere ne præsumat: sed eum uotorum omnium suorum arbitrũ ac moderatorem statuat. *Si animis in hanc obedientiam compositis, prouidentiæ diuinæ legibus nos regi patimur: facile discemus in oratione perseuerare, ac suspensis desiderijs patienter expectare dominum. certi, etiam si minime apparet, nobis tamen semper adesse: suoq; tempore declaraturum, quàm non habuerit surdas aures precibus, quæ in hominum oculis neglectæ uidebantur.* Erit *uero istæc præsentißima consolatio, ne deficiamus, ac desperatione concidamus: si quando ad prima nostra uota* Deus *nõ respõderit. Quemadmodum solent, qui dum suo tantum ardore feruntur, sic* Deũ *inuocant, ut nisi ad primos impetus adfuerit, ac præsentem opem attulerit, statim iratum sibi infensumq; fingant: & omni spe exorandi abiecta, inuocare desinant.*Deinde *etiam, ne* Deum *tentemus, & nostra improbitate fatigatum, aduersum nos prouocemus. Quod multis solenne est, qui non nisi certa conditione cum* Deo *pasciscuntur: &, ac si suarum cupiditatum seruus esset, stipulationis suæ legibus adstringunt. quibus nisi extemplo pareat, indignantur,*

dignantur, fremunt, obloquuntur, murmurant, tumultuantur. Quibus ſæpe in furore ſuo iratus concedit, quod alijs in miſericordia propitius denegat. Documento ſunt filij Iſraël: quibus ſatius fuerat non exaudiri à Domino, *quàm cum carnibus, eius indignationem uorare.* Numer. 1

Quod ſi demum, nec poſt longam expectationem, aſſequatur ſenſus noſter, quid orando profectũ ſit: nec fructum inde ullũ ſentiat: fides tamen noſtra, quod ſenſu percipi non poterit, nobis certum faciet: nos obtinuiſſe, quod expediebat. Atq; ita efficiet, ut in paupertate, abundantiam: in afflictione, conſolationem poßideamus. Nam, *ut deficiant omnia,* Deus *tamen nunquã nos deſtituet: qui expectationem ac patientiam ſuorum fruſtrari non poteſt.* Erit *ipſe unus nobis pro omnibus. quando bona omnia in ſe complectitur: quæ olim nobis reuelabit, in die iudicij, quo regnum ſuũ plane manifeſtabit.*

Hac *uero patientia ſuſtentari eouſq; opus habent fideles: ut non diu conſtaturi ſint, niſi in eam recumberent.* Non *enim leuibus experimentis ſuos probat* Dominus*: nec molliter exercet, ſed in extrema quæq; ſæpe adigit: & adactos, diu in eo luto hærere ſinit, antequam guſtum ſuæ dulcedinis aliquem illis præbeat. atq; (ut ait* Han*na) mor-*

1.Reg.2 *na) mortificat, & uiuificat: deducit ad inferos, & reducit. Quid hic possent, nisi liqui animis & in desperationē ruere? nisi afflictos, desolatos, & iam semimortuos hæc cogitatio erigeret, se à Deo respici, & finem præsentibus malis affore?*

DE SACRAMENTIS.

CAPVT IIII.



VNC *de sacramentorum ratione dicendum erit, de quibus certam aliquam doctrinam tradi, magnopere nostra refert: unde nos, & quem in finem instituta fuerint, & quis eorum nunc usus sit, discamus.* Principio *animaduertere cōuenit, quid sit sacramentum. Est autem signum externum, quo bonam suam erga nos uoluntatem* Dominus *nobis repræsentat, ac testificatur: ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem.* Defini*ri quoq; aliter potest:* Vt *uocetur testimonium gratiæ* Dei, *externo symbolo nobis declaratum.* Q*uo etiam intelligimus, nunquam sine præeunte promissione esse sacramentum. sed illi potius tanquam appendicem*

pendicem quandã adiungi, in hoc, ut promißionem ipsam firmet atq; obsignet, nobisq; uelut testatiorem faciat: quomodo mentis nostræ ignorantiæ, ac carnis infirmitati opus esse Deus *prouidet.* Neq; *tamen tam ut ipsam firmet, quam nos in ipsa: siquidem* Dei *ueritas per se satis solida certáq; est, nec aliunde meliorem confirmationem, quàm à seipsa accipere potest. Verum sic exigua est & imbecilla nostra fides, ut nisi undiq; fulciatur, ac modis omnibus sustentetur, statim concutiatur, fluctuetur, uacillet. Atq; ita quidẽ hic se captui nostro attemperat misericors* Dominus, *ut quando animales sumus, qui humi semper adrepentes, & in carne hærentes, nihil spirituale cogitamus, ac ne concipimus quidem: elementis etiam istis carnalibus nos ad se deducit, atq; in ipsa carne contemplari facit ea quæ sunt spiritus.* Non *quia tales inditæ sunt dotes naturis rerum, quæ in sacramentis nobis proponuntur: sed quia in hanc significationem à* Deo *signatæ sunt.* Nec *audiendi sunt quidam, qui hoc cauillo argutãtur: aut uerbum* Dei, *quod sacramentum præcedit, scimus esse ueram* Dei *uoluntatem: aut nescimus. si scimus, nihil ex sacramento, quod postea sequitur, nouum discimus. si nescimus, neq; id docebit sacramentũ: cuius uis omnis*

atq; energia in uerbo sita est. Quibus breuiter respōsum sit: Sigilla, quæ diplomatibus aliisq; publicis actis appenduntur, per se accepta, nihil sunt. utpote quæ frustra appensa forent, si menbrana nihil haberet descriptū. neq; tamen ideo non confirmant atq; obsignant quod scriptum est, dum scriptis adiiciuntur. Neq; hanc similitudinē nuper à nobis confictā
Rom. 4 iactare possunt: quam Paulus ipse usurpauit, circuncisionē uocās σφραγῖδα. Et quando Dominus
Gen. 6 9 promißiones suas, fœdera nuncupat, sacramēta, sym
& 17 bola fœderum: ab ipsis hominū fœderibus simile adduci potest. Porca cæsa quid efficiat, nisi uerba intercederent: imò nisi præirent? nā porcæ sæpius cæduntur, citra ullum interius aut sublimius mysteriū. Quid dextra data? cum manus hostiliter non raro conserantur. Et ubi uerba præierint, talibus sanè symbolis fœderum leges sanciuntur: quamuis prius uerbis conceptæ, conditæ, decretæ. Sacramenta igitur exercitia sunt, quæ certiorē uerbi Dei fidem nobis faciūt. & quia carnales sumus, sub rebus carnalibus exhibentur: ut ita pro tarditatis nostræ captu nos erudiant, & perinde ac pueros pedagogi, manuducant. Hac ratione Augustinus, sacramentū, uerbum uisibile nuncupat: quòd Dei promißiones uelut in tabu

in tabula depictas, repraesentet, & sub aspectū graphice atq; εἰκότως expressas, statuat. Aliae quoq; similitudines afferri possunt, quibus sacramenta planius designētur. ut si uocemus, fidei nostrae colūnas. Quo enim modo aedificiū, suo quidem fundamento stat & incumbit, subiectis tamen columnis certius stabilitur: ita fides in uerbo Dei, non secus ac fundamento, residet. sed cum accedunt sacramenta, ipsis adhuc ceu columnis solidius innititur. aut, si dicamus specula, in quibus gratiae dei diuitias, quas nobis elargitur, contēplari liceat. Ipsis enim sese nobis (ut iam dictum est) manifestat, quantum nostrae hebetudini agnoscere datum est: & bonā suam erga nos uoluntatem testificatur. Nec satis apposite ratiocinantur, qui ex eo contendunt non esse testimonia gratiae Dei: quia & ab impijs saepe accipiuntur, qui tamen Deum nihilo sibi magis propitiū inde sentiunt, sed grauiorem potius damnationē contrahunt. Nam eodem argumento, nec Euangelium esset testimonium gratiae Dei, quod à multis auditur ac spernitur. nec Christus demum ipse, qui à cōpluribus uisus est ac cognitus, quorum paucissimi eum receperunt. Itaq; certum est, nobis à Domino misericordiam, ac bonae suae uoluntatis gratiā, cum sacro suo

uerbo

uerbo, tum ſacramentis offerri. Verum non apprehenditur niſi ab his, qui & uerbum & ſacramenta, certa fide accipiunt. Qualiter omnibus in ſalutẽ oblatus à patre ac propoſitus eſt Chriſtus, non tamen ab omnibus agnitus exceptusq́; eſt. Id cũ alicubi indicare Auguſtinus uellet, dixit uerbi efficaciã in ſacramento proferri: non quia dicitur, ſed quia creditur.

Auguſt. in Ioan.

Conſtituimus ergo, ſacramẽta in hoc à Deo poſita eſſe, ut fidei noſtræ ſeruiant. nempe ut alant ipſam, exerceant, augeant. Quæ uero contra hanc ſententiam obiectari à nonnullis ſolent rationes, nimis friuolæ eneruesq́; ſunt. Aiunt alij meliorẽ fidem noſtram fieri non poſſe, ſi bona eſt. non enim eſſe fidem, niſi quæ inconcuſſe, firmiter, indiſtracte, Dei miſericordiæ innititur. Quibus ſatius fuerat cũ apoſtolis orare, ut Dominus ſibi augeret fidem: quàm talem fidei perfectionẽ ſtolide obtendere, quam nemo unquã ex filijs hominũ aſſecutus eſt, nemo aſſequetur in hac uita. Reſpondeant, qualẽ ei fuiſſe fidẽ exiſtiment, qui dicebat: Credo Domine, adiuua incredulitatẽ meam. Nam & illa utcunq; inchoata fides, bona erat: & melior, ſublata incredulitate, fieri poterat. ſed nullo certiore argumento, quàm ſua ipſorum conſcientia, refellentur. Nam ſi peccatores ſe fatentur

Mar. 9

tẽtur (quod, uelint nolint, inficiari nequeũt) idipsum fidei suæ imperfectioni imputent, necesse est. At respõdit, inquiũt, Philippus Eunucho, baptizari ipsum Acto. 8
licere, si ex toto corde crederet. Quẽ hic locũ habet baptismi confirmatio, ubi fides totũ cor implet? Rursum ipsos interrogo, An non bonã cordis sui partem fide uacuam sentiunt, an non noua quotidie incrementa agnoscunt? Gloriabatur ille, se dicendo fieri senem. Nos igitur ter miseri Christiani, si nihil proficiendo, senes simus: quorum fides per omnes ætatum gradus progredi debet, donec adolescat in uirũ Ephes. 4
perfectum. Itaq; in hoc loco, ex toto corde credere, non est perfecte Christo hærere: sed ex animo duntaxat, & syncera mente illum amplecti. non eo saturum esse: sed ardenti affectu esurire, sitire, & post eum suspirare. Hic mos est scripturæ, ut toto corde fieri dicat, quod syncere et ex animo fieri significat. Cuius ratiõis sunt ista: In toto corde meo exquisiui Psal. 119
te. item, Cõfitebor tibi in toto corde meo: et similia. 111. 138

Alij scribunt. Si fides per sacramenta augeatur, frustra datum esse spiritũ sanctũ: cuius uirtus atq; opus est, inchoare, tueri, consummare fidẽ. Quibus equidem fateor, propriũ ac solidũ spiritus sancti opus fidem esse: à quo illuminati, Deum, ac benignitatis

eius thesauros agnoscimus. et sine cuius lumine mēs nostra adeo cæca est, ut nihil conspicere: adeo stupida, ut nihil subodorari rerum spiritualium possit. Verum pro uno Dei beneficio, quod ipsi prædicant, nos tria perpendimus. Nam primũ, uerbo suo nos docet & instituit Dominus: deinde, sacramentis confirmat: postremo, sancti sui spiritus lumine, mētibus nostris illucet, & aditum in corda nostra uerbo ac sacramētis aperit. quæ alioqui aures duntaxat percellerent, & oculis obuersarētur: interiora minime afficerent. Adeò autem sacramenta confirmationes sunt fidei nostræ, ut nonnunq̃ Dominus, quando rerum ipsarum, quæ in sacramentis promittebantur, fiduciam tollere uult, sacramenta ipsa auferat. Cum Adam immortalitatis dono spoliat & abdicat: non
Gene.3 colligat, inquit, de fructu uitæ, ne uiuat in æternum. Quid audimus? an suam Adæ incorruptionem, à qua iam deciderat, restituere poterat fructus ille? minime. sed hoc perinde est, ac si dixisset: Ne uana fiducia fruatur, si promissionis meæ symbolũ teneat: excutiatur illi, quod spem aliquam immortalitatis fa-
Ephes.2 cere posset. Hac ratione, cum Apostolus Ephesios hortaretur, se meminissent fuisse hospites testamentorũ, alienos à cõsortio Israëlis, sine Deo, sine Christo: dixit;

ſto: dixit, non fuiſſe participes circuncisionis. Quo metonymice ſignificat, à promißione ipſa excluſos, qui teſſeram promißionis non accepiſſent. Ad eorum uero alterũ obiectũ, Dei gloriã ad creaturas deriuari, quibus tantũ uirtutis attribuitur, ſicq́; eatenus diminui: reſpõdere promptũ eſt, nullã in creaturis uirtutẽ à nobis reponi. Hoc dũtaxat dicimus: Deũ medijs ac inſtrumẽtis, quæ expedire ipſe proſpicit, uti: ut eius gloriæ omnia obſequãtur: quando omniũ ipſe Dominus eſt & arbiter. Ergo ut per panẽ, cæteraq́; alimẽta, corpora noſtra paſcit: ut per ſolẽ, mundũ illuminat: ut per ignem, calefacit: nec tamẽ aut panis, aut ſol, aut ignis aliquid ſunt, niſi quatenus ſub ijs inſtrumẽtis benedictiones ſuas nobis diſpẽſat: ita ſpiritualiter per ſacramẽta fidẽ alit. quorũ unicũ officium eſt, dei ꝓmißiões oculis noſtris ſpectãdas ſubijcere. Et ut noſtrũ eſt, in cæteris creaturis (quæ bona Dei uolũtate uſibus noſtris deſtinatæ ſunt, quarũq́; miniſterio bonitatis ſuæ munera nobis largitur) nihil fiduciæ defigere: nec quaſi boni noſtri cauſas, admirari et prædicare: ita neq; in ſacramẽtis hærere fiducia noſtra debet, nec Dei gloria in ipſa transferri: ſed omißis omnibus, ad ipſum & ſacramẽtorũ et rerũ omniũ autorẽ, ſurgere, & fides et cõfeßio debẽt. Quòd autẽ ex ipſo ſacramenti nomine quærunt errori ſuo

prætextum, parũ cordate id faciunt. Sacramentum, inquiunt, cum multas habeat apud probatos autores ſignificationes, unam tantum habet, quæ ſignis conueniat. nempe qua ſolenne illud iuramentum ſignificat, quod miles imperatori præſtat, cum militiæ initiatur. Vt enim militari illo ſacramento, fidem ſuam imperatori obſtringunt noui milites, & militiam profitentur: ita nos noſtris ſignis Chriſtũ imperatorem profitemur, & ſub eius ſignis nos militare teſtamur. Addunt ſimilitudines, quibus rem magis dilucidam reddant. Vt toga Romani, à palliatis Græcis diſcernebantur: ut ipſi inter ſe ordines Romæ ſuis ſymbolis diſtinguebantur, ſenatorius ab equeſtri, purpura et lunatis calceis: rurſum à plebeio equeſter, annulo: ita nos ſymbola noſtra geſtamus, quibus à prophanis diſcernamur. At ego cõſtanter affirmo, ueteres, qui ſacramentorum nomen ſignis indiderunt, minime reſpexiſſe, quis fuiſſet uerbi huius uſus latinis ſcriptoribus: ſed nouã hanc ſignificationẽ pro ſuo commodo affinxiſſe, qua ſimpliciter ſacra ſigna deſignarẽt. Quòd ſi altius argutari uolumus, uideri poſſunt eadem analogia nomen hoc ad eiuſmodi ſignificationem tranſtuliſſe, qua nomen fidei ad eum ſignificatum, in quo nunc uſurpatur. Cum enim fides, ſit in

præſtandis

præstandis promißis ueritas, fidem tamen dixerunt certitudinem: ceu certam persuasionem, quæ de ipsa ueritate haberetur. Ad hunc modum, cum sacramentum sit militis, quo se suo imperatori uouet: fecerunt imperatoris, quo milites in ordines recipiat. Dominus enim per sacramēta se nobis in Deum fore pollicetur, & nos sibi fore in populum. Verum tales argutias omittimus. quando multis, & quidem planis argumētis euincere licet, nihil aliud spectasse, quàm ut significarent, signa hæc sanctarū & spiritualium rerum esse. Similitudines, quas afferunt, recipimus: sed non ferimus, quod posterius est in sacramentis, ab illis primum, atq; adeo unum constitui. Est autem hoc primum, ut fidei nostræ apud Deum seruiant. posterius, ut confeßionem nostram apud homines testentur. Secundum hanc posteriorem rationem, ualent illæ similitudines. Rursum admonendi sumus, ut isti uim sacramentorum eneruant, usumq́; prorsus euertunt: ita ab aduersa parte stare alios, qui arcanas nescio quas uirtutes sacramentis affingūt, quæ nusq̄ illis à Deo insitæ leguntur. Quo errore periculose falluntur simpliciores & imperiti, dum & Dei dona quærere docentur, ubi reperiri minime poßunt: & à Deo sensim abstrahūtur, ut post uanitatem abeant.

Eorum autem, qui talem doctrinam ferunt, duo sunt genera. Priores tradiderunt, sacramenta nouæ legis, hoc est, quæ nunc in usu sunt Christianæ ecclesiæ, iustificare & conferre gratiam: modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia, dici non potest, quàm sit exitialis & pestilens. eóq; magis, quòd multis ante seculis, magna ecclesiæ iactura in bona orbis parte obtinuit. Planè certe diabolica est. Nam dum iustitiã citra fidem pollicetur, animas in confusionem ac iudicium præcipites agit. Deceperunt autem eos immodica illa sacramentorum enco-
In proœmio *mia, quæ apud ueteres leguntur. quale illud est Au-*
narratiõis *gustini. Quòd ueteris legis sacramenta salutem tan-*
psal. 73 *tum promittebant, nostra uero dant. Has & similes dicendi figuras, cum non animaduerterent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua paradoxa promulgarunt: sed prorsus alieno sensu à ueterum scriptis.*
Epist. 5 *Non enim aliud illic Augustinus uoluit, quam (quod alibi idem scribit) sacramenta Mosaicæ legis Christum prænunciasse, nostra uero annunciare. ac si diceret: Illa figurasse, cum adhuc expectaretur: nostra uelut præsentẽ exhibere, q iã præstitus est. Quod cũ*
Homil. in *ex eius loci propiori aspectu iudicari facile potest:*
Ioan. 26 *tum ex homilia quadã, ubi aperte fatetur, Iudæorum sacramenta*

sacramenta in signis fuisse diuersa: in re, quæ significatur, paria. diuersa specie uisibili, eadem uirtute spirituali. Quamobrē fixum maneat, non esse alias sacramentorum, quàm uerbi Dei *partes. quæ sunt: offerre nobis ac proponere* Christum, *& in eo cœlestis gratiæ thesauros.* Nihil *autem conferunt aut prosunt, nisi ijs, à quibus fide accipiuntur.* Alteri *non errant adeo pernitiose: errant tamen. credunt enim & ipsi, latentem aliquam uirtutem sacramentis adnexam affixamq; esse, ut in ipsis distribuantur spiritus sancti gratiæ: quemadmodum uinum in cratere propinatur. cum hoc tantū in ministerio habeant: testificari nobis ac confirmare* Dei *in nos beneuolentiam. nec ulterius proficiant, nisi accesserit spiritus sanctus, qui mētes ac corda nostra aperiat, nosq; huius testimonij capaces reddat.* Vbi *etiam uariæ distinctæq;* Dei *gratiæ luculenter eminent.* Sacramenta *enim quasi nuncij quidam sunt: qui non afferunt quidem, sed nunciant & ostendunt, quæ diuina largitate nobis data sunt.* Spiritus *sanctus, quem non omnibus promiscue sacramenta aduehunt, sed quem* Dominus *peculiariter suis confert:* Is *est, qui* Dei *gratias secum adfert, qui dat sacramentis in nobis locum, qui efficit, ut fructificent.* Sacramenti *nomen, ut de*

eius ratione hactenus disseruimus, omnia generaliter signa complectitur, quæ unquam hominibus signauit Deus, ut certiores securosq; de promissionũ suarum ueritate redderet. Ea uero in rebus naturalibus nonnunquam extare uoluit, nonnunquam in miraculis exhibuit. Prioris generis exẽpla sunt, ut cũ Adæ & Euæ arborem uitæ, in arrabonem immortalitatis dedit: ut eã secure sibi promitterent, quamdiu ederent ex illius fructu. Et cum cœlestem arcum Noah & eius posteritati in monumentũ statuit, posthac se diluuio non dissipaturũ terrã. Hæc Adam & Noah pro sacramentis habuerunt. Non quòd arbor præstaret alijs immortalitatem, quam sibi ipsa dare non poterat: aut arcus coërcẽdis aquis foret efficax (qui solaris dũtaxat radij repercussio est, in oppositas nubes:) sed quia notã à uerbo Dei insculptã habebant, ut documẽta essent testamẽtorũ eius, ac sigilla. Et antea quidẽ arbor, erat arbor: arcus, arcus. Vbi inscripta fuerunt uerbo Dei, indita est noua forma: ut inciperent esse, quod prius nõ erant. Hæc ne frustra dici quis existimet, arcus ipse hodie quoq; nobis testis est eius fœderis, quod pepigit Dominus cũ Noah. quem quoties intuemur, hanc Dei promissionem in eo legimus: Terram diluuio nunquam perditum iri. Itaq; si

Gen. 2. 3. 9

quis

quis philosophaster, quò fidei nostræ simplicitatem rideat, talem colorum uarietatem ex reflexis radijs, & opposita nube oriri naturaliter contendat, fateamur quidem: sed ipsius stuporē rideamus, qui Deum naturæ Dominum non agnoscat: qui pro suo arbitrio elementis omnibus in obsequiū gloriæ suæ utatur. Quod si soli, stellis, terræ, lapidibus, huiusmodi monumenta impreßisset: illa omnia, sacramenta nobis forent. cur enim rude ac signatum argentum non eiusdem sunt precij, cum idem prorsus sit metallum? nempe quia illud nihil habet præter naturam: forma publica percussum, nummus fit, & nouam taxationem recipit. Et Deus suas creaturas uerbo suo signare non poterit, ut fiant sacramenta, quæ prius nuda erant elementa? Secundi generis exēpla fuerunt, Iudic. 6
cum uellus rore irrigauit, sicca terra: rursum terram 4. Reg. 20
irrorauit, intacto uellere: ad pollicendam Gedeoni Iesa. 38
uictoriam. cum umbram horologij retrorsum decem lineis retraxit, ad promittendam Ezechiæ incolumitatem. Hæc quando fiebant ad subleuandam ac stabiliendam fidei illorum imbecillitatem, sacramenta quoq; erant. Verum præsentis instituti est, de his sacramentis peculiariter disputare, quæ Dominus ordinaria esse uoluit in ecclesia sua: ad alēdos in unam

fidem uniusq; fidei cõfeßionẽ suos. Sunt autem non in signis tantum, sed in ceremonijs posita. aut, si mavis, signa quæ hic dantur, ceremoniæ sunt. Vt definire poßis sacramenta huiusmodi, ceremonias esse, quibus exerceri & confirmari uult Dominus populi sui fidem. Hæc etiam ipsa diuersa fuerunt, iuxta uariam temporis dispensationẽ: qua Domino uisum est, his aut illis modis, sese hominibus exhibere.

Gen. 17 Abrahæ enim, & eius posteritati, mandata est circuncisio: cui postea purificatiões, & sacrificia, ex le-
In Leuit. ge Mosaica addita sunt. Hæc Iudæorum fuerunt sa-
Matth. ult. cramenta, ad Christi usq; aduentum. quo, abroga-
Matth. 26 tis illis, sacramenta duo instituta, quibus nunc Christiana ecclesia utitur, baptismus & cœna Domini.

Quanquam in eundem, in quem nunc nostra intendunt, scopum, & uetera illa spectarunt. nempe, ut ad Christum dirigerent, & pene manuducerent. aut ipsum potius, ceu imagines repræsentarent, ac cognoscendum proponerent. Cum enim iam ante docuerimus esse, quædam sigilla, quibus promißiones
2. Cor. 1 Dei obsignantur: sit autem certißimum, nullam unquam Dei promißionem hominibus oblatam, nisi in Christo: ut de aliqua Dei promißione nos doceant, Christum ostendant necesse est. Vnum duntaxat discrimen

discrimen est: quòd illa Christum promissum, cum adhuc expectaretur, adumbrarunt: hæc iam præstitum, & exhibitum testantur. Hæc ubi per partes ac sigillatim declarata fuerint, multo clariora fient. Circuncisio Iudæis symbolum erat, quo admonerentur, quicquid ex hominis semine prodit, hoc est, hominum naturam corruptam esse, putationeq; habere opus. præterea, documentum ac memoriale: quo sese confirmarent in promissione Abrahæ data, de semine benedicto, in quo benedicendæ essent omnes nationes terræ. à quo & sua ipsis benedictio expectanda erat. Porrò salutare illud semen quemadmodum à Paulo docemur) erat Christus, in quo solo recepturos se confidebāt, quod in Adam perdiderant. Quare illis erat circuncisio, quod Abrahæ fuisse tradit Paulus: signaculum scilicet iustitiæ fidei, hoc est, sigillum, quo certius confirmarentur, suā fidem, qua semen ipsum expectabāt, sibi à Deo prò iustitia acceptam ferri. Baptismata & purificationes suam illis immunditiem, spurcitiam, pollutionem exponebant, qua in sua natura contaminati erant: aliud uero lauacrum pollicebantur, quo omnes extergerentur & abluerentur eorum sordes. Et hoc lauacrum, Christus erat: cuius sanguine abluti, cuius liuore sanati

Gen. 22
Gal. 3
Rom. 4
Hebr. 9
1. Ioan. 1
Apocal. 1
Iesa. 53
1. Pet. 2

nati sumus. Sacrificia illos suæ iniquitatis arguebant: simulq; docebant, necessariam esse aliquam satisfactionem, quæ iustitiæ Dei solueretur. fore ergo summum quendam pontificem, inter Deum & homines mediatorem, qui Dei iustitiæ satisfaceret per sanguinis effusionem, ac hostiæ immolationem quæ in remißionem peccatorũ accipienda esset. Hic summus sacerdos, fuit Christus. propriũ ipse sanguinem effudit, uictima ipse fuit. Se enim patri obedientem in mortem obtulit: qua obedientia hominis inobeditiam aboleuit, quæ Dei indignationem prouocauerat. Quantum ad nostra attinet: Christum eo clarius nobis offerunt, quo propius manifestatus est hominibus: ex quo à patre uere, qualis promissus fuerat, exhibitus fuit. baptisma enim nobis, quòd purgati & abluti sumus, testificatur: cœna eucharistiæ, quòd redempti. in aqua figuratur ablutio, in sanguine satisfactio. Hæc duo in Christo reperiuntur. qui (ut ait Ioannes) uenit in aqua & sanguine: hoc est, ut purgaret, & redimeret. Cuius rei testis quoq; est spiritus Dei. imò tres in unum sunt testes: aqua, sanguis, & spiritus. in aqua & sanguine purgationis & redemptionis habemus testimonium: spiritus uero primarius testis, huiusmodi testimonij certam nobis

Epist. ad Hebr. Philip. 2 Rom. 5 Ioan. ult.

nobis fidem facit. Sublime istud mysterium prae- Ioan.19
clare nobis in Christi cruce ostensum est: cum aqua
& sanguis effluxerunt ex sacro eius latere. quod,
eam ob causam, iure Augustinus sacramentorum no Saepe hoc
strorum fontem uocauit. De quibus tamen paulò fu apud Aug.
sius disserendum est. legitur.

DE BAPTISMO.

BAptismus nobis à Deo datus est, primum, ut fidei nostrae apud se: deinde, ut confessioni apud homines seruiret. Vtriusq; institutionis rationem ordine prosequemur. Tria autem adfert fidei nostrae baptismus, quae & ipsa sigillatim pertractanda sunt. Hoc primum est, quod nobis à Domino proponitur: ut symbolum sit nostrae purgationis, ac documentum. uel, ut melius explicemus, instar nuncij cuiusdam mittitur, per quem nobis confirmet, peccata nostra omnia sic deleta, inducta, obliterata esse: ne
unquam in conspectum suum ueniant, ne cõmemo- Matth. ult.
rentur, ne imputentur. uult enim omnes qui credide Acto.2
rint, baptisari in remißionẽ peccatorum. Quare, qui scribere ausi sunt, baptismũ non aliud esse quàm tesseram ac notam, qua religionem nostram apud ho

mines profitemur, quomodo imperatoris sui insignia præferunt milites, in suæ professionis notam: quod primum erat in baptismo, non perpenderunt. Id uero est, quòd à nobis accipiendus sit cum hac promissio-
Mar. ult. ne: quicunq; crediderint, & baptisati fuerint, saluos fore. In hunc sensum intelligendum, quod à Pau-
Ephes. 5 lo scribitur: Ecclesiam à sponso Christo sanctifica-
Tit. 3 tam esse, & mundatã lauacro aquæ, in uerbo uitæ.
1. Pet. 3 & alibi. Nos secundum eius misericordiam saluos factos esse, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti. et à Petro, quòd baptisma nos saluos facit. Non enim significare uoluit ille, ablutionẽ & salutem nostram intercedente aqua perfici: aut aquam purgandi, regenerandi, renouandi instrumentũ esse: neq; hic, salutis causam: sed duntaxat talium donorum cognitionem, & certitudinẽ in hoc sacramento percipi. quod uerbis ipsis satis euidenter explicatur. Nam uerbum uitæ, & baptismum aquæ, simul connectit Paulus. ac si diceret, per Euangelium nobis nostræ ablutionis & sanctificatiõis nuncium afferri: per baptismum huiusmodi nuncium obsignari. Et subdit cõtinuo Petrus, baptisma illud non esse depositionem sordium carnis, sed conscientiam bonam apud Deum, quæ ex fide est. Neq; uero existimandum

mandum est, baptisma, in præteritum duntaxat tempus conferri: ut nouis lapsibus, in quos à baptismate recidimus, quærēda sint alia noua remedia. Hoc quidem errore olim factum est, ut nonnulli, nisi in ultimo uitæ discrimine, atq; adeò inter ultimos spiritus, baptismo initiari nollēt, ut sic totius uitæ obtinerent ueniam. Sic autem cogitandum est, quocunq; baptisemur tempore, nos semel in omnem uitam ablui & purgari. Itaq; quoties lapsi fuerimus, repetenda erit baptismi memoria: & hac armandus animus, ut de peccatorum remißione semper certus securusq; sit.

Nam & si semel administratus, præterijsse uisus est: posterioribus tamen peccatis non est abolitus. Puritas enim Christi in eo nobis oblata est. ea semper uiget, nullis maculis opprimitur, sed omnes nostras sordes obruit & extergit. Neque hinc peccandi in futurum licentia captanda est, ut certe hinc ad talem audaciam minime instruimur: sed hæc doctrina ijs tantum traditur, qui ubi peccauerunt, sub peccatis suis fatigati & desolati gemunt: ut habeāt quo se erigant ac consolentur, ne in confusionem & desperationē ruant. Sic Paulus ait, Christū factum nobis esse propitiatorem, in remißionē præcedentium delictorum. Quo non negat, perpetuam aßiduamq; Rom. 3

peccatorum

peccatorum remißionem, ad mortem usq; in eo obtineri: sed datum eum à patre miseris tantum peccatoribus significat. qui conscientiæ cauterio uulnerati, ad medicum suspirant. His *offertur misericordia* Dei. *qui peccandi materiam & licentiam ex impunitate aucupãtur, nihil sibi præter iram & iudicium* Dei *prouocant.* Alteram *etiam consolationẽ adfert: quia nostram in* C*hristo mortificationem nobis ostendit, & nouam in eo uitam.* Siquidem (*ut ait* Apostolus) *in mortem eius baptisati sumus, consepulti ipsi in mortem, ut in nouitate uitæ ambulemus.* Quibus *uerbis non ad imitationem eius nos solum exhortatur: ac si diceret, admoneri nos per baptismum, ut quodam mortis* C*hristi exemplo, concupiscentijs nostris moriamur: & exemplo resurrectionis, ut in iustitiã suscitemur: sed rem longe altius repetit. nempe quòd per baptismũ,* C*hristus nos mortis suæ fecerit participes, ut in eã inseramur.* Et *quemadmodum surculus substantiam alimentumq; ducit à radice, cui insitus est: ita qui baptismum ea qua debent fide accipiunt, uere efficaciam mortis* C*hristi sentiunt in mortificatione carnis suæ: simul etiam resurrectionis, in uiuificatione spiritus.* Inde *exhortationis materiã desumit.* Quòd *si* C*hristiani sumus,*

Rom. 6

debemus

debemus mortui esse peccato, et iustitiæ uiuere. Hoc
eodem argumento alibi utitur: Quòd circuncisi su- Coloss. 2
mus, & exuimus ueterem hominem, postquam per
baptismum in Christo *sepulti sumus.* Et *hoc sensu,* Tit. ult.
eo quem proxime citauimus loco, uocauit lauacrum
regenerationis & renouationis. Sic *primum* Ioan Matth. 3
nes baptisauit, sic deinde apostoli: baptismo pœniten Luc. 3
tiæ, in remissionem peccatorum. P*œnitentiæ uerbo,* Ioan. 3. 4
huiusmodi regenerationem intelligentes: remissione Acto. 2
peccatorum, ablutionem. Quo etiam certissimũ fit,
idem fuisse prorsus Ioannis *ministerium, quod* Apo-
stolis postea delegatum est. Non *enim alium bapti-*
smum faciunt diuersæ manus, quibus administratur:
sed eundem esse eadem doctrina ostendit. In *unam*
doctrinam Ioannes *& apostoli consenserunt. utriq;*
in pœnitentiam, utriq; in remissionem peccatorum,
utriq; in nomen Christi, *à quo pœnitentia & pecca*
torũ remissio esset, baptisarunt. Ioãnes *dixit, agnum*
esse Dei, *per quem tollerentur peccata mundi.* Vbi Ioan. 1
etiam hostiam fecit, patri acceptam, propitiatorem,
seruatorem. Quid ad hanc confessionem addere po-
terant Apostoli? *Quid ergo est, quod* Ioannes *di-*
xit, se quidem aqua baptisare: uenturum Christum, Matth. 3
qui baptisaret in spiritu sancto & igni? paucis expe Luc. 3
diri

diri hoc poteſt. Non enim baptiſmum à baptiſmo di-
ſtinguere uoluit, ſed perſonã ſuam cum Chriſti per-
ſona contulit: ſe miniſtrum eſſe aquæ, illum ſpiritus
ſancti datorem. & hanc uirtutem uiſibili miraculo
declaraturum, quo die ſpiritum ſanctum Apoſtolis
ſub linguis igneis mitteret. Quid Apoſtoli iactare ul
tra potuerunt? Quid & qui hodie baptiſant? ſunt
enim exterioris duntaxat ſigni miniſtri, Chriſtus
interioris gratiæ autor. Hæc quæ tum de mortifi
catione, tum de ablutione diximus, in populo Iſraël
1. Cor.10 adumbrata ſunt. quem eam ob cauſam Apoſtolus di
cit in nube & in mari fuiſſe baptiſatum. Mortifica-
Exod.14 tio figurata eſt, cum Dominus è manu Pharaonis, et
crudeli ſeruitute eos aſſerens, uiam illis ſtrauit per
mare rubrum: & Pharaonem ipſum & Aegyptios
hoſtes, qui à tergo illis inſtabant, & ceruicibus im-
minebant, ſubmerſit. Nam & ad hunc modum, in
baptiſmo pollicetur nobis, & dato ſigno oſtendit,
nos ex Aegypti captiuitate, hoc eſt, è peccati ſerui-
tute, ſua uirtute eductos & uindicatos: ſubmerſum
Pharaonem noſtrum, id eſt, diabolum. quanquam
nec ſic etiam exercere nos & fatigare deſinat. Ve-
rum, ut Aegyptius ille non in profundum maris deie
ctus fuerat, ſed in littore proſtratus, terribili aſpectu
adhuc

adhuc Israëlitas terrebat, sed nocere non poterat: ita hic noster adhuc quidẽ minatur, arma ostendit, sentitur, sed uincere non potest. In nube, purgationis Numer.9
symbolum fuit. nam ut tum illos Dominus opposita nube operuit, & refrigerium praestitit, ne inclementiore solis ardore deficerent, & tabescerent: ita in baptismo, nos Christi sanguine opertos esse & protectos agnoscimus, ne Dei seueritas, quae uere est flamma intolerabilis, nobis incumbat. Iam perspicuum est, quam falsum sit quod docuerunt nonnulli, nos per baptismum solui & eximi ab originali peccato, & ea corruptione quae ab Adam in uniuersam posteritatem propagata est. atq; in eandem iustitiam naturaeq; puritatẽ restitui, quam obtinuisset Adam, si in ea, qua primum creatus fuerat, integritate stetisset. Tale enim doctorum genus nunquam, quid peccatum originale, quid iustitia originalis, quae gratia baptismi esset, assecutum est. Peccatum originale est, naturae nostrae prauitas ac corruptio: quae primum reos facit irae Dei, tum etiam opera in nobis profert, quae scriptura uocat opa carnis. Atq; id est, Ro.5.6.7
qđ proprie in scripturis peccatũ nominatur. Quae uero inde emergũt opera, qualia sunt adulteria, scortationes, furta, odia, contentiones, caedes, comessationes,

tiones: fructus peccati magis, secundum eam rationem uocari debent. quanquam & peccata sæpe in scriptura nuncupantur. Hæc *itaq; duo distincte obseruanda. nẽpe q sic omnibus naturæ nostræ partibus uitiati peruersiq́; iam ob talem duntaxat corruptionem damnati merito, conuictiq; coram* Deo *tenemur: cui nihil est acceptum, nisi iustitia, innocentia, puritas.* Atq; *adeò infantes quoq; ipsi, suã secum damnationẽ è matris utero afferunt. qui tametsi suæ iniquitatis fructus nondum protulerint, habent tamen in se inclusum semen. imò tota eorum natura, quoddam est peccati semen. ideo non odiosa & abominabilis* Deo *esse non potest.* Hanc *damnationem sublatam, & à se depulsam esse, certi per baptismum fideles fiunt.* Q*uando (ut dictum fuit)* D*ominus hoc signo nobis pollicetur, plenam solidamq; remißionem factam esse, & culpæ, quæ imputanda nobis erat: & pœnæ, quæ ob culpã luenda.* I*ustitiã quoq; apprehendunt, sed qualem in hac uita obtinere populus* Dei *potest: nempe imputatione duntaxat. quia pro iustis & innocentibus eos, sua misericordia,* Do*minus habet.* Deinde, *quòd hæc peruersitas num-*
Rom. 7 *quã in nobis cessat, sed nouos aßidue fructus parit.* E*a scilicet, quæ ante descripsimus, opera carnis. non*

secus

ſecus atq; incenſus fornax flãmam & ſcintillas perpetuo efflat, aut ſcaturigo aquã ſine fine egerit. Quare qui peccatum originale definierunt, carentiam iustititæ originalis: nõ ſatis ſignificanter uim atq; energiam ipſius expreſſerunt. N*on enim natura noſtra boni tantũ inops & uacua eſt, ſed malorũ omnium adeo fertilis ac ferax, ut ocioſa eſſe non poßit. Qui dixerunt eſſe cõcupiſcentiam, non nimis alieno uerbo uſi ſunt. ſi tamen adderent, quod minime concedunt: quicquid in homine eſt, ab intellectu ad uoluntatem, ab anima ad carnem uſq;, hac concupiſcentia inquinatum, refertumq; eſſe. aut (ut breuius abſoluatur) totum hominem non aliud ex ſeipſo eſſe, quàm concupiſcentiã.* H*uiuſmodi concupiſcentia nunquam plane in hominibus interit & extinguitur: donec per mortẽ è corpore mortis liberati, ſemetipſos prorſus exuerint.* B*aptiſmus quidem promittit nobis ſubmerſum eſſe nõſtrũ* P*haraonem, & peccati mortificationem: non tamen ita, ut amplius non ſit, aut nobis negocium non faceſſat: ſed tantum ne ſuperet.* N*am quamdiu in hoc carcere corporis noſtri clauſi degemus, habitabunt in nobis reliquiæ peccati. ſed ſi promißionem in baptiſmo nobis à* D*eo datam fide tenemus: non dominabuntur, nec regnabunt.*

Nemo autem se fallat, nemo sibi in suo malo blandiatur, cum audit peccatum semper in nobis habitare. Non in hoc dicuntur ista, ut peccatis suis securè indormiant peccatores: sed tantum, ne labascant, & animũ despondeant, qui à carne sua titillantur, exercentur, punguntur. magis cogitent, se in uia adhuc esse: & multum se profecisse credant, cum è sua concupiscentia aliquantulum minui indies senserint: donec eo pertigerint, quo tendunt. nempe ad ultimum interitum carnis suæ, qui in huius uitæ mortalis interitu perficietur. Sic ergo habendum est. Baptisamur in mortificationem carnis nostræ, quæ à baptismo in nobis inchoatur, quã quotidie prosequimur. perficietur autem, cum ex hac uita migrabimus ad Dominum. Postremo, & hanc è baptismo consolationem fides nostra accipit, quod certò nobis testificatur, non modo in mortẽ & uitam Christi nos insitos esse: sed sic ipsi Christo unitos & cõpactos, ut omnium eius bonorum participes simus. Ideo enim baptismũ in suo corpore dedicauit & sanctificauit, ut cõmunem eum nobiscũ haberet: ceu firmissimum unionis ac societatis, quam nobiscum inire dignatus est, uinculum. Vt Paulus ex eo probet, nos esse filios Dei: quia Christum in baptismo induimus. Confessioni

Matth. 3

Galat. 3

fessioni autem nostræ apud homines sic seruit. Siquidem nota est: qua palam profitemur nos populo Dei accenseri uelle, qua testamur nos in unius Dei cultū, in unam religionem cum Christianis omnibus consentire: qua deniq; fidem nostrā publice affirmamus. ut non modo laudem Dei spirent corda nostra, sed linguæ etiā, et omnia corporis membra, quibus possunt significationibus, personent. Ita enim, ut decet, nostra omnia in obsequiū gloriæ Dei conferuntur, qua nihil uacuū esse debet: et cæteri nostro exēplo, ad eadē studia incitātur. Huc respiciebat Paulus, cū interrogaret Corinthios, an non in Christi nomen baptisati fuissent? innuēs scilicet, eo ipso quòd in eius nomen fuissent baptisati, sese illi deuouisse, in eius nomen iurasse, & fidem illi suam apud homines obstrinxisse. ut confiteri amplius non possent, nisi solum Christum: nisi confeßionē abnegare uellent, quam in baptismo ediderant. 1. Cor. 1

Nunc postquam enarratum est, quid spectauerit Dominus noster in institutione baptismi, quæ sit nobis utendi accipiendiq; ratio, iudicare promptum est. Nam quatenus consolandæ confirmandæq; fidei nostræ datur, accipiendus est quasi è manu Dei: certū persuasumq; habere conuenit, ipsum esse, qui nobis per signū loquitur: ipsum

esse, qui nos purgat, abluit, delictorum memoriam abolet. ipsum esse, qui mortis filij sui participes facit, qui sathanæ & concupiscentiæ nostræ uires eneruat, imò qui filio suo nos induit. Hæc, *inquam, tam uere certoq́; animæ nostræ intus facere, quàm certo uidemus corpus nostrum extrà ablui, submergi, circundari. Isthæc enim, siue analogia, siue similitudo, certissima est sacramentorum regula: ut in rebus corporeis, spirituales conspiciamus ac cogitemus. quandò istiusmodi figuris representare domino uisum est.* Non *quia sacramento tales gratiæ illigatæ inclusæq́; sint, aut quòd sacramentum organum ac instrumentum sit, quo nobis conferantur: sed duntaxat, quia hac tessera uoluntatem suam nobis* Dominus *testificatur. nēpe se hæc omnia nobis uelle largiri.* Huius
Act. 10 *documentum sit* Cornelius *centurio, qui peccatorum remissione, qui gratijs spiritus sancti uisibilibus iàm antea donatus, baptisatus est: non largiorem remissionem è baptismo petens, sed certiorem fidei exercitationē.* Obiecerit *forte aliquis:* Cur *igitur* Pau-
Acto. 22 *lò dicebat* Ananias, *ut peccata sua per baptismū ablueret, si baptismo peccata non abluuntur?* Respondeo: Dicimur *accipere, obtinere, impetrare, quod nobis à* Deo *datum credimus: siue id tum primum agnoscimus,*

ſcimus, ſiue prius agnitum, certius perſuaſum habemus. Hoc itaq; tantum uoluit Ananias: Vt certus ſis, Paule, remiſſa tibi eſſe peccata, baptiſare. promittit enim Dominus in baptiſmo remiſsionẽ peccatorum: hanc accipe, & ſecurus eſto. Cæterum, ex hoc ſacramento nihil aſſequimur, niſi quantum fide accipimus. ſi fides deſit, erit in teſtimonium accuſationis noſtræ coram Deo, quòd promiſsioni illic datæ increduli fuerimus. Quatenus uero confeſsionis noſtræ ſymbolum eſt, teſtari eo debemus, fiduciam noſtram in Dei miſericordia eſſe: & puritatẽ noſtram, in peccatorum remiſsione, quæ eſt per Ieſum Chriſtum: nosq; in eccleſiam Dei ingredi, ut uno fidei & charitatis conſenſu, cum fidelibus omnibus uiuamus unanimes. Hoc uoluit Paulus, cũ inquit: in uno nos omnes ſpiritu baptiſatos eſſe, ut unum corpus ſimus. 1. Cor. 12

Iam ſi uerum eſt, quod conſtituimus: ſacramentum non ex eius manu accipiendum eſſe, à quo adminiſtratur: ſed uelut ex ipſa Dei manu, à quo haud dubie mittitur: inde colligere licet, nihil illi afferri uel auferri, eius dignitate, per cuius manum traditur. ac perinde atq; inter homines, ſi qua miſſa epiſtola fuerit, modo ſatis & manus & ſignum agnoſcatur, minime refert, quis aut qualis tabellarius fuerit: ita no-

bis sufficere debet, manum & signum Domini *nostri in sacramentis suis agnoscere, à quocunq; tandem tabellario deferantur.* His Donatistarum *error pulchre refutatur, qui uim ac preciũ sacramenti metiebantur ministri dignitate.* Tales *hodie sunt* Catabaptistæ *nostri, qui rite nos baptisatos pernegant, quòd ab impijs & idololatris in regno papali baptisati sumus. itaq; anabaptismum furiose urgent.* Aduersus *quorum ineptias satis ualida ratione muniemur, si cogitemus nos baptismo initiatos, non in nomen alicuius hominis: sed in nomen patris, & filij &, spiritus sancti.* Ideoq; *baptismũ nõ esse hominis, sed* Dei: *à quocunq; tandem administratus fuerit.* Vt *maxime* Dei *ignorantes aut contemptores fuerint, qui nos baptisabant: nõ tamen in suæ ignorantiæ uel sacrilegij consortium nos tinxerunt, sed in fidem* Iesu Christi: *quia non suum, sed* Dei *nomen inuocarunt, nec in aliud nomen nos baptisarunt.* Quòd *si baptisma* Dei *erat, habuit certe promißionem, de peccatorum remißione, mortificatiõe carnis, uiuificatione spirituali, participatione* Christi. Iam *uero quòd nos interrogant, quæ tamen fides nostra baptismum aliquot annis secuta sit, ut inde euincant irritum esse baptismum, qui nobis non sanctificatur, nisi uerbo promißionis*

mißionis fide accepto. Ad id postulatum respondemus: nos quidem cæcos & incredulos, longo tempore promißionem, quæ in baptismo nobis data erat, non tenuisse: promißionem tamen ipsam, quando à Deo erat, statam semper & firmam, uer acemq; mansisse. Etiam si omnes homines mendaces & perfidi: Deus tamẽ uerax esse nõ desinit. etiamsi omnes perditi, Christus tamen salus manet. Fatemur ergo baptismum pro eo tempore non profuisse nobis hilum, quando in eo nobis oblata promißio, sine qua baptismus nihil est, neglecta iacebat. Nunc, ubi Dei gratia resipiscere cœpimus, cæcitatem nostram & duritiam cordis accusamus, qui tantæ eius bonitati tam diu ingrati fuerimus. cæterum, promißionem ipsam nõ euanuisse credimus. Quin potius sic reputamus. Deus per baptismum, peccatorum remißionem pollicetur, & promissum indubie omnibus credentibus præstabit. Ea ꝑmißio nobis in baptismo oblata: fide igitur amplectamur. Diu quidem nobis propter infidelitatem sepulta fuit: nunc igitur eam per fidem recipiamus. Verum igneum sibi uidentur telum uibrare, cum allegant, Paulũ rebaptisasse eos, qui Ioannis baptismo semel baptisati erant. Nam si, nostra confeßione, idem prorsus fuit Ioannis baptismus, qui nunc Acto. 10

noster est. quemadmodum illi antea peruerse institu ti, ubi rectam fidem edocti sunt, in eam sunt rebaptisati: ita baptismus ille, qui sine uera doctrina fuit, pro nihilo reputandus est. & ex integro baptisari debemus in ueram religionem, qua nunc primum imbuti sumus. Concedo fuisse prius illud baptisma, uerum Ioannis baptisma, & unum idemq; cum Christi baptismate: sed rebaptisatos nego. Quid igitur sibi uolunt uerba? baptisati sunt in nomine Iesu. Quidã interpretantur, tantũ syncera doctrina eruditos à Paulo fuisse. sed simplicius intelligere malim, baptismum spiritus sancti, hoc est, gratias spiritus uisibiles per manuum impositionem datas: quas baptismi nomine significari non nouũ est. Nec repugnat quod postea subditur, cum imposuisset illis manus, descendebat spiritus sanctus super eos. Non enim duo diuersa narrat Lucas, sed formam narrationis sequitur He*bræis familiarem: qui primum rei summã proponũt, deinde fusius explicant. Quod ex ipso uerborũ contextu animaduertere quiuis potest. Dicitur enim:* His *auditis, baptisati sunt in nomine Iesu. Et cum imposuisset illis manus* Paulus, *spiritus sanctus descendebat super illos. Hac posteriori locutione describitur, qualis ille fuerit baptismus. Verum, quia ex quo*

dictum

dictum est sacramenti usum duabus his partibus constare: primum, ut de Domini promissionibus edoceamur: deinde, ut fidem nostram apud homines profiteamur: dubitari posit, cur Christianorũ liberi adhuc infantes, baptisentur: qui neq; talibus documentis doceri quicquam posse multis uidentur, nec fidem habere intus conceptam, cuius testimonium palam reddant. rationem pædobaptismi paucis explicabimus. Principio, *temere affirmatur & arroganter, fidem in hanc ætatem cadere non posse.* Nam *si ex his, quos in eiusmodi ætatula ab hac mortali uita reuocat* Dominus, *regni cœlestis aliquos hæredes facit: æterna autẽ beatitudo in* Dei *cognitione sita est: cur non illis hic gustum aliquem & primitias dare posit eius boni, quo abunde olim pleneq; fruentur? cur non per speculum & in ænigmate ab ijs uideri posit, à quibus facie ad faciem spectabitur?* Id *si assequi non possumus: cogitemus quàm magnifica sint opera eius omnia, & quàm eius consilia sint abstrusa sensibus nostris.* Præterea, *si fatemur (quod certe fateri necesse est) & ex hac ætate à* Domino *uasa misericordiæ eligi: neq; de fide inficiari possumus,* Rom. 9 *quæ unica est ad salutem uia.* Nam *si in uno* Chri- Abac. 2 *sto uiuimus, & quidẽ per fidem: ubi à fide discessum* Rom. 1

 fuerit,

fuerit, nihil possumus nisi in Adam mori. Claru͂ est
Mar.ult. *enim testimonium: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui non crediderit, iam condemnatus est.* Nonnulli, *ex loci circunstantia, uerbum hoc ad eos duntaxat referendu͂ contendunt, qui per ætatem*, Eua͂gelicam *prædicatione͂ exaudire potuerint: quòd eo loco mittantur* Apostoli *ad euangelisandu͂, deinde sequitur, Qui crediderit, hu͂c saluu͂ fore. nempe, inquiunt, cui prædicatum fuerit: non autem prædicatur, nisi adultis. Sed ego contrà assero, hanc generalem esse sententia͂, toties inculcata͂ repetitamq; in scripturis, ut tam leui solutione eludi non poßit.*
Ioan.3.6 & 17 Nullum *ætatu͂ discrimen statuitur, cu͂ dicitur, hanc esse uitam æternam, nosse unum uerum* Deum, & *quem misit*, Iesum Christum: *cum dicitur, iram* Dei *manere super eum, qui non crediderit in unigenitum filium* Dei: *uitam non habituros, nisi qui ederint carnem filij hominis. & alia eius generis. Quare manet fixa sententia, nullos nisi fide saluos fieri, siue pueri sint, siue adulti.* Ideo *& baptismus ad infantes iure pertinet, quoru͂ cum adultis co͂munis est fides.* Neq; *uero hæc quispiam in eum sensum accipere debet, quasi dicam à matris uero semper inchoari fide͂: cum adultos etia͂ ipsos nunc serius, nunc citius*, Dominus *uocet.*

nocet. sed tantum dico, omnes Dei electos per fidem ingredi in uitā æternā, quacunq; ætatis parte ex hoc corruptionis carcere tollantur. Quòd si hæc ratio nos deficeret, abunde tamen nobis esset, quod in baptisandis infantibus Domini uoluntati paremus: qui uoluit, ut uenire ad se sinerentur. Quos impediri prohibet, simul utiq; adiuuari præcipit. Et cum dixerit, talium esse regnum cœlorū: nihil aliud quàm eius sententiæ subscribimus, ueritatēq; obsignamus, cum illis signum remissionis peccatorū cōmunicamus: sine qua regnū cœlorū omnibus clausum, obseratūq; est. Quin & præceptum à Domino positum de circuncidendis Iudæorū pueris, uice mandati nobis esse debet: quando in circuncisionis locum successit baptismus noster. Nam quòd Iudæis pollicebatur Dominus in circuncisione, se scilicet ipsis & eorum semini Deum fore, ipsos semenq; ipsorū sibi fore in populum, idipsum hodie Christianis pollicetur in baptismo: nō adultis modo, sed & infantibus. quos etiā eam ob causam Paulus sanctos dicit, ut Iudæorum olim infantes sancti uocari poterant, præ gentilibus, immundis & prophanis.

Matth. 19

Gen. 17

1. Cor. 7

DE COENA DOMINI.

ALterum Christianæ ecclesiæ institutum sacramentum, est panis in Christi corpore sanctificatus, & uinum in eius sanguine sanctificatum. Vocamus autem, uel cœnam Domini, uel eucharistiam. quòd in ipso & spiritualiter benignitate Domini pascimur, & nos illi suæ beneficentiæ gratias agimus. Promissio illic addita perspicue declarat, quem in finem institutū fuerit, ac quorsum spectet. nempe, ut nobis confirmet, corpus Domini sic pro nobis semel traditum, ut nunc nostrum sit, ac perpetuo etiam futurum: sanguinem eius sic pro nobis semel effusum, ut noster sit semper futurus. Quo rursum reuincitur eorum error, qui negare ausi sunt, sacramenta exercitia fidei esse: ad ipsam tuendam, excitandam, & augendam data. Verba enim sunt: Hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine. Hoc est documentum ac testimonium promissionis. Vbicunq; autem est promissio, illic fides habet quo nitatur, quo se cōsoletur, quo se confirmet. Magnum uero suauitatis ac consolationis fructum ex hoc sacramento colligere possunt animæ nostræ: quòd sic Christū nobis, sic nos illi uicissim insertos esse agnoscimus, ut quicquid ipsius est, nostrum uocare: quicquid

Luc. 22
1. Cor. 11

quid nostrum est, ipsius censere liceat. Quare et nobis secure spondere audeamus, uitã æternã nostram esse, regnum cœlorum tam nobis non posse excidere, quàm nec Christo ipsi. rursum peccatis nostris non posse nos magis, quàm ipsum damnari: quia non iam nostra, sed ipsius sunt. Non quod ipsi ulla culpa iure imputanda sit: sed quia eorum se & debitorem statuit, & solutorẽ præstat. Hæc est cõmutatio, qua immensa sua bonitate nobiscum usus est. Quòd nostram in se paupertatem recipiens, suam ad nos opulentiam transtulerit. Quòd suscepta nostra imbecillitate, sua uirtute nos confirmauerit. Quòd accepta nostra mortalitate, sua nos immortalitate donauerit. Quòd in terras descendens, ascensum nobis in cœlum strauerit. Quòd filius hominis nobiscum factus, nos secum Dei filios fecerit. Hæc omnia adeo solide in sacramento isto promittuntur, ut certo statuendũ sit, uere nobis exhiberi, nõ secus ac si Christus ipse præsens aspectui nostro obijceretur, ac manibus attrectaretur. Hoc enim uerbum nos ludificari, nobisue mentiri non potest: Accipite, edite, bibite. Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Hic est sanguis, qui in remissionẽ peccatorum effunditur. Quòd accipere iubet, significat nostrum esse.

Matth. 26
Mar. 14
Luc. 22
1. Cor. 11

Quòd

Quod manducare iubet, significat unam nobiscum substantiam fieri. Cum dicit, Hoc est corpus meum, *quod pro uobis traditur: hic est sanguis meus, q pro uobis effunditur: docet nō tā sua esse, quàm nostra: quæ non suo cōmodo, sed in gratiā ac rem nostram, & sumpsit, & posuit. Ac diligenter quidē obseruandum est, totam sacramēti energiam in his uerbis sitam esse: Quod pro uobis traditur, Qui pro uobis effunditur. Alioqui non magnopere nobis conduceret, corpus ac sanguinem* Domini *nunc distribui, nisi in redemptionem ac salutem nostram exposita semel fuissent.* Itaq; *sub pane & uino repræsentantur: quo discamus nō modo nostra esse, sed nobis esse in uitam ac alimentum.* Id *èst quod antea admonuimus, à rebus corporeis, quæ in sacramentis proferuntur, quadam analogia, nos ad spirituales deduci debere. Sic, cū panē uidemus nobis in signū corporis Christi exhibitū, hæc statim concipienda est similitudo. Vt corporis nostri uitam panis alit, sustinet, tuetur: ita corpus Christi uitæ nostræ spiritualis cibum ac protectionem esse. Cum uinū in symbolū sanguinis: cogitandū, quos corpori usus uinū afferat, ut eosdē spiritualiter nobis Christi sanguine afferri reputemus. Sunt autē, confirmare, reficere, exhilarare. Nā*

si satis

si satis perpẽdimus, quid nobis sacrosancti huius corporis traditio, quid sanguinis effusio ꝓfuerit: nõ obscure perspiciemus, hæc panis & uini attributa, secundũ eiusmodi analogiam, optime illis conuenire. Non ergo præcipuæ sunt sacramẽti partes, corpus Christi simpliciter nobis exhibere: sed magis, promißionẽ illam, quą carnẽ suã uere cibũ esse testatur, Ioan. 6
& sanguinẽ suum, potum, quibus in uitam æternam pascamur: qua se panem uitæ esse affirmat, de quo qui manducauerit, uiuet in æternum: illam, inquam, promißionẽ obsignare & confirmare. Et quo id efficiat, ad Christi crucem mittere: ubi ea promißio uere præstita, & numeris omnibus impleta fuit. Nam quòd se panem uitæ appellauit, non eam à sacramento appellationem sibi sumpsit (ut quidam peruerse interpretantur:) sed quia talis à patre nobis datus fuerat, talemq; sese præstitit, cum humanæ nostræ mortalitatis particeps factus, nos diuinæ suæ immortalitatis consortes fecit: cum in sacrificiũ se offerens, maledictionem in se nostrã sustulit, ut sua nos benedictione perfunderet: cũ morte sua mortẽ deglutiuit & absorbuit: cũ in sua resurrectione carnẽ hãc nostrã corruptibilẽ, quã induerat, in gloriã & incorruptionem suscitauit. Sacramentũ ergo nõ panem uitæ

Christum

Christi esse facit: sed quatenus in memoriã nobis re uocat panẽ esse factũ, quo aßidue uescamur, eius panis gustũ & saporẽ nobis praebet. Deniq; *nobis pollicetur, quicquid fecit aut passus est Christus, ea fecisse & passum esse in nostram uiuificationẽ. Deinde, hanc uiuificationem aeternam esse: qua sine fine alamur, sustineamur, & conseruemur in uita. Siquidem, ut panis uitae nobis nõ fuisset Christus, nisi nobis natus ac mortuus fuisset, nisi nobis resurrexisset: ita minime nũc esset, nisi eius natiuitatis, mortis, resurrectionis, efficacia & fructus, res aeterna esset ac immortalis. Si haec uis sacramenti pro dignitate excussa expensáq; esset, satis superq; habebat, unde nobis satisfieret: nec excitatae essent horribiles istae dissensiones, quibus tum olim, tum nostra etiamnum memoria, ecclesia misere uexata est: dum uolunt curiosi homines definire, quomodo in pane praesens adsit Christi corpus. Alij, quo se argutos probarent, addiderunt ad scripturae simplicitatem, adesse realiter ac substantialiter. Alij ultra etiam progreßi sunt: ijsdem esse dimensionibus, quibus in cruce pendebat. Alij prodigiosam transsubstantiationẽ excogitarunt. Alij panem, ipsum esse corpus: Alij, sub pane esse: Alij, signum tantum & figuram corporis*

poris proponi.Res ſcilicet digna, de qua tanta & uerborum, & animorum contentione diſceptetur. Sic quidem uulgo exiſtimatur: ſed qui ita ſentiunt, non animaduertunt, primo loco quærendum fuiſſe, quomodo Chriſti corpus, ut pro nobis traditum eſt, noſtrum fieret: quomodo ſanguis, ut pro nobis effuſus eſt, noſter fieret. Id uero eſt, totum Chriſtum crucifixum poßidere, ac omnium eius bonorũ participem fieri. Nunc his omißis, quibus tantum inerat momenti, imò neglectis & penè ſepultis, hæc una ſpinoſa quæſtio depugnatur: Quomodo corpus à nobis uoretur? Quo tamen in tanta opinionum turba & uarietate, una certaq; Dei ueritas nobis conſtet: cogitemus primum, ſpirituale quiddam eſſe ſacramentum, quo Dominus non uentres noſtros, ſed animas paſcere uoluit. ac Chriſtum in eo quæramus, non noſtro corpori, nec ut ſenſibus carnis noſtræ comprehendi poteſt: ſed ſic, ut anima uelut præſentem ſibi datum & exhibitum agnoſcat. Deniq; ipſum ſpiritualiter obtinere, ſatis habemus: ſic enim in uitam ipſum obtinebimus: quòd ipſum eſt percepiſſe, quicquid ex ſacramento fructus percipi poteſt. Hanc cogitationem ubi quis animo præſumpſerit ac meditatus fuerit, facile intelliget, quomodo Chriſti corpus

in sacramento nobis offeratur. nempe, uere & efficaciter: de natura ipsa corporis minime solicitus erit. H*æc quia minus usitata sunt (quòd pauci hactenus rem acu tetigerunt) pluribus uerbis illustrari forte opus fuerit.* Itaq; *sic in summa habendum est.* C*hristus, ut ueram nostram carnem induit, cum è uirgine natus est: in uera carne nostra passus est, cum pro nobis satisfecit: ita eandem ueram carnem & resurgendo recepit, & in cœlũ sustulit.* H*æc enim nobis nostræ resurrectionis, & in cœlum ascensionis spes est, quòd* C*hristus resurrexit, & ascendit.* P*orrò quàm infirma & fragilis spes foret ista, nisi hæc ipsa nostra caro in* C*hristo uere suscitata, & in regnum cœlorum ingressa esset?* A*tqui hæc est perpetua corporis ueritas, ut loco contineatur, ut suis dimensionibus constet, ut suam faciem habeat.* S*cio quid cauillentur ceruicosi quidam, quo errorem semel susceptum obstinate tueantur: non alias unquam dimensiones habuisse* C*hristi carnem, nisi quàm longe lateq; cælum & terra patent.* Q*uod autem puer ex utero natus sit, quod creuerit, quod in cruce expansus, quod sepulchro inclusus: id dispensatione quadã factũ, ut nascendi, moriendi, cæterisq; humanis officijs defungeretur.* Q*uod solita corporis specie post resurre-*

resurrectionem conspectus fuerit, quod in cœlum assumptus, quod postremo etiam post ascensionem, Stephano & Paulo uisus: eadem id dispensatione fa- 1. Cor.15
ctum, ut regem se in cœlo constitutum hominum Acto. 7.
aspectui declararet. Quid hoc est, nisi Marcionem ex inferis suscitare? Quis enim dubitet corpus Christi phantasticum fuisse, si ea conditione fuit? Allegãt quod à Christo ipso dictum est. Nemo ascendit in Ioan.3
cœlum, nisi qui descendit è cœlo: filius hominis, qui in cœlo est. Verum sunt ne obtuso adeo sensu, ut non uideant id dictum per cõmunicationem idiomatum? Qualiter à Paulo Dominus gloriæ crucifixus dici- 1. Cor. 2
tur, non quia secundum diuinitatem sit passus: sed quia Christus, qui abiectus & contemptus in carne patiebatur, idem Deus erat & Dominus gloriæ. Ad hunc modũ & filius hominis in cœlo erat: quia ipse idem Christus, qui secundum carnem hominis filius habitabat in terris, Deus erat in cœlo. Qua ratione, eo ipso loco, descendisse dicitur secundum diuinitatem. non quòd diuinitas cœlum reliquerit, ut in ergastulum corporis se abderet: sed quia, tametsi omnia impleret, in ipsa tamen Christi humanitate Coloss. 2
corporaliter, id est, naturaliter habitabat, & ineffabili quodam modo. Alij paulò argutius elabuntur.

corpus hoc, quod in ſacramento exhibetur, glorioſum eſſe & immortale. Itaq; nihil abſurdi eſſe, ſi pluribus in locis, ſi nullo loco, ſi nulla forma, ſub ſacramento contineatur. Sed quæro, quale dabat diſcipulis Dominus pridie quàm pateretur? an nõ uerba ſonant, mortale illud, quod ſtatim tradendum erat, dediſſe? Iam antea, inquiunt, ſuam gloriam tribus diſci-
atth. 17 *pulis in monte Thabor conſpiciendam dederat. Verum id quidem eſt. ſed ea claritate guſtum tantum ſuæ immortalitatis ad horã illis præbebat. Cum uero corpus ſuum in ultima cœna diſtribueret, imminebat iam iam hora, qua à Deo percuſſus & humiliatus, ſine decore, ut leproſus, iaceret. tantũ abeſt, ut tunc gloriam ſuam proferre uellet. Et hic quanta Marcioni feneſtra aperitur, ſi Chriſti corpus uno in loco mortale & humile uidebatur, in alio immortale & glorioſum tenebatur? ſed ad tantum abſurdum conniueo. Tantũ de corpore glorioſo mihi reſpondeãt, an non tamen corpus ſit? Eſt, inquiunt, ἄτοπον, πολύτοπον, ἀσχημάτιστον, ἄμετρον. Id uero eſt, non uno quidem uerbo, ſed periphraſi, ſpiritum uocare. Aut negemus plane carnis reſurrectionem, aut cum reſurrexerit, carnem fore confiteamur: quæ à ſpiritu in hoc differt, quia loci ſpacio clauditur, quia uidetur,*

uidetur, quia tangitur. Neq; uel tantillum illis patrocinatur, quod toties obiectant, Christum ad discipulos intrasse ianuis clausis. Intrauit certe, mirabili ingressu. neq; enim aut eas ui perfregit, aut expectauit dum hominis manu aperirentur: sed omne sibi obstaculũ cædere sua uirtute fecit. Cæterum ingressus, corporis ueritatem discipulis approbauit: Vide te, inquit, & palpate: quia spiritus carnem & ossa non habet. En *gloriosum* Christi *corpus, uerum esse probatur: quia palpari & uideri potest. Aufer ista: iam uerũ corpus esse desinet.* Hic, *ut nobis inuidiam faciant, de omnipotentis* Dei *potentia maligne nos loqui criminantur. Sed aut stulte errant, aut malitiose mentiuntur.* Non *enim hic quæritur, quid* Deus *potuerit, sed quid uoluerit. Affirmamus autem id factum esse, quod illi placitũ erat. Placuit autem,* Christum *fratribus per omnia similem fieri, excepto peccato.* Qualis *est nostra caro? nonne quæ certa sua dimensione constat? quæ loco continetur? quæ tangitur? quæ uidetur?* Et *cur, inquiunt, nõ faciat* Deus, *ut caro eadem, plura diuersaq; loca occupet? ut nullo loco contineatur? ut modo & specie careat?* Insane, *quid à* Dei *potentia postulas, ut carnem faciat, simul esse, & non esse carnem? perinde ac si instes, ut lu-*

Ioan. 20

Luc. 24

cem, faciat ſimul eſſe lucem & tenebras. At lucem, uult eſſe lucem: tenebras, tenebras: carnem, carnem. Conuertet quidem cum uolet tenebras in lucem, & lucem in tenebras. ſed cum exigis, ut lux & tenebræ non differant, quid aliud quàm ordinem ſapientiæ Dei peruertis? carnem igitur, Carnem eſſe oportet: ſpiritum, ſpiritum. unumquodq;, qua à Deo lege & conditione creatum eſt. Ea uero eſt carnis conditio, ut uno certo'que loco, ut ſua dimenſione, ut ſua forma conſtet. Ea conditione carnem induit Chriſtus, cui incorruptionem quidem & gloriam
Act.1 *dedit: naturam & ueritatem non abſtulit. Planum enim eſt clarum'que ſcripturæ teſtimonium, quòd in cœlum aſcenderit, ſic uenturus, quomodo aſcendere uiſus eſt. Nec eſt quod adhuc reſiliant iſti peruicaces, uiſibilem aſcendiſſe & reuerſurum, interim tamen nobiſcum inuiſibilem habitare. ſiquidem carnem ſe habere & oſſa Dominus noſter teſtatus eſt, quæ palpari & uideri poſſent. Et abire, ac aſcendere, non ſpeciem aſcendentis abeuntiſq; dare ſignificant: ſed uere id facere, quod uerba ſonant. Cæterum, tametſi carnem ſuam à nobis ſuſtulit, & corpore in cœlum aſcendit: ad dexteram tamen patris ſedet. hoc eſt, in potentia, maieſtate, & gloria*

patris

patris regnat. Hoc regnum nec ullis locorum ſpacijs limitatum, nec ullis dimenſionibus circunſcriptum: quin Chriſtus uirtutem ſuam, ubicunq; placuerit, in cœlo & in terra exerat, quin ſe præſentem potentia & uirtute exhibeat: quin ſuis ſemper adſit, in ijs uiuat, eos ſuſtineat, confirmet, uegetet, conſeruet, non ſecus ac ſi corpore adeſſet. Secundũ hanc rationem, corpus & ſanguis Chriſti in ſacramento nobis exhibetur: ſecundum priorem, minime. Docẽdi cauſa, dicimus uere & efficaciter exhiberi: non autem naturaliter. Quo ſcilicet ſignificamus, non ſubſtantiam ipſam corporis, ſeu uerum & naturale Chriſti corpus illic dari: ſed omnia, quæ in ſuo corpore nobis beneficia Chriſtus præſtitit. Ea eſt corporis præſentia, quam ſacramenti ratio poſtulat. Quam tanta uirtute, tantáq; efficacia hic eminere dicimus, ut nõ modo indubitatam uitæ æternæ fiduciam animis noſtris afferat: ſed de carnis etiam noſtræ immortalitate ſecuros nos reddat. Siquidem ab immortali eius carne iam uiuificatur, & quodammodo eius immortalitati cõmunicat. Qui ſupra hæc, ſuis hyperbolis euehuntur, nihil aliud quàm talibus inuolucris ſimplicem & planam ueritatem obſcurant. Quòd ſi quis moroſulus, ex ipſis Chriſti uerbis nobis etiamnum

controuersiam faciat, quod dixerit Hoc *esse corpus suum,* Hunc *esse suum sanguinẽ: hic uelim paulisper mecum reputet, de sacramento nunc haberi sermonem, cuius omnia ad fidem referenda sunt. fidem uero nos ista, quam enarrauimus, corporis participatione non minus laute affluenterq; pascimus: quàm qui ipsum* Christum *è cœlo detrahunt. In uerbis uero si adeò tenaciter hæremus, & uerba luculente mihi suffragantur. Quod enim* Matthæus & Marcus *referunt, Dominũ uocasse, poculũ, suum sanguinem noui testamenti:* Lucas & Paulus *dicunt, testa mentum in sanguine. Clames iam, licet, hoc esse cor pus & sanguinem: ego contrà contendam, esse testa mentum in corpore & sanguine. Scripturæ interpre*
Roma. 12 *tationem ad fidei analogiam exigere iubet* Paulus: *quam in hac parte mihi præclare constare nihil dubium est. Ipse ad quam fidei amußim te formes, uide*
Ioan. 4 *ris. Qui enim nõ confitetur* Iesum *in carne uenisse, ex* Deo *non est. Tu licet dißimules, eum carnis suæ ueritate spolias.* *Hæc cognitio nos facile à carna li etiam adoratione abstrahet, quam peruersa temeri tate quidam in sacramento erexerunt, quòd secum ita subducerent: Si corpus est, & anima igitur, & di uinitas, sunt unà cum corpore: quæ iam diuelli non possunt.*

possunt. itaq; illic adorandus Christus. *En egregij nostri partus, ubi semel à uerbo* Dei,*ad cerebri nostri somnia euagari nobis permisimus.* At *si, qua decebat, humilitate omnes sensus sui cogitationes sub uerbo* Dei *continuissent talium ratiocinationum architecti, auscultassent certe quod ipse dixit:* Accipite, *manducate, bibite. huicq; mandato paruissent, quo accipi sacramentum, nõ adorari iubet.*Itaq; *qui, ut à* Domino *mandatum est, sine adoratione accipiunt, securi sunt se à mandato* Dei *non deflectere.* Q*ua securitate nulla maior consolatio accidere potest,cum quid operis instituimus.*Habent Aposto*lorum exemplum, quos non legimus prostratos adorasse: sed,ut erant discumbentes, accepisse & manducasse. habẽt* Apo*stolicæ ecclesiæ usum, quæ non in adoratione, sed in fractione panis cõmunicasse, à* Luca *narratur.* Habẽt Apo*stolicam doctrinam,qua* Paulus Corin*thiorum ecclesiam instituit, professus se à* Domino *accepisse, quod tradebat.* Q*ui adorãt, coniecturis tantum, & nescio quibus à se natis argumentationibus nituntur: syllabam unã è uerbo* Dei *prætendere nõ possunt.*N*am ut maxime uerba corporis & sanguinis urgeant, quis tamen sanus & sobrius, corpus* Christi, Christũ *sibi esse persuadeat?* Acto. 2 1. Cor. 11

q 5 *Videntur*

Videntur quidem id ſibi ſuis ſyllogiſmis pulchre con ficere. uerum ſi eorum conſcientias grauiore aliquo ſenſu exerceri contingat, facile cum ſuis ſyllogiſmis percellentur, diſſoluentur, liqueſcent: ubi certo Dei uerbo defici ſe uidebunt (quo uno conſiſtunt animæ noſtræ, cum ad rationem uocantur: & ſine quo, pri mo quoq; momento labaſcunt.) Vbi Apoſtolorum doctrinam & exempla ſibi aduerſari, ſe uero ſolos ſibi autores eſſe. Accedent ad tales impulſus & alij non leues ſtimuli. Quid? an res erat nullius momenti, Deum hac forma adorare, ut nihil nobis præſcriberetur? an tanta leuitate fuerat tentandum, de quo nullum uſquam uerbum factum fuerat, cum de cultu ac gloria Dei ageretur? Præterea, cum ſcriptura Chriſti aſcenſionem diligenter nobis enarrauerit, qua corporis ſui præſentiã à conſpectu noſtro conſuetudineq; ſubduxit, quo nobis omnem de eo carnalem cogitationẽ excuteret: & quoties Chriſti meminit, mentibus ſurſum erigi moneat, & ipſum in cœlo quærere, ſedentem in patris dextera: erat potius in cœlorũ gloria ſpiritualiter adorandus, quàm excogitandum iſtud tam periculoſum adorationis genus, plenum carnalis craſſæq; de Deo & Chriſto opinionis. Quare qui ſacramenti adorationem excogitarunt,

Coloſſ. 3

tarunt, eam à seipsis somniarunt, citra scripturam, in qua nulla huius adorationis mentio ostendi potest. quæ sanè non esset prætermissa, si Deo accepta fuisset. Eoq; Deum contempserunt: qui scripturæ suæ addere non minus uetat, quàm ex ea quicquã detrahere. Ac dum suæ sibi libidinis arbitrio, Deum fabricati sunt, dereliquerunt Deum uiuentem. Siquidem eius dona, pro datore ipso coluerunt. Vbi dupliciter peccatum est. nam & honor Deo raptus, ad creaturam traductus est: & ipse etiam in polluto ac prophanato suo beneficio inhonoratus, dum ex sancto eius sacramẽto factũ est execrabile idolũ. Nos e conuerso, ne in eandẽ incidamus foueam, aures, oculos, corda, mentes, linguas, penitus defigamus in sacra Dei doctrina. Est enim ea spiritus sancti, optimi magistri, schola: in qua sic proficitur, ut nihil sit aliũde asciscendum. ignorandum uero libenter, quicquid in ea non docetur. Deut.12

Hactenus disseruimus, quomodo nostræ apud Deum fidei seruiat. Quando autem in sacramento hoc; tantam suæ bonitatis largitatem, quantam prius enarrauimus, nobis in memoriam Dominus reuocat, & ad eam agnoscendam nos excitat: simul admonet ne tam effusæ benignitati ingrati simus. Quin potius eam, quibus par est laudibus,

prædice-

prædicemus, & gratiarum actione celebremus. Itaq; cum sacramēti ipsius institutum Apostolis traderet, ut id in sui memoriam facerent, docuit. Quod Paulus interpretatur, mortē Domini nunciare. id autem est, publice atq; uno simul omnes ore palam fateri, totam uitæ ac salutis fiduciā in morte Domini positam nobis esse: ut nostra illum confeßione glorificemus, & alios nostro exemplo ad dandā illi gloriam exhortemur. Hic apparet rursum, quò sacramēti scopus spectet. nempe, ut nos in mortis Christi memoria exerceat. Quòd enim iubemur mortem Domini annunciare, donec ad iudicandum ueniat: non aliud est, nisi ut oris confeßione prædicemus, quod fides nostra in sacramento agnouit: mortem scilicet Christi, nostrā esse uitam. Hic secundus sacramenti usus: qui ad extremam confeßionem attinet. Tertio, & exhortationis uice nobis Dominus esse uoluit: qua nulla uehemētius ad charitatem, pacem, consensum, animare nos, inflāmareq; poßit. Nam sic suum illic corpus nobis Dominus cōmunicat, ut unū prorsus nobiscum fiat, nosq; cum illo. Porrò, cum non nisi unum illi corpus sit, cuius nos omnes participes facit: necesse est, & nos omnes unum corpus huiusmodi participatiōe fieri. Quam unitatē repræsentat panis,

panis, qui in ſacramentum exhibetur: qui uelut ex multis granis confectus eſt, ſic cõmixtis confuſiſq́;, ne alterum ab altero diſcernere liceat: in hunc modum & nos tanta animorum conſenſione coniunctos connexoſq́; eſſe decet, ne quid diſsidij aut diuiſionis intercedat. Id Pauli uerbis explicari malo. Calix, inquit, benedictionis cui benedicimus, cõmunicatio eſt ſanguinis Chriſti: & panis benedictionis quẽ frangimus, participatio eſt corporis Chriſti. Itaque unum corpus ſumus, omnes, qui de uno pane participamus. Præclare uero in ſacramento profecerimus, ſi impreſſa inſculptáq; animis noſtris fuerit hæc cogitatio: non poſſe à nobis quenquam ex fratribus lædi, traduci, rideri, contemni, aut ullo modo offendi: quin ſimul in eo Chriſtum lædamus, traducamus, rideamus, cõtemnamus. non poſſe nos à fratribus diſſidere, quin ſimul à Chriſto diſsideamus. Chriſtum à nobis diligi non poſſe, quin diligatur in fratribus. Qualem corporis noſtri curam gerimus, talem fratrum quoq; gerendam, qui membra ſunt corporis noſtri. Quomodo nulla corporis noſtri pars aliquo doloris ſenſu tangitur, qui non in alias omnes diffundatur: ita non ferendum eſſe, fratrem malo aliquo affici, cuius non & ipſi compaſsione tangamur. Quam obrem

1. Cor. 10

obrem non abs re Augustinus, toties sacramentum hoc appellat charitatis uinculum. Quis enim acrior admoueri stimulus poterat, ad excitandam mutuam inter nos charitatem, quàm dum Christus seipsum nobis donans, non modo suo nos exemplo, ut alter alteri nos mutuo deuoueamus ac tradamus, inuitat: sed quatenus se facit omnium communem, nos quoq; omnes unum in seipso esse facit? At quemadmodum *sacrũ hunc panem cœnæ* Domini, *spiritualem esse cibum uidemus, suauem ac delicatum ijs, quibus* Christum *ostendit suam esse uitam, quos ad gratiarum actionem erigit, quibus ad mutuam inter se charitatem exhortatio est: ita rursum in nocentissimum uenenum ijs uertitur, quorum fidem non docet, & quos ad confeßionem laudis, charitatemq; non excitat.* Nam *(ut ait* Paulus*) qui indigne manducant, rei sunt corporis & sanguinis* Domini, *iudiciumq; sibi manducant & bibunt, non dijudicantes corpus* Domini. *Quo loco obseruandum est, non discernere corpus & sanguinem* Domini, *& indigne accipere, pro eodem accepta esse.* Tale *enim hominum genus: qui sine ulla fidei scintilla, sine ullo charitatis studio, ad usurpandam cœnam* Domini, *instar porcorum, se proripiunt: minime discernit corpus*

pus Domini. Nam quatenus corpus illud, ſuam eſſe uitam non credunt, qua poßunt contumelia ipſum afficiunt, omni ſüa dignitate ſpoliantes: ac demum ſic accipiendo, prophanant & contaminant. Quatenus uero alienati à fratribus ac dißidentes, ſacrum corporis Chriſti ſymbolum cum ſuis dißidijs commiſcere audent: nõ ſtat per eos, quo minus Chriſti corpus diſcerpatur, ac membratim dilanietur. Itaq; *non immerito rei ſunt corporis & ſanguinis* Domini, *quod ſacrilega impietate fœde adeò polluunt.* Hac *ergo indigna manducatione damnationẽ ſuam ſibi accipiunt. Nam cum nullam in Chriſto fidem repoſitam habeant, ſacramento tamen accepto profitentur non alibi, q̃ in eo eſſe ſibi ſalutẽ: omnemq; aliam fiduciã abiurãt. Quare ipſi ſibi ſunt accuſatores, teſtimonium ipſi aduerſum ſe pronunciant, damnationẽ ipſi ſuam obſignant. Deinde cum odio ac maleuolẽtia diuiſi diſtractiq; à fratribus, hoc eſt, Chriſti mẽbris, partẽ in Chriſto nullã habeãt: teſtificantur tamen, hanc unam ſalutem eſſe, Chriſto cõmunicare, & illi unitũ eſſe. Obiter uero adnotandũ eſt, fruſtra locum iſtũ toties obiectari p̱ reali corporis præſentia. Paulus, fateor, de uero Chriſti corpore loquitur: ſed quo ſenſu, uidere licet. ut nihil ſit opus pluribus excuſare.*

Eam

Eam ob rem præcipit Paulus, ut probet seipsum homo, antequã de hoc pane edat; aut bibat è calice. Quo (ut ego quidẽ interpretor) uoluit, unumquemq; in se descendere, & secum reputare, an cordis fiducia Christum seruatorem suum recognoscat, an oris confeßione agnoscat, an Christi exemplo sese fratribus dare paratus sit, ac se ijs cõmunicare, quibus Christum cõmunem uidet: an, ut ipse à Christo habetur, ita uicißim fratres omnes ꝓ corporis sui membris habeat: an eos instar membrorũ suorum fouere, tueri, iuuare cupiat. Non quia hæc, tum fidei, tũ charitatis officia, nunc perfecta in nobis esse poßint: sed quia huc nos contendere, & uotis omnibus adspirare oportet, ut inchoatam fidem magis in dies ac magis augeamus, ut imbecillam charitatem confirmemus. Quidam, dum homines ad eam manducandi dignitatem comparare uolunt, miseras conscientias torserunt ac diuexarunt diris modis: nec tamen quicquam eorum, quæ in rem essent, attulerunt. Digne mãducare eos dixerũt, qui in statu gratiæ eßẽt. In statu gratiæ esse, interpretati sunt, purum purgatũq; omni peccato esse. Quo dogmate omnes, quotquot in terris unquam fuerunt, & sunt homines, ab huius sacramẽti usu arcebantur. Nam si hoc agitur, ut no-

ut noſtram à nobis dignitatem petamus, actum de nobis eſt. Ruina tantum & confuſio nos manent. Totis licet uiribus adnitamur, nõ aliud proficiemus, niſi ut tũ deniq; indigniſsimi futuri ſimus, cũ de quærenda dignitate maxime laboratum à nobis fuerit. Quo huic ulceri mederentur, modum excogitarunt acquirendæ dignitatis. Vt quantum in nobis eſt, examine habito, repoſcitáq; à nobis factorum omniũ ratione, cõtritione, confeſsione, ſatisfactione, noſtram indignitatem expiaremus. Quæ expiandi ratio qualis ſit, erit poſthac aptior dicẽdi locus. Quod ad præſens inſtitutum attinet, dico hæc nimium eſſe ieiuna euanidáq; ſolatia, cõſternatis deiectisq; conſcientijs, & peccati ſui horrore perculſis. Nã ſi Dominus interdicto neminem in cœnæ ſuæ participationem admittit, niſi iuſtum & innocentem: non leui cautione opus eſt, quæ aliquem ſuæ iuſtitiæ ſecurum reddat, quã à Deo requiri audit. Vnde uero hæc nobis confirmatur ſecuritas, apud Deum defunctos eſſe, qui fecerunt quod in ſe eſt? Quòd ſi etiam ita eſſet, quando tamen erit, ut ſpondere quis ſibi audeat, ſe feciſſe quod in ſe erat. Ita cum nulla certa noſtræ dignitatis ſecuritas proponatur: maneret ſemper clauſus aditus, horribili illo interdicto, quo edicitur, iudicium

r ſibi

ſibi manducare & bibere, qui indigne manducant & bibunt. Nunc iudicare promptum eſt, qualis ſit doctrina, & à quo autore profecta ſit, quæ miſeros peccatores huius ſacramenti conſolatione ſic orbat & ſpoliat: in quo tamen omnes Euangelij deliciæ nobis proponebãtur. Certe diabolus nullo maiori compendio homines perdere poterat: quàm ſic eos infatuando, ne guſtum & ſaporem talis alimenti perciperent, quo eos optimus pater cœleſtis paſcere uoluerat. Ne igitur in huiuſmodi confuſionem & præcipitium ruamus, meminerimus has ſacras epulas egrotis eſſe pharmacum, peccatoribus ſolatium, pauperibus largitionem: quæ ſanis, iuſtis, & diuitibus, ſi qui reperiri poſſent, nullum afferrent operæprecium. Nam cum in illis Chriſtus nobis in cibum detur, intelligimus nos, ſine ipſo, tabeſcere, liqui, deficere. Deinde cum in uitam detur, intelligimus nos, ſine ipſo, in nobis plane mortuos eſſe. Quare ea eſt dignitas, quam unam & optimam afferre Deo poſſumus: ſi noſtram ei uilitatem, & (ut ita loquar) indignitatem offeramus, ut ſua miſericordia nos ſe dignos faciat: ſi animos in nobis deſpondeamus, ut nos in ipſo conſolemur: ſi nos humiliemus, ut ab ipſo erigamur: ſi nos accuſemus, ut ab ipſo iuſtificemur. Præterea,

ſi ad

si ad eam, quam in sua cœna nobis cõmendat, unitatem adspiremus, & quemadmodũ nos omnes, unum in seipso esse facit: ita unam omnium animam, cor unum, linguam unam nobis omnibus optemus. Hæc si perpensa, & meditata habuerimus, nunquam nos illæ cogitationes perturbabunt: Nos bonorũ omniũ egeni & nudi, nos peccatorum sordibus inquinati, nos semimortui, quomodo corpus Domini digne manducaremus? Magis cogitabimus, nos pauperes, uenire ad benignum largitorẽ: ægros, ad medicum: peccatores, ad saluatorem. dignitatem illam, quæ à Deo mandatur, fide præcipue cõstare: quæ omnia in Deo, nihil in nobis reponit. deinde, charitate. Et eam quidem ipsam, magis Deo imperfectam offerimus, ut ipsam in melius augeat: quàm præstamus.

Alij nobiscum in hoc consentientes, dignitatem ipsam in fide & charitate positam esse: in modo tamen ipso dignitatis longe aberrarunt. fidei perfectionem exigentes, cui nihil omnino accedere poßit: & charitatem parem ei, qua nobiscum Christus egit. At eo ipso omnes ab huius cœnæ sacrosancto accessu, non secus ac priores illi, abigunt. Si enim obtineret eorum sententia, nemo nisi indigne acciperet: quando ad unum omnes rei conuictiq; suæ imperfe-

ctionis

ctionis tenerentur. Et ſanè nimij ſtuporis, ne dicam ſtoliditatis, fuit: eam perfectionem in recipiendo ſacramento requirere, quæ ſacramentũ irritum ſuperuacuumq́; faciat. quod non perfectis inſtitutum eſt, ſed infirmis ac debilibus: ad uellicandũ, excitandũ, ſtimulandum, exercendum, fidei & charitatis defectum. Quæ de ſacramento hoc hactenus diſſeruimus, abunde oſtendunt, non inſtitutum ideo fuiſſe, ut ſemel quotannis acciperetur, idq́; perfunctoriè, ut nunc publici moris eſt: uerum, quo frequenti in uſu Chriſtianis omnibus eſſet, ut frequẽti memoria paſſionem Chriſti repeterent. Qua recordatione & fidem ſuam ſuſtinerent ac roborarent, & ſeſe ad confeßionem laudis canendam, bonitatemq́; eius prædicandam hortarentur, & qua poſtremo mutuã charitatem alerent: & ſibi etiam inter ſe teſtificarẽtur, cuius copulam in unitate corporis Chriſti uiderent. Quoties enim ſymbolo corporis Domini communicamus, uelut data & accepta teſſera, alter alteri nos uicißim obſtringimus ad omnia dilectionis officia, ut ne quid admittat noſtrûm quiſpiam, quo fratrem lædat: ne quid prætermittat, quo eum iuuare poßit, ubi neceßitas poſtulet. Talem fuiſſe eccleſiæ Apoſtolicæ uſum Lucas in Actis cõmemorat, cum fideles

Acto. 2

ait perseuerantes fuisse in doctrina Apostolorum, cõmunicatione, fractione panis, & orationibus. Sic agendum omnino erat, ut nullus ecclesiæ conuentus fieret sine uerbo, orationibus, participatione cœnæ, & eleemosinis. Hunc et apud Corinthios fuisse institutum ordinem, satis ex Paulo cõijcere licet. Et sanè hæc consuetudo, quæ semel quotannis cõmunicare iubet, certissimum est diaboli inuentũ: cuiuscunq; tandẽ ministerio inuecta fuerit. Aiunt Zepherinum eius decreti fuisse autorem. quod tale fuisse mihi non persuadeo, quale nunc habemus. Ille enim, suo instituto, nõ forte pessime ecclesiæ consulebat, ut tũ erant tempora. Minime enim dubiũ est, quin tum sacra cœna proponeretur fidelibus, quoties in cœtum conuenirent, quin bona eorum pars cõmunicaret. Sed cum uix unquã eueniret, ut omnes simul cõmunicarent: esset uero necesse, eos, qui permixti erant prophanis & idololatris, externo aliquo symbolo fidẽ suam testari: diem illum, ordinis & politiæ causa, uir sanctus statuerat: quo totus Christianorũ populus fidei confessionẽ, participatione cœnæ Domini, ederet. Cæterũ nihilo propterea rarius cõmunicare desinebant. Quando nõ ita multo ante institutum ab Anacleto fuerat, ut omnes quotidie Christiani cõmunicarent. Zepher.

Verum probum alioqui Zepherini institutum, male detorsit posteritas, cum certa lex de una quotannis cõmunicatione posita est: qua factũ est, ut ferè oẽs, cum semel cõmunicauerunt, quasi in reliquum anni tempus pulchre defuncti, in utramq; aurẽ securi dormiant. Longe aliter factum oportuit. singulis, ad minimum, hebdomadibus proponenda erat Christianorum cœtui mensa Domini, declarandæ promißiones, quæ nos in ea spiritualiter pascerent. nullus quidem neceßitate cogendus: sed cohortãdi omnes, & stimulãdi: obiurgãdus etiã ignauorũ torpor. Omnes gregatim, ut famelici, ad tales lautitias conuenissent. N*on iniuria igitur principio cõquestus sum, diaboli arte intrusam hanc consuetudinem: quæ dum unum anni diem præscribit, in totũ annũ socordes reddit.*

Ex eadem prodijt officina & altera constitutio, quæ dimidiã cœnæ partem meliori populi Dei *numero uel furata est, uel eripuit. nempe, symbolũ sanguinis: quod laicis & prophanis (his scilicet titulis* Dei *hæreditatem insigniunt) interdictum, paucis rasis & unctis in peculium ceßit.* Edictum *æterni* Dei *est, ut omnes bibant: quod homo noua & contraria lege antiquare, & abrogare audet, edicens, ne omnes bibant. Ac ne sine ratione aduersus*

Matth. 26

Deum

Deum ſuum pugnent tales legislatores, pericula obtendunt, quæ accidere poſſent, ſi omnibus paſsim exponeretur ſacer hic calix. Ac ſi ab æterna dei ſapientia proſpecta ea, & animaduerſa non eſſent. Deinde argute ſcilicet, raciocinantur, unum pro duobus eſſe ſatis. Nam ſi corpus eſt, inquiũt, totus Chriſtus eſt, qui à ſuo corpore iã diuelli non poteſt. Ergo & corpus ſanguinem cõplectitur. En ſenſus noſtri cũ Deo conſenſum, ubi, uel tantillum laxis habenis, laſciuire ferociréq; cœpit. Dominus, panem oſtendẽs, corpus ſuum eſſe dicit. calicẽ dum oſtendit, ſanguinẽ uocat. Humanæ rationis audacia contra reclamat, panem eſſe ſanguinẽ, uinũ eſſe corpus. Ac ſi Dominus nulla cauſa, corpus ſuũ à ſanguine, & uerbis, & ſignis, diſtinxiſſet: & unq̃ fando auditũ eſſet, corpus Chriſti, aut ſanguinẽ, Deum & hominẽ appellari. Sanè ſi deſignare ſe totũ uoluiſſet, dicere poterat, Ego ſum: qualiter loqui in ſcripturis cõſueuit. non aũt, Hoc eſt corpus meũ, hic eſt ſanguis meus. Equidẽ ſcio, ſathanæ miniſtros, ut ſolẽne illis eſt ſcripturas ludibrio habere, hic ludere et cauillari: ſolos Apoſtolos in huius cœnæ participationẽ à Chriſto admiſſos, quos iã in ſacrificorũ ordinẽ allegiſſet & cooptaſſet. Velim tamẽ mihi ad quinq; poſtulata reſpõdeãt, q̃bus elabi nõ

Matth. 14
Luc. 24
Ioan. 18

 poterunt,

poterũt, quin facile cũ suis mẽdacijs reuincantur. Primũ quo oraculo reuelatã habẽt hanc solutionẽ, tam alienam à uerbo Dei? Scriptura duodecim recenset, qui accubuerint cum Iesu: sed non ita Christi dignitatem obscurat, ut sacrificos eos appellet. De quo nomine postea suo loco. Et si duodecim tum dedit, præcepit tamen ut sic facerent. nempe, ut sic inter se distribuerent. Secundo, cur meliore illo seculo, ab apostolis ad mille usq; annos postea, sine exceptione, omnes fiebant utriusq; symboli participes? ignorabatne uetus ecclesia, quos Christus cõuiuas ad cœnam suam admisisset? Perditißimæ impudentiæ fuerit, hic restitare & tergiuersari. † Extãt ecclesiasticæ historiæ, extant ueterum libri, qui aperta huius rei testimonia suggerunt. Tertio, cur de pane simpliciter dixit, ut ederent: de calice, ut omnes biberent? ac si sathanæ calliditati ex destinato occurrere uoluisset. Quarto, si sua cœna Dominus solos sacrificos, ut ipsi uolunt, dignatus est: quis unquam hominum ausus esset, uocare in participationem extraneos, qui à Domino exclusi eßent? & participationem quidem eius doni, cuius penes se potestas nõ esset: nullo eius mandato, qui solus dare poterat. Imò qua id fiducia hodie usurpant, ut plebeculæ symbolum Christi corporis

† ...cclef. hist. ...ca. 6. 34 ...ri. hist. li. ...cap. 30. ...hryso. ad ...noc. pap. exil. suo. ...ug. epist. ...7. et pri...e ad Ian. ...ieron. in ...phoniã. ...ertul. lib. resurre. ...r. Cypr. ...m. 5. de ...psis, & ...ena dom. ...pist. lib. 1. ...istola 2.

poris distribuant, si nullũ habent Domini uel mandatum, uel exemplum? Quinto, an mentiebatur Paulus cum dicebat Corinthijs, se accepisse à Domino quod illis tradiderat? Nam postea traditionem declarat, ut omnes promiscue utriq; symbolo communicarent. Quodsi à Domino Paulus acceperat, omnes sine discrimine admittendos, uideant à quo acceperint, qui uniuersam penè Dei plebem abigunt: quando iam Deum autorem prætendere nõ possunt: apud quẽ non est, est & nõ. Et adhuc tales abominationes nomine ecclesiæ præteximus, & hoc prætextu defendimus? quasi uero aut isti antichristi, ecclesia sint, qui Christi doctrinam & institutiones tam ex facili proterunt, dissipant, abrogant: aut apostolica ecclesia, ecclesia nõ fuerit, in qua tota uis religionis effloruit. His et similib. inuentis conatus est sathan uelut offusis tenebris, sacram Christi cœnã infuscare & inquinare: ne saltem eius puritas in ecclesia retineretur. Sed horrendæ abominationis caput fuit, cum signum extulit, quo nõ modo obscuraretur & peruerteretur: sed penitus obliterata & abolita euanesceret, & ex hominũ memoria excideret. nempe, cũ pestilẽtissimo errore totũ penè orbem occæcauit, ut crederet Missam sacrificiũ et oblationẽ esse ad im

1. Cor. 1

 petrandam

petrandam peccatorum remißionem. Quàm altas radices fixerit hæc pestis, scio: quanta sub specie boni lateat, ut nomen Christi præferat: ut uno missæ nomine, totam fidei summã complecti se multi credant. Sed ubi uerbo Dei clarißime cõprobatũ fuerit, hanc quãtũuis fucatã et splendidã missam, insigni cõtumelia Christũ afficere: crucẽ eius sepelire & opprimere, mortẽ eius in obliuionẽ tradere: fructũ, qui ex ea nobis proueniebat, tollere: sacramentũ, quo mortis memoria relicta erat, eneruare & dißipare: an erunt ullæ tã profundæ radices, quas nõ ualidißima hæc securis, Verbum, inquam, Dei euellat? An ulla tam speciosa facies, sub qua latẽs malũ lux hæc non prodat? Ostendamus ergo quod primo loco propositum est, intolerabilem illic blaspemiã ac contumeliam Chri-

r. 5. 7. *sto irrogari. sacerdos enim et põtifex à patre cõsecra*

r 10. *tus est, nõ ad tẽpus, quomodo illi in ueteri testamẽto cõstituti legũtur: quorũ cũ uita mortalis esset, sacerdotiũ immortale esse non poterat. Quare et successoribus opus erat, q subinde in demortuorũ locũ subrogarẽtur. At Christo, q immortalis est, uicariũ substitui minime necesse est. Itaq; à patre designatus est sa*

.110. *cerdos in æternũ, secũdũ ordinẽ Melchizedech, ut*

.14. *æternũ pmanẽte sacerdotio fungeretur. Hoc myste-*

rium

riũ in Melchizedech antè multo figuratũ fuerat. quẽ ubi scriptura semel induxit sacerdotẽ Dei uiuentis, nusq̃ postea meminit: ac si nullũ uitæ finem habuisset. Hac similitudine Christus secũdũ eius ordinem sacerdos dictus est. Iam uerò qui quotidie sacrificant, oblationibus sacerdotes præficiãt necesse est: quos Christo, uelut successores & uicarios, subrogant. Qua subrogatione non modo Christũ suo honore spoliãt, & æterni sacerdotij prærogatiuã illi rapiũt: sed è dextera patris deturbare ipsum conãtur, in qua sedere immortalis nõ potest, qn simul æternus sacerdos maneat. Neq; causificẽtur, nõ suffici suos sacrificulos Christo, quasi demortuo: sed suffraganeos dũtaxat esse æterni eius sacerdotij, q̃ propterea stare nõ desinit. Verbis enim apostoli fortius cõstringũtur, quàm ut sic elabi possint. nempe, alios plures factos esse sacerdotes, q̃a morte impedirẽtur permanere. Christus ergo, q̃ morte non impeditur, unus est: nec cõsortib. indiget. Altera missæ uirtus proposita erat, q̃ Christi crucẽ et passionẽ obruit et opprimit. Hoc q̃dem certissimum est. nam si Christus in cruce semetipsum in sacrificiũ obtulit, quo nos in perpetuum sanctificaret, & æternã redẽptionẽ nobis quæreret: haud dubie uis atque efficatia eius sacrificij nullo

Hebr. 7.

fine

fine perstat. Alioqui nihilo honorificentius de Christo sentiremus, quã de bobus & uitulis, qui sub lege immolabantur: quorum oblationes ex eo inefficaces arguuntur & imbecillæ, quòd sæpius iterabantur. Quare aut Christi sacrificio, quod in cruce præstitit, purgationis æternæ uim defuisse fatendum erit: aut uno semel sacrificio Christum, in omnia secula,
r.9.10 *defunctũ esse. Id est quod dicit Apostolus, Summum hũc pontificẽ Christum, semel per immolationẽ sui apparuisse, sub consummationem seculi, ad peccati profligationem. item, Voluntate Dei nos sanctificatos esse per oblationem corporis Iesu Christi, semel. item, Christum una oblatione in perpetuũ consummasse sanctificatos. Hoc & postrema sua uoce, &*
Ioan.19 *inter ultimos spiritus edita, Christus significauit: cum dixit, Consummatum est. Solemus extremas morientium uoces pro oraculis obseruare. Christus moriens testatur uno suo sacrificio perfectum esse & impletum, quicquid in salutem nostram erat. Nos huiusmodi sacrificio, cuius perfectionem luculente adeo cõmendauit, quasi imperfecto, innumera quotidie assuimus. Quando sacrosanctum Dei uerbum non affirmat modo, sed clamat etiam & cõtestatur, hoc sacrificiũ semel peractũ fuisse, eius uim æternam*

permanere

permanere. qui aliud postulant, nonne ipsum imperfectionis insimulant & infirmitatis? At uero missa, quæ hac lege tradita est, ut millies centena sacrificia in singulos dies peragãtur: quò spectat, nisi ut Christi passio, qua unicam hostiam se patri obtulit, sepulta submersaq; iaceat? Quis, nisi cœcus, non uideat, sathanæ audaciam fuisse, quæ ueritati adeò apertæ ac dilucidæ obluctaretur? Nec me latet, quibus præstigijs hanc suam fraudem prætexere soleat pater ille mendacij: Non uaria esse, nec diuersa sacrificia, sed unum idem sæpius repeti. Verum tales fumi nullo negocio discutiuntur. Tota enim disputatione contendit Apostolus, nõ modo nulla alia esse sacrificia, sed unum illud semel oblatum fuisse, nec amplius iterandum. Nunc descendo ad tertias Missæ partes. *ubi explicandũ est, quomodo ueram & unam mortem Christi obliteret, & ex hominum memoria excutiat. Nam ut inter homines testamenti confirmatio à morte testatoris pendet: ita etiam testamentũ, quo nos peccatorum remißione, & æterna iustitia donauit, morte sua confirmauit* Dominus *noster. In hoc testamento qui uariare quicquam aut innouare audent, mortem eius abnegant, & tanquam nullius momenti habent. Quid uero est* Missa, *nisi nouum &* Hebr. 9

prorsus

prorſus diuerſum teſtamentum? Quid enim? an non ſingulæ Miſſæ nouam peccatorum remißionem, nouam iuſtitiæ acquiſitionẽ promittunt? ut iam tot ſint teſtamenta, quot Miſſæ. Veniat ergo rurſum Chriſtus, & altera morte nouum hoc teſtamentum, uel potius infinitis mortibus innumera miſſarum teſtamenta rata faciat. An non igitur uerum principio dixi, unicam & ueram Chriſti mortem obliterari per miſſas? Quid? quòd eo directe ſpectat Miſſa, ut rurſum, ſi fieri poßit, trucidetur Chriſtus? Nam ubi teſtamentum eſt, inquit Apoſtolus, mortem teſtatoris intercedere illic neceſſe eſt. Miſſa nouum Chriſti teſtamentum præ ſe fert: eius ergo mortem poſtulat. Præterea, hoſtiã, quæ offertur, occidi & immolari neceſſe eſt. Si Chriſtus ſingulis mißis ſacrificatur: eum ſingulis momentis mille in locis crudeliter
Hebr. 9 *interfici oportet. Non id meum eſt, ſed Apoſtoli argumentũ. Si neceſſe habuiſſet offerre ſæpius ſemetipſum, oportuiſſe illũ frequenter pati ab origine mundi. Iam quartum Miſſæ munus tractandum. ut ſcilicet fructum, qui è morte Chriſti ad nos redibat, nobis præripiat: dum, ne agnoſcamus & cogitemus, facit. Quis enim cogitet ſe morte Chriſti redemptum eſſe, ubi nouã in miſſa redẽptionẽ uiderit? Quis pec-*

cata sibi remissa confidat, ubi nouam remissionem uiderit? Neq; euadet qui dixerit, non alia causa nos peccatorũ remissionem in Missa obtinere, nisi quia morte Christi iã acquisita est. Nõ enim aliud affert, q̃ si iactet, ea lege nos à Christo redẽptos esse, ut nos ipsi redimamus. Huiusmodi enim à sathanæ ministris doctrina sparsa est: & talẽ hodie clamoribus, ferro, igni, tuentur. nos, cũ Christũ patri in Missa offerimus, hoc oblatiõis opere assequi peccatorũ remissionem, & participes fieri passionis Christi. Quid iam passioni Christi superest, nisi ut sit exemplũ redemptionis, quo discamus nostri esse redẽptores? Ad coronidẽ nũc uenio: nempe, sacrã cœnã, qua Dominus passiõis suæ memoriã insculptã formatãq; reliquerat, erecta Missa, è medio sublatã, inductã, & deperditã. Siquidẽ cœna ipsa donũ Dei est, q̃ cum gratiarum actiõe accipiendũ erat. Sacrificiũ Missæ preciũ Deo numerare fingitur, qđ ipse in satisfactionẽ accipiat. Quantum interest inter dare, & accipere: tantum à sacramento sacrificium differt. Atq; hæc quidem miserrima hominis ingratitudo est: quod ubi agnoscenda erat diuinæ bonitatis largitas, gratiæq; agẽdæ, in eo deũ sibi debitorẽ facit Sacramẽtũ p̃mittebat, nos Christi morte nõ semel dũtaxat restitutos in uitam:

sed

ſed aßidue uiuificari, quia tunc omnes noſtræ ſalutis numeri impleti ſint. Miſſæ ſacrificiũ longe aliam cantilenam canit: Chriſtum oportere quotidie ſacrificari, ut aliquid nobis commodet. Cœna in publico eccleſiæ cœtu diſtribuenda erat, quo nos de communione doceret, qua ſimul omnes cohæremus in Chriſto Ieſu. Hanc communitatem diſſoluit ac diſtrahit Miſſæ ſacrificiũ. Poſtquã enim error inualuit, oportere eſſe ſacerdotes, qui pro populo ſacrificarent, quaſi relegata eſſet ad eos cœna, deſijt iuxta Domini mandatum fidelium eccleſiæ cõmunicari. aditus Mißis priuatis eſt patefactus, quæ excõmunicationẽ quandam magis referrent, quàm cõmunitatem illam à Domino inſtitutã: cum ſacrificulus ſuam uictimam ſeorſum uoraturus, ſe à toto fidelium populo ſegreget. Miſſam priuatã uoco, ne quis fallatur: ſiue boatu & uociferatione perſonet, ſiue murmure tantum & ſuſurris ſtrideat. Quando utrunq; genus, cœnæ
1. Reg. 15 *participationẽ ex eccleſia tollit. Verũ antequam finem dicendi faciam, miſſarios noſtros doctores interrogo, cum ſciant potiorẽ eſſe Deo obedientiam, quàm uictimas: & magis poſcere, ut uoci ſuæ auſcultetur, quàm ut ſacrificia offerantur, quomodo hanc ſacrificandi rationem Deo acceptam credant? cuius*

nullum

nullùm illis constat mandatum, & quam ne una quidem scripturæ syllaba probari uidet. Præterea, cum Apostolum audiant dicentem, neminem sibi nomen atq; honorem sacerdotij usurpare, nisi qui uocatus est, ut Aaron: quin nec Christum ipsum sese ingessisse, sed obedisse patris uocationi: aut sacerdotij sui autorem Deum institutoremq́; proferant, oportet: aut honorem non esse à Deo fateantur, in quem non uocati improba temeritate irruperunt. Atqui ne apicem quidem literæ obtendere pòssunt, quo suo sacerdotio patrocinentur. Quorsum igitur, sacrificia euanescēt, quæ sine sacerdote offerri nō possunt? Quid superest, nisi ut cœci uideāt, surdi audiant, pueri ipsi intelligant hanc Missæ abominationē, quæ in calice aureo propinata, oēs reges terræ & populos, à summo usq; ad nouissimū, sic inebriauit, sic percußit sopore ac uertigine, ut brutis ipsis stupidiores, prorā et puppim suæ salutis in hac una exitiali uoragine statuerent? Certe nulla unq̄ ualidiore machina sathan incubuit ad oppugnandum expugnandumq́; Christi regnum. Hæc est Helena, pro qua ueritatis hostes tanta hodie rabie, tanto furore, tanta atrocitate digladiantur. Et uere Helena, cum qua spirituali fornicatione, quæ omnium est maxime execrabilis, Hebr. 5

ſic fornicantur. Non hic, uel minimo digito attingo craſſos illos abuſus, quibus ſacræ ſuæ Miſſæ prophanatam puritatem prætendere poſſent: quàm turpes nundinas exerceant, quàm ſordidos quæſtus faciant ſuis miſſationibus, quanta rapacitate auaritiam ſuam expleant. Tantum indico, idq; paucis & ſimplicibus uerbis, qualis ſit ſanctiſſima ipſa Miſſæ ſanctitas: ob quam adeo ſpectabilis eſſe, tantaq; in ueneratione haberi multis ſeculis meruit. Nam & tanta hæc myſteria pro dignitate illuſtrari, maioris operis fuerit: & illas obſcenas ſordes, quæ ante oculos oraq; omnium uerſantur, admiſcere nolo: ut omnes intelligant, Miſſam in ſelectiſſima ſua, & qua maxime uenditari poteſt, integritate acceptam, ſiue ſuis appendicibus, à radice ad faſtigium, omni genere impietatis, blaſphemiæ, Idololatriæ, ſacrilegij ſcatere. Porrò ne quis rixator ex ſacrificij ac ſacerdotis nominibus nobis pugnam faciat: id quoq;, ſed compendio, expediam, quid per ſacrificium, quid per ſacerdotem tota diſputatione ſignificauerim. Nomen ſacrificij generaliter acceptum, complectitur quicquid omnino Deo offertur. Quare diſtinguamus oportet, & alterum docendi cauſa uocemus ſacrificium ἐυχαριστικὸν, ſiue laudis: alterum

alterum propiciatorum, siue expiationis. Est autem expiationis sacrificium, cui propositū est, iram Dei placare, ipsius iustitiæ satisfacere, peccata abluere, gratiam, salutem impetrare. Huiusmodi sacrificium ab uno Christo peractum est, quia ab alio nullo poterat. Et semel, quòd illius unius à Christo peracti efficacia & uis æterna est. ut sua ipse uoce testatus est, cum dixit, perfectum esse & impletum: hoc est, quicquid reconciliandæ patris gratiæ, impetrandæ peccatorum remißioni, iustitiæ, saluti, necessarium erat, id totum unica illa sua oblatione præstitum & consummatum. adeoq; nihil deesse, ut nullus postea locus alteri hostiæ relinqueretur. Quamobrem constituo, sceleratißimum probrum, & non ferendam esse blasphemiam in Christum & sacrificium, quo per mortem suam, in cruce pro nobis defunctus est, si quis repetita oblatione, de redimenda peccatorum uenia, de propitiando Deo, & obtinenda iustitia cogitet. At quid aliud missando agitur, nisi ut nouæ oblationis merito, paßionis Christi fiamus participes? Et ne ullus esset insaniendi modus, parum esse putauerunt, si dicerent commune ex æquo fieri sacrificium pro tota ecclesia: nisi adderent, sui arbitrij esse, huic aut illi, cui uellent, peculiariter applicare.

uel potius, quicunq; talem sibi mercem numerato precio emere uellet? Porrò, *quoniam ad* Iud*æ taxationem accedere nõ poterant, ut tamẽ uel aliqua nota autoris sui exemplum referrent, numeri similitudinem retinuerunt.* Vendiderat *ille* 30. *argenteis: hi triginta numulis æreis uendũt. sed ille, semel: hi, quoties emptor occurrit.* Hoc *sensu & sacerdotes esse negamus: nempe, qui tali oblatione apud* Deum *pro populo intercedant, qui propitiato* Deo *peccatorum expiationem peragãt.* Nam Christus, *unicus est noui testamenti pontifex & sacerdos, in quem translata sunt omnia sacerdotia, & in quo clausa & terminata.* Et *si nihil scriptura de æterno* Christi *sacerdotio meminisset: quia tamẽ* Deus *abrogatis illis ueteribus nullum instituit, manet inuictum* Apostoli *argumentum:* Neminem *sibi honorem usurpare, nisi qui à* Deo *uocatus sit.* Qua *ergo fiducia sacrilegi isti, qui se iactãt* Christi *carnifices, audent se* Dei *uiuentis sacerdotes appellare?* Sub *altero sacrificij genere, quod* ἐυχαριστικὸν *diximus, cõtinentur omnes nostræ preces, laudes, gratiarum actiones, & quicquid in* Dei *cultum à nobis agitur. siquidem nos, nostraq; omnia opera, consecrari ac dedicari illi conuenit: ut quicquid in nobis est, gloriæ eius seruiat, &*

eius

eius magnificentiam spiret. Hæc sacrificij ratio nihil ad iram Dei placandam, nihil ad impetrandam peccatorum remißionem, nihil ad promerendam iustitiam pertinet: sed in magnificando duntaxat & exaltando Deo uersatur. Imò fieri non potest, nisi ab ijs, qui iam accepta peccatorum remißione, Deo reconciliati & iustificati sunt. Est autem adeo ecclesiæ necessarium, ut abesse ab ea non poßit. Itaq; æternum futurum est, quamdiu stabit populus Dei. quemadmodum & apud Prophetam scriptũ est: Quoniam ab ortu solis usq; ad occasum, magnũ est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, atq; oblatio munda. quoniam terribile est nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Tantum abest ut submoueamus. Sic Paulus iubet nos offerre corpora nostra, hostiã uiuentem, sanctã, acceptam Deo, rationalem cultum. Sic Dauid dicebat orationem suam ascensuram in conspectum Dei, uelut incensum. sic & alibi orationes sanctorum, uocantur incensa: & à propheta, uituli labiorũ. Significanter admodum locutus est Paulus, cum uocauit cultum. Intellexit enim spiritualem colendi Dei ritum, quem carnalibus legis Mosaicæ sacrificijs tacite opposuit. Huius generis sacrificio carere nõ potest cœna Domini

Malach. 1

Rom. 12

Psal. 141

Apocal. 5

Oseæ. 14

mini, in qua dum eius mortem annunciamus, & gra tiarum actionem referimus, nihil aliud quàm offeri-
1. Pet. 2 *mus sacrificium laudis. Ab hoc sacrificandi munere,*
Hebr. 13 *regale sacerdotium nuncupamur omnes Christiani, quòd per Christum offerimus hostiam laudis Deo, fructum labiorum confitentium nomini eius. Neq; enim nos cum nostris muneribus, sine intercessore, in conspectū Dei apparemus. Christus est, quo mediatore intercedente, nos ac nostra patri offerimus. Ille pontifex noster, qui in sanctuarium cœli ingressus, accessum nobis aperit. Ille altare, cui donaria nostra imponimus. In illo audemus, quicquid audemus.*
Apoc. 1 *Ille, inquam, est qui nos patri regnum ac sacerdotes fecit.* *Habent lectores in compendium collecta ea ferè omnia, quæ sciri de duobus istis sacramentis referre duximus. quorum usus, à primordio noui testamenti ad consummationem usq; seculi, Christianæ ecclesiæ est traditus. Vt scilicet baptismus, quidam quasi ingressus in ipsam esset, & fidei initiatio: Cœna uero, assiduum uelut alimentum, quo Christus fidelium suorum familiam spiritualiter pascit.*
Ephes. 4 *Quare, ut non nisi unus est Deus, una fides, unus Christus, una ecclesia, eius corpus: Ita baptismus non nisi unus est, nec sæpe iteratur. Cœna autem*

subinde

ſubinde diſtribuitur, ut intelligant ſe Chriſto aßidue paſci, qui ſemel in eccleſiam allecti ſunt. Praeter haec duo, ut nullum aliud à Deo inſtitutum eſt: ita nec ullum agnoſcere debet fideliũ eccleſia. Rem enim non eſſe humani arbitrij, erigere ac ſtatuere noua ſacramenta, facile intelliget, qui meminerit, quod ſupra ſatis plane explicatum fuit, ſacramenta in hoc à Deo poſita eſſe, ut de aliqua ſua promißione nos edoceant, & bonam ſuam erga nos uoluntatem nobis teſtificentur. Qui praeterea cogitet, nullum fuiſſe Deo conſiliarium, qui nobis certum aliquid de eius uoluntate ſpondere poßit, aut certiores ſecurosq; reddere, quo ſit in nos affectu, quid dare, quid negare uelit. Simul nanq; conſtituitur, neminem ſignum proponere poſſe, quod eius uoluntatis & promißionis alicuius teſtimonium futurum ſit: ſolus ipſe eſt, qui, ſigno dato, de ſe apud nos teſtari poteſt. Dicam breuius, & forte rudius, ſed apertius. Sacramentum, ſine ſalutis promißione eſſe nunquam poteſt. Omnes homines in unum ſimul coacti, nihil à ſe nobis polliceri de ſalute noſtra poſſunt. Ergo nec à ſe edere aut erigere ſacramentum. His ergo duobus contenta ſit Chriſtiana eccleſia. nec modo nullũ aliud tertium ad praeſens admittat,

Ieſa. 40
Rom. 11

aut agnoſcat: ſed ne appetat quidem, aut expectet,
cod. 14 *ad conſummationem uſq; ſeculi. Nam quòd diuer-*
& 17 *ſa aliquot Iudæis, pro uaria temporum inclinatione,*
Cor. 10 *præter ſua illa ordinaria data ſunt (ut man, aqua è*
ner. 21 *petra profluens, ſerpens æneus, & ſimilia:) hac ue-*
Ioan. 3 *ro uariatione admonebantur, ne talibus figuris inſi-*
ſterent, quarum ſtatus parum firmus eſſet. ſed me-
lius aliquid à Deo expectarent, quod nullo interitu,
nulloq; fine perſtaret. Alia longe ratio nobis eſt,
oloſſ. 2 *quibus reuelatus eſt Chriſtus: in quo theſauri omnes*
ſcientiæ & ſapientiæ ſunt abſconditi, tanta affluen-
tia & ubertate, ut nouam aliquã acceßionem ad hos
theſauros ſperare, uel poſtulare, uere Deum tenta-
re ſit, & aduerſum nos prouocare. Vnum dunta-
xat Chriſtum eſurire, quærere, ſpectare, diſcere,
ediſcere, nos oportet: donec magnus ille dies illuxe-
Cor. 15 *rit, quo gloriam regni ſui Dominus ad plenum mani*
Ioan. 3 *feſtabit, & ſe qualis eſt, nobis ſpectandum oſten-*
det. Atq; hac ratione noſtrum hoc ſeculum in ſcri-
pturis, per nouißimam horam, nouißimos dies, no-
uißima tempora, deſignatur. ne quis uana nouæ ali-
cuius aut doctrinæ, aut reuelationis, expectatio-
Hebr. 1 *ne ſeſe fallat. Sæpenumero enim, multisq; modis an-*
Luc. 10 *tea locutus per prophetas, ultimis his diebus locu-*
tus eſt

tus eſt Dominus *in dilecto filio ſuo, qui ſolus patrem manifeſtare poteſt. Iam uero, ut hoc hominibus ablatum eſt, ne noua ſacramenta in eccleſia* Dei *condere poßint: ita optandum eſſet, ijs ipſis, quæ à* Deo *ſunt, quamminimum humanæ inuentionis admiſceri.* Perinde *enim atq; infuſa aqua uinum fugit et diluitur, aſperſoq; fermento tota farinæ maſſa aceſcit: ſic myſteriorum* Dei *ſynceritas nihil aliud quàm inquinatur, ubi homo quicquam de ſuo adijcit.* Et *tamen uidemus, quantum à germana ſua puritate degenerarint ſacramenta, ut hodie quidem tractantur.* Plus *ſatis ubiq; pomparum, ceremoniarum, geſticulationum: at uerbi* Dei *interim nulla neq; ratio, neq; mentio. ſine quo ſacramenta etiam ipſa, ſacramenta non ſunt. Quin nec ceremoniæ ipſæ à* Deo *inſtitutæ, in tanta turba caput exerere poſſunt, ſed tanquam oppreſſæ iacent. Quantum in baptiſmo aſpicitur, quod unum illic lucere & ſpectari debuerat? nempe, baptiſmus ipſe.* Cœna *prorſus ſepulta eſt, cum uerſa fuit in* Miſſam*. niſi quod ſemel quotannis, ſed concerpta & dimidiata, laceráq; forma, uiſitur.* At *quanto ſatius erat, quoties baptiſandus aliquis eſſet, in cœtum fidelium ipſum repræſentari, & tota eccleſia, uelut teſte, ſpectante,*

& orante super eum, Deo offerri? recitari fidei con fessionem, qua sit instituendus catechumenus? enarrari, quæ in baptismo habentur, promissiones? catechumenum baptisari in nomen patris & filij & spiritus sancti? remitti demum cum precibus & gratiarum actione? Sic nihil omitteretur, quod ad rem faceret: & una illa ceremonia, quæ à Deo *autore pro fecta est, nullis exoticis sordibus obruta, clarissime effulgeret. Cæterũ mergatur ne totus qui tingitur, an infusa tantum aqua aspergatur, minimum refert, sed id pro regionum diuersitate ecclesijs liberum esse debet. Quanquam & ipsum baptisandi uerbum mer gere significat, & mergendi ritum ueteri ecclesiæ obseruatum fuisse constat. Quantum ad sacram cœ nam attinet, sic administrari decentissime poterat, si sæpissime, & singulis ad minimum hebdomadibus proponeretur ecclesiæ. Initium autem fieret à publicis precibus, haberetur deinde concio. tum mi nister, proposito in mensa pane & uino, institutionem cœnæ referret: deinde promissiones enarraret, quæ in ea nobis relictæ sunt. simul eos omnes excommunicaret, qui interdicto* Domini *ab ea arcentur. Postea oraretur, ut, qua* Dominus *benignitate sacrum hoc alimentũ nobis largitus est, nos quoq;*

ad id

ad id suscipiendum, fide & animi gratitudine erudiret & formaret. & quando ex nobis non sumus, sua misericordia nos dignos faceret tali conuiuio. Hic uero, aut canerentur psalmi, aut aliquid legeretur, & quo decet ordine fideles sacrosanctis epulis communicarent: ministris panem frangentibus, & poculum præbentibus. finita cœna, exhortatio haberetur, ad synceram fidem & fidei confeßionem, ad charitatem & mores Christianis dignos. Postremo, gratiarum actio referretur, & laudes Deo canerentur. Quibus finitis, ecclesia dimitteretur in pace. In manum accipiāt fideles, nec ne: inter se diuidant, an singuli quod sibi datum fuerit edant: calicem in diaconi manu reponant, an proximo tradant: panis sit fermentatus, an azimus: uinum rubrum, an album: nihil refert. Hæc indifferentia sunt, & in ecclesiæ libertate posita. Quanquam certum est, ueteris ecclesiæ ritum fuisse, ut omnes in manum acciperent. Et Christus dixit, Diuidite inter uos. Fermentatum & uulgarem panem fuisse, ante tempus Alexandri Romani episcopi, narrant historiæ: qui primus azimo pane delectatus est. qua id ratione, nō uideo: nisi ut plebis oculos nouo spectaculo in admirationem traheret, magis quàm ut animos religione institueret. Luc. 22

tueret. Adiuro omnes qui uel leui aliquo pietatis studio tanguntur, an nō euidenter perspiciant & quanto præclarius Dei gloria hic resplendeat, & quàm affluentior spiritualis consolationis suauitas ad fideles redeat: quàm in istis frigidis & histrionicis nugis, quæ nullum alium usum afferunt, nisi ut stupentis populi sensum fallant? Id populum religione contineri uocant, cum superstitione stolidus & infatuatus quòuis trahitur. Si quis uetustate tueri huiusmodi inuentiones uelit, nec ipse ignoro, quàm uetustus sit chrismatis et exufflatiōis in baptismo usus, quàm non longe ab ætate apostolorum cœna Domini tacta rubigine fuerit. Sed isthæc scilicet humanæ confidentiæ procacitas est: quæ se cōtinere nequit, quin semper in Dei mysterijs ludat & lasciuiat. Nos uero meminerimus, tanti esse Deo uerbi sui obedientiam, ut in ea & angelos suos, & orbem uniuersum iudicare nos uelit.

1. Corin. 6. Gal. 1.

QVINQVE

SACRAMENTA NON esse quinque reliqua quę pro sacramentis hactenus uulgo habita sunt, declaratur: tum qualia sint, ostenditur.

CAPVT V.



OTERAT *superior de sacramentis disputatio, apud dociles & sobrios hoc obtinere, ne ultra curiosius progrederētur: nec præter illa duo, quæ à* Domino *instituta nosśent, ulla alia sacramenta sine* Dei *uerbo amplecterentur.* Verum, *quoniam illa de septem sacramentis opinio omniū ferè sermone trita, scholasq; & conciones omnes peruagata, uetustate ipsa radices egit, ac hominum animis etiamnū insidet:* Visus *sum mihi operepræcium facturus, si quinq; reliqua, quæ ueris ac germanis* Domini *sacramentis uulgo ac censentur, seorsum ac propius excuterē, omniq; absterso fuco simplicibus spectanda proponerem, qualia sint, & quàm falso pro sacramentis hactenus habita sint.* Principio, *hoc retinendum est, quod in-*

uicta

uicta ratione prius confirmauimus, sacramenti instituendi arbitrium non nisi penes unum Deum esse. Siquidem sacramentum certa Dei promißione erigere fidelium cõscientias, ac consolari debet: quæ eam certitudinem nunquã ab homine acciperent. Sacramentum nobis testimoniũ esse debet bonæ erga nos Dei uoluntatis: cuius nullus hominũ aut angelorum testis esse potest, quãdo nemo Dei cõsiliarius fuit. solus Dominus est, qui de se nobis per uerbũ suum testificatur. Sacramentũ sigillũ est, quo Dei testamẽtum seu promißio obsignatur. Obsignari uero non posset rebus corporeis & elementis huius mũdi: nisi uirtute Dei ad hoc formarentur & designarentur. Instituere ergo sacramentum homo non potest: quia facere, ut sub rebus tam abiectis tanta Dei mysteria lateant, id uero humanæ uirtutis non est. Verbum Dei præeat oportet: quod sacramentum, esse sacramentum faciat.

DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio (ut uocant) primum signũ est, quod hominum temeritas à se excogitatum, pro Dei sacramento suppoſuit. Confirmationis autem uir

tem uir

tem uirtutem esse finxerunt, spiritũ sanctum cõferre ad gratiæ augmẽtum, qui in baptismo collatus sit ad innocentiam: confirmare eos ad pugnam, qui in baptismo regenerati sint ad uitam. Peragitur autẽ hæc confirmatio unctione, & hac uerborum formula: Consigno te signo sanctæ crucis, & cõfirmo chrismate salutis, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Pulchre omnia, et uenuste. Sed ubi Dei uerbum, quod spiritus sancti præsentiam hic promittat? Ne iota quidẽ obtendere possunt. Vnde ergo nos certiores facient, chrisma suum eße uas spiritus sancti? Videmus oleum, crassum scilicet et pinguem liquorem: præterea nihil. Accedat, inquit Augustinus, uerbum ad elementum, & fiet sacramentum. Hoc, inquam, uerbum proferãt, si quicquam nos intueri in oleo uolunt, aliud quàm oleum. Quod si sacramentorum se ministros (ut par est) agnoscerent, non diutius pugnandum esset. Hæc prima ministri lex est, ne quid sine mandato obeat. Age, mandatum huius ministerij aliquod producant, & uerbum non addam. Si mandato deficiuntur, sacrilegam audaciam excusare non possunt. Hac ratione Pharisæos Dominus interrogabat, esset ne baptismus Ioannis è cœlo, an ex hominibus? Si respõdißent ex hominibus: obtinebat

nebat, friuolum esse & uanum: si è cœlo, doctrinam Ioannis *agnoscere cogebantur*. Itaque *ne essent nimium in* Ioannem *contumeliosi, non ausi sunt fateri, esse ex hominibus. Si itaq; ex hominibus est confirmatio, uana et friuola esse conuincitur: si è cœlo esse persuadere uolũt, probent.* Tuentur *se quidem* Apostolorum *exemplo, quos nihil temere fecisse existimant.* Recte *id sanè.* Nec *à nobis reprehenderentur, si se* Apostolorum *imitatores ostenderent. Sed*
Acto. 8 *quid fecerũt* Apostoli? Narrat Lucas *in* Actis: Apostolos, *qui* Hierosolymis *erant, cum audissent* Samariam *recepisse uerbum* Dei, *misisse illuc* Petrum & Ioannem. *illos pro Samaritanis orasse, ut spiritum sanctum acciperent, qui nondum in quenquam illorum uenerat: sed baptisati tantũ erãt in nomine* Iesu. *oratione factá, illis manus imposuisse. per quam impositionem, spiritum sanctũ Samaritani acceperũt.* Et *de hac manuum impositione aliquoties meminit.* Audio *quid* Apostoli *fecerint: nempe, suum ministerium fideliter exequuti sunt.* Visibiles *illas & admirabiles spiritus sancti gratias, quas tunc in populum suum effundebat, uoluit* Dominus *à suis* Apostolis *per manuũ impositionem administrari & distribui.* Huic *autem impositioni manuum non altius subesse*

mysterium

mysterium cogito: sed huiusmodi ceremoniam adhi tam ab illis interpretor, ut ipso gestu significarent, se Deo *commendare, & uelut offerre eum, cui manus imponebant.* Hoc *ministerium, quo tum* A*postoli fungebãtur, si adhuc in ecclesia maneret, manuum quoq; impositionem oporteret seruari. sed ubi gratia illa cõferri desijt, quorsum pertinet manuũ impositio?* A*dhuc certe adest populo* Dei *spiritus sanctus, quo nisi ductore & directore, cõsistere nequit* Dei *ecclesia.* H*abemus enim æternam & perpetuo constaturam promissionem, qua* C*hristus sitientes ad se uocat, ut bibant aquas uiuas.* S*ed cessarunt illa uirtutum miracula, et manifestæ operationes, quæ per manuum impositionẽ distribuebantur, nec nisi ad tempus esse debuerunt.*O*portuit enim nouam* E*uangelij prædicationem, nouum* C*hristi regnum, inauditis & inusitatis miraculis illustrari & magnificari.* A *quibus ubi cessauit* D*ominus, non protinus ecclesiam suam deseruit: sed regni sui magnificentiam, uerbiq; sui dignitatem satis excellenter manifestatam docuit.* Q*ua igitur in parte histriones isti* A*postolos se imitari dicent?* H*oc agendum erat manuum impositione, ut euidens spiritus sancti uirtus statim se exereret.* I*d non efficiunt.* Q*uid igitur pro se iactant*

Ioan. 7
Iesa. 55

se iactant manuum impositionem? quam Apostolis quidem in usu fuisse legimus: sed prorsus in alium finem. Eiusdem *hoc rationis est, ac si quis diceret, flatum illum, quo* Dominus *discipulos suos afflauit, sacramentum esse, quo detur spiritus sanctus.* Atqui *hoc semel* Dominus *cum fecit, nō à nobis fieri etiam uoluit.* Ad *eum modum & Apostoli manus imponebāt, pro eo tempore, quo uisibiles spiritus sancti gratias, ad eorum preces administrari,* Domino *placebat: non ut posteri uacuū & frigidum signū (quod simiæ istæ faciunt) mimitice tantum, & sine re effingerent.* Quod *si manuum impositione Apostolos se imitari euincant (in qua nihil cum Apostolis simile habent, præter nescio quam præposteram* κακοζηλίαν:) *unde tamen oleum, quod uocant, salutis?* Quis *eos in oleo salutē quærere docuit?* Quis *uim roborandi illi attribuere?* An Paulus? *qui nos ab elemētis huius mundi longe abstrahit: qui nihil magis damnat, q̃ talibus obseruatiunculis hærere.* Hoc *uero non à me, sed à* Domino, *audacter pronuncio.* Qui *oleum, uocant oleum salutis, salutem quæ in* Christo *est abiurant,* Christum *abnegant, partem in regno* Dei *nō habēt.* Oleum *enim uentri, & uenter oleo: utrunq; Dominus destruet. omnia enim ista*

Ioan. 20 · Gal. 4 · Coloss. 2

infirma

infirma elementa, quæ usu ipso intereunt, nihil ad regnum Dei pertinent, quod spirituale est, & nunquam interiturum. Quid igitur? dixerit aliquis. eadem linea metiris aquam, qua baptisamur: & panem ac uinum, sub quibus cœna Domini *exhibetur?* Respondeo: *in sacramentis* Domini *duo spectanda esse. substantiam rei corporeæ, quæ nobis proponitur: & formam, quæ illi à uerbo* Dei *impressa est, in qua tota uis iacet. quatenus ergo substantiam suam retinent, panis, uinum, aqua, quæ aspectui nostro in sacramentis offeruntur: ualet semper illud* Pauli, *Esca uentri, & uenter escis:* Deus *utrunq; destruet.* Præ*tereunt enim & euanescunt cum figura huius mundi. quatenus autem uerbo* Dei *sanctificantur, ut sacramenta sint: non in carne nos retinent, sed uere spiritualiter docent.* 1. Cor. 6

V*erum propius adhuc inspiciamus, quot monstra foueat alatq; hæc pinguedo.* Di*cũt isti unctores, spiritũ sanctũ in baptismo ad innocentiã dari: in cõfirmatione, ad gratiæ augmentũ: in baptismo nos regenerari, ad uitam in confirmatione nos ad pugnã instrui.* Et *adeò nihil eos pudet, ut negent baptismũ rite sine cõfirmatione perfici posse.* O *nequitiã.* An *non igitur in baptismo* Christo *cõsepulti sumus, facti participes mortis eius?* Rom. 6

ut & resurrectionis simus cōsortes. Hanc aūt partici pationē & mortis & uitæ Christi, Paulus interpretatur mortificationē carnis nostræ, uiuificationem spiritus. quòd uetus homo noster crucifixus est, quòd nos in nouitate uitæ ambulamus. Quid est instrui ad pugnam, nisi hoc est? Quod autē Lucas, eo quem citauimus loco, dicit baptisatos in nomine Iesu Christi fuisse, qui non accepissent spiritū sanctum: non simpliciter negat, ullo spiritus dono præditos, qui in Christum corde crederent, & ipsum ore confiterētur: sed acceptionē spiritus intelligit, qua manifestæ uirtutes & uisibiles gratiæ percipiebantur. Sic dicūtur Apostoli spiritū accepisse in die pētecostes,
Matth.10 cum longe antea illis à Christo dictū esset: Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Videte malitiosam & sonticā sathanæ fraudē, qui ex Deo estis. Quod uere in baptismo dabatur, in sua confirmatione dari mentitur: ut furtim incautos à baptismo abducat. Quis iā dubitet hanc sathanæ esse doctrinam, quæ promißiones baptismi proprias, à baptismo absciſſas, aliò deriuāt & transfert? Deprehenditur, inquā, quali nitatur fundamento præclara ista unctio. Dei uerbum est: omnes, qui
Galat.3 in Christo baptisati sunt, Christū induisse cum suis

donis

donis. Verbum unctorum, nullam promißionem in baptismo percepisse, qua in agonibus instruamur. Illa uox, est ueritatis: hãc, mendacij esse oportet. Verius ergo definire hãc confirmationẽ possum, quàm ipsi hactenus definierint. nempe, insignem esse baptismi contumeliam, quæ usum ipsius obscurat & abolet: falsam esse diaboli pollicitationem, quæ nos à ueritate Dei abstrahat. Aut, si mauis, oleum diaboli mendacio pollutũ, quod uelut offusis tenebris simplicium mentes fallat. Addunt præterea, fideles omnes, spiritum sanctum per manuũ impositionem accipere debere post baptismũ: ut pleni Christiani inueniantur. quia nunq̃ erit Christianus, nisi qui cõfirmatiõe episcopali fuerit chrismatus. Hæc illi aduerbũ. Atqui putabam, quæcunq; ad Christianismum pertinent, omnia scripturis perscripta ac comprehensa esse. Nunc (ut uideo) aliunde quàm ex scripturis, ueræ religionis forma petenda, discendaq; est. Dei ergo sapientia, cœlestis ueritas, tota Christi doctrina, Christianos duntaxat inchoat: oleum perficit. Hac sententia damnantur omnes Apostoli, & tot martyres, quos nunquam fuisse chrismatos, certo certius est: quaodo nondũ erat sanctum oleum, quo perfusi, omnes Christianismi numeros implerẽt: uel potius,

De consec. distinct. 5 cap. Spũs

Vrba c. 1. de consecr. distinct. 5

In concil. Aurelia. c. Vt ieiuni. de consecr. distinct. 5

c. de his ue ro eadē. dis. *Christiani fierent, qui nondum erant. Verum, ut taceam, abunde se ipsi refellunt. Quotam enim populi sui partem post baptismum perungunt? cur igitur patiuntur in suo grege tales semichristianos, quorum imperfectioni mederi facile erat? cur tam supina negligentia omittere eos sinunt, quod omitti sine graui piaculo non licebat? Cur non seuerius exigunt rem adeò necessariam, & sine qua salus obtineri non potest? nisi forte quis subita morte praepeditus fuerit. scilicet, dum ita licenter cōtemni patiuntur: tacite fatentur non tanti esse, quanti uenditant.*

c. spūs. eadem dist. *Postremo constituunt, sacram hanc unctionem maiori in ueneratione habendam esse, quàm baptismum. quòd illa summorum pontificum manibus peculiariter administratur, baptismus ab omnibus uulgariter sacerdotib. distribuitur. Quid hic dicas, nisi plane furiosos esse, qui suis inuētionibus ita blandiuntur, ut prae ipsis sacrosanctas Dei institutiones secure contemnant? os sacrilegum, tu ne pinguedinem foetore duntaxat anhelitus tui inquinatam, & uerborum murmure incantatam, audes Christi sacramento opponere: & conferre cum aqua uerbo Dei sanctificata? At parum hoc ipsum erat tuae improbitati, nisi etiam praeferres. Haec sunt sanctae se-* *lib. 4. sent. dist. 7. c. 2*

dis

dis responsa, hæc Apostolici tripodis oracula. Sed quidam eorũ hanc, sua quoq; opinione, effrenatam insaniã cœperunt paulũ moderari. Maiori, inquiunt, ueneratione colenda est. forte nõ ob maiorẽ uirtutẽ & utilitatẽ, quã cõferat: sed quia à dignioribus. datur, & in digniori parte corporis fit: id est, in fronte. uel quia maius augmẽtũ uirtutũ præstat: licet baptismus plus ad remissionẽ ualeat. Verũ, prima ratione nõne se Donatistas prodũt, qui uim sacramẽti à ministri dignitate æstimant? Faxo tamen, uocetur dignior confirmatio à dignitate episcopalis manus. Sed si quis ab illis sciscitetur, unde tanta prærogatiua episcopis delata fuerit: quam rationem afferent, præter suam libidinẽ? Soli Apostoli eo iure usi sunt, qui soli spiritum sanctũ distribuerũt. An soli episcopi Apostoli? Imò, an omnino Apostoli? Demus tamen & istud. Cur non eodẽ argumẽto cõtendunt, solis episcopis sacramentũ sanguinis in cœna Domini attingendũ esse? quod laicis ideo denegãt, quia solis Apostolis à Domino datũ fuerit. Si solis Apostolis: cur nõ inferũt, ergo solis episcopis? sed Apostolos eo loco simplices presbyteros faciũt: nũc capitis uertigo aliò eos rapit, ut subito episcopos creẽt. Postremo, nõ erat Apostolus Ananias, q tamẽ ad Paulũ missus est, ut uisum re- Acto. 9

ciperet, baptiſaretur, et impleretur ſpirituſancto. Ad dã & hoc ad cumulũ: ſi iure diuino propriũ hoc munus epiſcoporũ fuerat, cur auſi ſunt ad plebeios preſ-
ſt. 95. c. byteros transferre? Quemadmodũ in quadã Gre-
Peruenit gorij epiſtola legitur. Altera ratio quàm friuola, inepta, & ſtolida eſt? Digniorem uocare ſuam confirmationem, quàm Dei baptiſmum: quia in ea frons oleo inficiatur, in baptiſmo cranium. quaſi uero baptiſmus oleo, & non aqua peragatur. Teſtor uero pios omnes, an non hoc unum admoliantur iſti nebulones, ut ſacramentorum puritatem fermento ſuo uitient. Dixi hoc alibi: uix in ſacramentis per rimulas interlucere, quod Dei eſt, inter humanarũ inuentionum turbam. Si quis eius rei tum fidem mihi non habebat, ſuis ſaltem magiſtris nunc habeat. Ecce, præterita aqua, & nullo numero habita, unum oleum in baptiſmo magni faciunt. Nos ergo contrà dicimus, in baptiſmo frontem aqua tingi. Præ hac, ueſtrum oleum non unius ſtercoris facimus: ſiue in baptiſmo, ſiue in confirmatione. Quòd ſi quis pluris uendi alleget, reſpondere promptum eſt: uenditionem ueſtram, impoſturam eſſe, nequitiam eſſe, furtum eſſe. Tertia ratione impietatem ſuam traducunt, dum maius uirtutum augmen-

tum

tum conferri in confirmatione garriunt, quàm in baptiſmo. Impoſitione manuum Apoſtoli uiſibiles ſpiritus gratias adminiſtrarunt. Qua in re iſtorum pinguedo ſe fœcundam oſtendit? Sed ualeant iſti moderatores, qui ſacrilegium unum multis ſacrilegijs operiunt. Nodus Gordianus eſt: quem abrumpere ſatius ſit, quàm in diſſoluendo tantopere laborare.

Iam uero, cum uerbo Dei & probabili ratione defici ſe uident, prætexunt quod ſolent: uetuſtiſſimam eſſe hanc obſeruationem, & multorum ſeculorum conſenſu firmatam. Etiamſi id uerum eſſet, nihil tamen efficiunt. Non è terra eſt ſacramentum, ſed è cœlo: non ex hominibus, ſed ab uno Deo. Deum ſuæ confirmationis autorem probent oportet, ſi ſacramentum haberi uolunt. ſed quid uetuſtatem obiectant, cum ueteres nuſquam plura duobus ſacramentis recenſeant? Si ab hominibus petendum eſſet fidei noſtræ præſidium, habemus arcem inexpugnabilem: nunquam ueteribus agnita fuiſſe pro ſacramentis, quæ iſti ſacramenta ementiuntur. De manuum impoſitione loquũtur ueteres: ſed an ſacramentum uocant? Auguſtinus aperte affirmat, nihil aliud eſſe q̃ orationem. Neq; hic mihi putidis ſuis diſtinctionibus obgãniant: non ad confirmatoriã Au- *lib.4. de bapt.*

 guſtinum

gustinum illud retulisse, sed curatoriam, uel reconciliatoriam. Extat liber, *& in hominum manibus uersatur.* Si in aliũ sensum detorqueo, quàm Augustinus *ipse scripsit: cedo, non conuicijs modo, pro solenni suo more, sed sputis mè obruant. Vtinã uero morem retineremus, quẽ apud ueteres fuisse suspicor, priusq̃ abortiua hæc sacramenti larua nasceretur.* Non *ut esset confirmatio, quæ sine baptismi iniuria nec nominari potest: sed* Christiana *catechesis, qua pueri aut adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram ecclesia exponerent. Esset autem optima catechisandi ratio, si formula in hunc usum conscripta esset, summã continens & familiariter explicans omnium ferè religionis nostræ capitum, in quæ uniuersa fidelium ecclesia consentire sine controuersia debet. Puer decennis ecclesiæ se offerret, ad edendam fidei confeßionem. rogaretur de singulis capitibus, ad singula responderet. si quid ignoraret, aut minus intelligeret, doceretur.* Ita *unicam ueram & synceram fidem, qua unanimiter* Deum *unum colit fidelium populus, teste & spectante ecclesia profiteretur.* Hæc *disciplina si hodie ualeret, profecto parentum quorundam ignauia acueretur: qui liberorum institutionem, quasi rem nihil ad se pertinentem, secure negligunt:*

gunt: quam tum sine publico dedecore omittere non possent. Maior esset in populo Christiano fidei consensus, nec tanta multorum inscitia & ruditas. non adeo temere quidam nouis & peregrinis dogmatibus abriperentur. omnibus deniq; esset quaedam uelut methodus doctrinae Christianae.

DE POENITENTIA.

PRoximo loco statuunt poenitentiam. de qua sic confuse & perturbate disserunt, ut nihil certi nec solidi ex eorũ doctrina referre poßint conscientiae. Nos primum, quae de poenitentia didicimus ex scripturis, paucis enarrabimus: tum deinde, quid & illi doceant: postremo, quàm leui, aut potius nulla ratione, sacramentum fecerint. De poenitentia docti quidã uiri, longe etiã ante haec tempora, cũ iuxta scripturae regulã simpliciter et syncere loqui uellẽt, dixerũ cõstare duabus partib. mortificatione, & uiuificatiõe. Mortificationẽ interpretãtur, animae dolorẽ ac terrorẽ, ex agnitione peccati, et sensu iudicij Dei cõceptũ. ubi enim quis in uerã peccati cognitione adductus est, tũ uere peccatũ odisse & execrari incipit: tũ sibiipse ex animo displicet, miserũ se et pditum

tum fatetur, & alium se esse optat. Ad hæc ubi sensu aliquo iudicij Dei tactus est (alterum enim ex altero protinus sequitur) tum uero perculsus ac consternatus iacet, humiliatus ac deiectus tremit, animum despondet, desperat. Hæc prior pœnitentiæ pars, quam uulgo contritionem dixerunt. Viuificationem interpretantur cõsolationem, quæ ex fide nascitur. Vbi scilicet homo peccati conscientia prostratus, ac Dei timore percussus, postea in Dei bonitatem, in misericordiam, gratiam, salutem, quæ est per Christum, respiciens, sese erigit, respirat, animum colligit & uelut à morte in uitam redit. Alij *quia uidebant uarie hoc nomen in scriptura acceptum, duas posuerunt pœnitentiæ formas: quas ut nota aliqua distinguerent, alteram legalem dixerunt: qua peccator peccati cauterio uulneratus, & terrore iræ Dei attritus, in ea perturbatione constrictus hæret, nec se explicare potest. Euangelicam alteram, qua peccator grauiter quidem apud se afflictus, altius tamen emergit: & Christum uulneris sui medicinã, terroris consolationem, miseriæ portum, appræhendit. Legalis*
4. *pœnitẽtiæ exempla sunt, Cain, Saul, Iudas: quorum*
g.15. *pœnitentiã dũ scriptura nobis cõmemorat, intelligit*
th.27. *peccati sui grauitate agnita, iram Dei timuisse. sed*

Deum

Deum dumtaxat ultorem & iudicem cogitantes, in eo sensu defecerunt. Ergo eorũ pœnitentia non aliud fuit, quàm quoddam inferorum atrium, quo iam in hac uita ingressi, cœperũt à facie iræ maiestatis Dei *pœnas dare.* Euangelicam *pœnitentiam uidemus in omnibus, qui peccati aculeo apud se exulcerati, fiducia autẽ misericordiæ* Dei *erecti & recreati, ad* Dominum *conuersi sunt.* Perterritus *est* Ezechias *accepto mortis nuncio: sed flens orauit, & in* Dei *bonitatem intuitus, fiduciam recepit.* Conturbati *sunt* Niniuitæ *horribili denunciatione excidij: sed induti sacco & cinere, orarunt, sperantes quòd conuerti posset* Dominus, *& auerti à furore iræ suæ.* Confessus *est* Dauid, *se nimium peccasse in recẽsendo populo. sed adiecit:* Aufer Domine *iniquitatem serui tui.* Agnouit *adulterij crimen, obiurgante* Nathan, *& se coram* Domino *prostrauit: sed ueniam simul expectauit.* Talis *fuit eorum pœnitentia, qui ad prædicationem* Petri *compuncti sunt corde: sed* Dei *bonitate cõfisi, addiderunt,* Quid *faciemus uiri fratres?* Talis *&* Petri *ipsius, qui fleuit quidem amare, sed sperare non desijt.* Hæc *quanquam omnia uera sunt: nomen tamen ipsum pœnitentiæ (quatenus ex scripturis assequi possum) aliter accipiendum est.* Nam *quod*

4. Reg. 20

Ionæ. 3.

2. Reg. ult.

2. Reg. 12

Actor. 2.

quod fidẽ ſub pœnitentia cũplectuntur, pugnat cum
Acto.20. *eo quod Paulus in Actis dicit, ſe Iudæis ac gentibus teſtificatum in Deũ pœnitentiam, & fidem in Ieſum Chriſtum. Vbi, tanquam duo diuerſa, pœnitentiam & fidem enumerat. Quid igitur? An uera pœnitentia citra fidem conſiſtere poteſt? minime. Verum & ſi ſeparari nõ poſſunt, diſtingui tamen debẽt. Quemadmodum enim ſine ſpe fides non eſt. & tamen fides ac ſpes uaria ſunt: ita pœnitentia & fides, quanquã perpetuo inter ſe uinculo cohærẽt, magis tamen cõiungendæ ſunt, quàm cõfundendæ. Eſt itaq;, meo quidem iudicio, pœnitentia, carnis noſtræ ueteriſq; hominis mortificatio: quam in nobis efficit uerus ac ſincerus timor Dei. In eum ſenſum accipiendæ ſunt conciones omnes, quibus uel prophetæ quondam, uel apoſtoli poſtea, ſui temporis homines ad pœnitentiam hortabantur. Hoc enim contendebant, ut peccatis ſuis confuſi, & timore Dei puncti, coram Domino prociderent & humiliarentur, ſeq; in uiam reciperent ac reſipiſcerent. Ideo hæc promiſcue uſurpant eodem ſignificatu: Conuerti, ſeu reuerti ad Dominum, & pœnitentiã agere. Et fructus dignos pœ-*
Matth.3. *nitentia facere, dixit Ioannes, uitam agere, quæ huiuſmodi reſipiſcentiam & conuerſionem deceat.*

Tota

Tota autem Euangelij summa duobus istis capitibus continetur: pœnitentia, & peccatorum remißione. Ioannes enim angelus ante faciem Christi missus, ad præparandas uias eius, prædicabat: Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum. Ad pœnitentiam uocando, monebat, ut se peccatores agnoscerent, suaque omnia coram Deo damnata: quo carnis suæ mortificationem, ac nouam in spiritu regenerationem totis uotis expeterent. Regnum Dei annunciando, ad fidem uocabat. siquidem per regnum Dei, quod docebat in propinquo eße, remißionem peccatorũ, salutem, uitã, & quicquid omnino in Christo assequimur, significabat. Quare apud alios Euangelistas legitur, Venit Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ, in remißionẽ peccatorũ. Quod, quid aliud est, quàm ut peccatorum mole preßi & fatigati ad Dominum se conuerterent, ac de remißione & salute spem conciperent? Sic & Christus suas conciones auspicatus est: Appropinquauit regnum Dei, pœnitentiã agite, & credite euãgelio. Primũ declarat thesauros misericordiæ Dei in se apertos, deinde pœnitẽtiã exigit: tũ postremo fiduciã erga dei promißiones. Itaq; cũ totũ euangelij negociũ breuiter complecti uoluit Christus, dixit se oportuisse pati, resurgere

Matth. 11.
Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.
Luc. 24.

surgere à mortuis, prædicari in nomine suo pœniten tiam, & remißionem peccatorū. Id & apostoli post eius resurrectionem prædicarunt. Excitatum à Deo *ad dandam pœnitentiam Israëli, & remißionem pec catorum.* Prædicatur *pœnitētia in nomine* Christi, *cum per* Euangelij *doctrinam audiunt homines, suas omnes cogitationes: suos affectus, sua studia corrupta & uitiosa esse.* Propterea *necesse esse, ut renascantur: si uolunt ingredi in regnum* Dei, *esse autem hanc renascendi rationem: si participationem habeant in* Christo, *in cuius morte emoriuntur prauæ cupiditates: in cuius cruce uetus homo noster crucifigitur: in cuius sepulchro sepelitur corpus peccati.* Remißio *peccatorum prædicatur: cum docentur ho mines:* Christum *sibi factum esse redemptionem, iu stitiam, satisfactionem, uitam, ut eius nomine iusti et innocentes gratis habeantur in conspectu* Dei. *Vno igitur uerbo pœnitentiam interpretor mortificationem,* Hæc *pœnitentia, primum nobis ad* Christi *cognitionem ingressum aperit, qui nullis se exhibet, nisi miseris & afflictis peccatoribus, qui gemunt: labo rant, onerati sunt, esuriunt, sitiunt, dolore & miseria labescunt.* Ad *hāc eniti, in hanc incumbere, hāc prosequi, tota uita nos oportet.* Dicebat Plato, *uitam* philo-

1.Cor.1.

*philoſophi meditationem eſſe mortis. uerius nobis dicere licet, uitam Chriſtiani hominis, perpetuum eſſe ſtudium & exercitationem mortificandæ carnis, donec plane intereat. Quare illum arbitror plurimum profeciſſe, qui ſibi plurimum diſplicere didicit. non, ut in hoc luto hæreat, nec ultra progrediatur, ſed magis ut ad Deum feſtinet et ſuſpiret, ut morti Chriſti inſertus pœnitentiam meditetur. Hæc ſententia, ut erat ſimpliciſsima omniū, ita mihi cum ſcripturæ ueritate optime conſentire uiſa eſt. Nunc uenio ad excutienda ea, quæ de pœnitentia ſcholaſtici ſophiſtæ tradiderunt: quæ, quàm pauciſsimis fieri poterit, percurram. quia omnia perſequi animus non eſt: ne hic noſter libellus, quem ad enchiridij breuitatē exigere uolo, in immenſum extrahatur. Et illi rem alioqui nō ualde implicitam, tot uoluminibus inuoluerunt, ut non futurus ſit facilis exitus, ſi te paulum in eorum feces immerſeris. Principio, in danda definitione plane oſtendunt, nunquam ſe intellexiſſe, quid eſſet pœnitentia. * Arripiunt enim quædam è libris ueterum dicteria, quæ uim pœnitentiæ minime exprimunt. quòd pœnitere ſit, anteacta peccata deflere, & flenda non committere. item, quòd ſit mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.*

*
Hæc Greg[...] & refert[...] lib. 4. ſen[...] diſt. 14. c[...] Secūda A[...]br. refert[...] illic et in [...]cretis diſt[...] de pœnit. [...] pœnitent[...] priore.
Tertia [...]guſt. & r[...]fertur ea[...] diſt. c. pœ[...]tētia poſ[...]
Quarta [...] Ambr. re[...]fertur. di[...] 1. de pœn. c. uera pœnitentia.

mittere. item, quòd sit quædam dolens uindicta, puniens in se, quod dolet commisisse. item, quòd sit dolor cordis & amaritudo animæ, pro malis quæ quisque commisit, uel quibus consensit. Hæc enim ut à patribus bene dicta cōcedamus (quod inficiari contentioso difficile non esset,) non tamen in eam partem dicebantur, ut pœnitentiam describerent: sed tantum, ut suos hortarentur, ne in eadem delicta rursum reciderent, à quibus extracti erant. Pœnitentiam tam argute definitam in contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operis partiuntur, nihilo magis dialectice, quàm definierunt: etsi uideri uolunt totam ætatem in syllogismis contexendis detriuisse. Verum si quis à definitione ratiocinetur (quod genus argumentandi apud dialecticos ualet) posse aliquem anteacta peccata deflere, & flenda non committere: posse præterita mala plangere, & plangenda non committere: posse punire, quod doleat commisisse, &c. quamuis ore nō confiteatur: quomodo suam partitionem tuebuntur? si enim ille uere pœnitens non confitetur, pœnitentia sine confeßione esse potest. Quod si respondeant, hanc partitionem ad pœnitentiam referri, quatenus est sacramentum: uel de tota pœnitētiæ perfectione intelligi, quam

...4. sent. dist. 16. c. 1 de pœnit. dist. 1. c. perfecta pœnitentia.

quam suis definitionibus non comprehendunt: non est unde accuser. sibi ipsi imputēt, qui nō purius ac dilucidius definiunt. Ego certe, pro mea craßitie, cum de re aliqua disputatur, ad ipsam definitionē omnia refero: quæ est totius disputationis cardo ac fundamentū. Sed sit illa magistralis licentia. Iā partes ipsas ordine perlustremus. Velim aūt animaduertant lectores, nō hic de asini umbra rixā esse: sed rē omniū maxime seriam tractari. nempe de peccatorū remißione. Cum enim tria ad pænitentiā requirunt, compunctionē cordis, oris cōfeßionē, opis satisfactionē: simul ad impetrādā peccatorū remißionē necessaria esse docēt. Si quid aūt in tota nostra religiōe scire nostra refert, id certe refert maxime, intelligere ac ꝓbe tenere, qua ratiōe, qua lege, qua cōditione, qua facilitate, aut difficultate, obtineatur peccatorū remißio. Hæc notitia nisi perspicua certaq; cōstat, nullā requiē, nullā cū Deo pacē, nullā fiduciā, aut securitatē habere potest cōscientia: sed aßidue trepidat, fluctuatur, æstuat, cruciatur, diuexatur, horret, odit, ac fugit conspectū Dei. Quòd si ab his cōditionibus pendet peccatorū remißio, quibus eam ipsi alligant: nihil nobis miserius, nec deploratius. Cōtritionē primam obtinendæ ueniæ partē faciunt, eamq; debitam

exigunt, hoc eſt, iuſtam & plenam: ſed interim non conſtituũt, quando ſecurus aliquis eſſe poßit, ſe hac contritione ad iuſtum modum defunctum eſſe. Hic *uero miſeræ conſcientiæ miris modis torquentur & exagitantur, dum ſibi debitam peccatorum contritionem imponi uident, nec aſſequuntur debiti menſuram, ut ſecum decernere poßint, ſe perſoluiſſe quod debebant. Si dixerint, faciendum quod in nobis eſt: eodem ſemper reuoluimur. quando enim audebit ſibi promittere quiſpiam, omnes ſe uires contu liſſe ad lugenda peccata? Vbi ergo diu ſecum luctatæ, & longis certaminibus exercitæ conſcientiæ, portum tandem, in quo reſideant, non inueniunt: ut ſe aliqua ſaltem parte leniant, dolorem à ſe extorquent, & lachrymas exprimunt, quibus ſuam contritionem perficiant. Quòd ſi me calumniari aiunt: prodeant ſanè, & unum aliquem oſtendant, qui hu iuſmodi contritionis doctrina uel non ſit ad deſperationem adactus, uel ſimulationem doloris, iudicio* Dei, *pro uero dolore, non oppoſuerit.* Dixi*mus & nos quodam loco, nunquam ſine pœnitentia obuenire peccatorum remißionem. quòd nulli niſi afflicti, & peccatorum conſcientia uulnerati,* Dei *miſericordiã implorare ſincere poſſunt. ſed ſimul adiecimus,*

iecimus, pœnitentiam non esse causam remissionis peccatorum. illa autem animarum tormenta sustulimus, quòd debita præstanda sit. peccatorem docuimus, non in suam cōpunctionem, neq; in suas lachrymas intueri: sed utrunq; oculum in solam Domini misericordiam defigere. tantum admonuimus, uocari à Christo laborantes & oneratos: quando missus sit ad Euangelizandum pauperibus, ad sanandum contritos corde, prædicandum captiuis remissionem, ad educendos uinctos, consolandos lugentes. Quo excluderentur & Pharisæi, qui sua iustitia saturi, paupertatem suam non agnoscunt: & contemptores, qui securi iræ Dei, malo suo remedium non quærunt. Tales enim nec laborant, nec onerati sunt, nec contriti corde, nec uincti, nec captiui, nec lugent. Multum uero interest, doceas ne emereri peccatorum remissionem iusta & plena contritione, qua nunquam defungi possis: an peccatorem instituas, esurire & sitire Dei misericordiam, per miseriæ suæ agnitionem: suum æstum, lassitudinem, captiuitatem, illi ostendas: ut quærat refrigerium, requiem, liberationem. illum deniq; doceas, in sua humilitate dare Deo gloriam. De confessione semper ingens fuit pugna inter canonistas, & Theolo-

Matth. 11
Iesa. 61

gos ſcholaſticos. his contendentibus, mandari diuino præcepto confeßionem: illis reclamantibus, eccleſiaſticis duntaxat conſtitutionibus præcipi. In eo uero certamine inſignis theologorum impudentia apparuit, qui tot locos ſcripturæ deprauarunt, & ui detorſerunt, quot in rem ſuam citabant. Et quando ne ſic quidem obtineri poſſe uiderunt, quod poſtulabant: qui arguti uolebant præ alijs uideri, hoc effugio elapſi ſunt. Confeßionem à iure diuino profectam, quantum ad ſubſtantiam: ſed formam poſtea accepiſſe à iure poſitiuo. nempe ſic qui inter Leguleios ſunt ineptißimi, citationem ad ius diuinum referunt: quia dictum ſit, Adam ubi es. exceptionem item: quia reſponderit Adam, quaſi excipiens, Vxor quam dediſti mihi, & cætera. utriq; tamen, formã à iure ciuili datam. Sed uideamus, quibus argumentis confeßionem hanc uel formatã, uel informem, Dei

Matth.8 eſſe mandatum probent. Miſit, inquiunt, leproſos

Luc.5.17 Dominus ad ſacerdotes. Quid? miſit ne ad confeſ-

Mar.1 ſionem? quis unquam fando audiuit audiendis confeßionibus præfectos Leuiticos ſacerdotes? Confugiunt ergo ad allegorias. Sancitum erat lege Moſai-

Deut.17 ca, ut ſacerdotes diſcernerent inter lepram & lepram. Peccatum, ſpiritualis eſt lepra. de hac pronunciare

nunciare, ſacerdotum eſt. Antequam reſpondeo, quæro obiter, Si hic locus ſpiritualis lepræ eos iudices facit, cur naturalis & carnalis lepræ cognitionem ad ſe trahunt? ſcilicet hoc non eſt ſcripturis ludere. Lex cognitionem lepræ deſert ſacerdotibus Leuiticis: hanc nobis uſurpemus. peccatum eſt lepra ſpiritualis: ſimus & peccati cognitores. Nunc reſpondeo. Translato ſacerdotio, neceſſe eſt legis translationem fieri. omnia ſacerdotia ad Chriſtum translata ſunt, in eo impleta, & finita. Ad eum igitur unum, ius omne & honor ſacerdotij translatus eſt. Si tantopere amant allegorias ſectari, unicum ſacerdotem Chriſtum ſibi proponant, & rerum omnium libera iuriſdictione tribunal eius cumulent. facile id feremus. Ad hæc, importuna eſt ipſorum allegoria, quæ legem mere politicam inter ceremonias reponit. Cur igitur Chriſtus ad ſacerdotes, leproſos mittit? Ne calumniarentur ſacerdotes, ipſum legem uiolare, quæ iuberet coram ſacerdote repræſentari à lepra curatum, & oblato ſacrificio expiari: iubet mundatos leproſos facere, ea quæ legis erant. Ite, inquit, oſtendite uos ſacerdotibus: & offerte munus, quod præcepit Moſes in lege, ut ſit in teſtimonium ipſis? & uere futu-

Hebr. 7.

 rum

rum erat illis in testimonium, miraculum hoc. Pronunciauerant eos leprosos, nunc curatos pronunciant. Nónne, uelint, nolint, coguntur fieri testes miraculorum Christi? explorandum illis Christus suum miraculum permittit: diffiteri nō possunt. quia autem adhuc tergiuersantur, est illis hoc opus in testimonium. Sic alibi: Prædicabitur Euangelium hoc in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. item: Ante reges & præsides ducemini, in testimonium ipsis, id est, quò in iudicio Dei fortius conuincantur.

Matth. 24

Matth. 10

Secundum argumentum ex eodem fonte ducunt, hoc est, ex allegoria: quasi multum ualeant allegoriæ ad dogma aliquod confirmandum. Sed ualeant sanè, nisi eas ipsas ostendero speciosius à me obtendi, quàm ab ipsis posse. Dicunt ergo: Dominus discipulis præcepit, ut suscitatum Lazarum fascijs soluerent & expedirent. Hoc primum mentiuntur. nusquam enim legitur, hoc dixisse Dominū discipulis. Estq; multo uerisimilius, dixisse Iudæis adstantibus: quò citra ullam fraudis suspitionem, euidētius fieret miraculum: & maior sua uirtus eluceret, quòd nullo tactu, sua sola uoce, mortuos suscitaret. Sic equidem interpretor, Dominum, quò omnem sinistram suspitionē Iudæis tolleret, uoluisse

Ioan. 11

luisse illos reuoluere lapidem, fœtorem percipere, certa mortis signa spectare, sola uerbi uirtute surgẽtem uidere, uiuentem primos attrectare. Sed demus, hoc dictum discipulis. quid tum obtinebunt? Dominum dedisse Apostolis soluendi potestatem. quanto aptius & magis dextre hæc allegorice tractari poterũt? Si dicamus, hoc symbolo Dominũ uoluisse fideles suos instituere, ut soluerent à se suscitatos, hoc est, ne in memoriã peccata reuocarent, quæ ipse oblitus esset: ne, ceu peccatores, damnarẽt, quos ipse absoluisset: ne adhuc exprobrarent, quæ ipse cõdonasset: ne ubi misericors ipse esset, & ad parcendum facilis, ipsi ad puniendum seueri & morosi essent. Eant nunc, & allegorias suas uentilent. Iam propius manus conserunt: dũ apertis, ut sibi uidentur, sentẽtijs pugnãt. Qui ad Ioãnis baptismum ueniebant, confitebantur peccata sua. Et Iacobus iubet, ut alter alteri peccata confiteamur. Nihil mirum, si confitebantur peccata sua, qui uolebant baptisari. Dictum enim antea est, Ioãnem prædicasse baptismũ pœnitentiæ, baptisasse aqua in pœnitentiam. Quos igitur baptisasset, nisi qui se peccatores cõfeßi essent? Baptismus symbolũ est remißionis peccatorũ: & qui ad hoc symbolum admitterentur, nisi peccatores, & qui se tales agnoscunt?

Matth. 3
Iacob. ult.

ſcunt? confitebantur itaq; peccata ſua, ut baptiſarentur. Nec ſine cauſa præcipit Iacobus, ut alter alteri confiteamur. uerum ſi animaduerterent quod proxime ſequitur, intelligerent parum etiã hoc ſibi ſuffragari. Confitemini, inquit, alter alteri peccata ueſtra, & orate pro inuicem. Mutuam confeßionẽ, & mutuam orationem ſimul iungit. Si ſolis ſacrificulis confitendũ eſt, ergo et pro illis ſolis orandũ. Quid quod ſequeretur ex uerbis Iacobi, ſolos ſacrificulos confiteri poſſe? Siquidem dum uult ut mutuo cõfiteamur, eos ſolos alloquitur, qui aliorũ cõfeßionẽ audire poſſint. ἀλλήλοις, mutuo, uicißim: aut (ſi malũt) reciproce. Faceſſant igitur hoc genus nugamenta, & ipſam Apoſtoli mentẽ accipiamus: quæ ſimplex eſt, & aperta. nempe, ut noſtras infirmitates uicißim alter in alterius ſinum deponamus, mutuum cõſilium, mutuã cõpaßionem, mutuã inter nos conſolationem accepturi. Deinde, ut fraternæ infirmitatis mutuo conſcij, pro illis ad Dominũ oremus. Quid ergo contra nos Iacobũ citant, qui tantopere cõfeßionẽ miſericordiæ Dei urgemus? cõfiteri aũt Dei miſericordiã nemo poteſt, niſi miſeriã ſuam prius cõfeſſus. Quin potius anathema eſſe pronunciamus, quicunq; nõ ſe corã deo, corã angelis eius, corã eccleſia, corã omnibus

bus deniq; hominibus, peccatorem confessus fuerit. Omnia enim conclusit Dominus sub peccatũ, ut omne os obstruatur, & humilietur omnis caro coram Deo: solus aũt ipse iustificetur & exaltetur. Miror aũt qua fronte ausint cõtendere, confeßionẽ, de qua loquuntur, iuris esse diuini. cuius equidem uetustißimũ esse usum fatemur: sed quẽ facile euincere possumus, olim fuisse liberũ. Certe nullam de ea statam fuisse legẽ, aut cõstitutionẽ, ante Innocentij tertij tempora, eorũ quoq; annales narrãt. & luculẽta testimonia extãt, tũ in historijs, tũ apud antiquos alios scriptores, quæ doceãt hanc fuisse politicã disciplinã, ab episcopis institutã: nõ legem, à Christo aut Apostolis positã. Vnum dũtaxat è multis proferã, quod non obscuro eius rei documẽto erit. Refert Sozomenus, fuisse hãc episcoporũ constitutionẽ, diligenter obseruatam ecclesijs occidentalib. præsertim uero Romæ. quo significat, nõ fuisse uniuersale omniũ ecclesiarũ institutũ. Vnum aũt è presbyteris peculiariter destinatũ fuisse dicit, qui huic muneri præesset. quo abunde confutat, quod isti de clauibus uniuerso sacerdotali ordini promiscue datis mentiuntur. Siquidẽ non omniũ sacerdotũ cõmunis erat functio: sed singulares unius partes, qui ad id electus ab episcopo fuerat. Subijcit deinde, eũ quoq; morẽ Cõstãtinopoli fuisse:

Galat. 3
Rom. 3
Pontif. 183
Platina autor est in uita Zepherini.
Tripert. hist. lib. 9

donec matrona quædam confitentem simulans, eâ specie consuetudinē, quam habebat cum diacono, prætexuisse deprehensa est. Ob id facinus Nectarius, uir sanctitate & eruditiōe clarus, illius ecclesiæ episcopus, confitendi ritum abrogauit. Hic hic aures asini isti arrigant. Si lex Dei erat, auricularis confessio: qui ausus esset Nectarius eam refigere ac conuellere? Nectarium sanctum Dei hominē, omnibus ueterum suffragijs probatum, hæreseos & schismatis accusabunt? Sed eodem calculo damnabunt ecclesiam Constantinopolitanam, in qua confitendi morem non ad tempus modo dissimulatum fuisse, sed ad suam usq; memoriā obsoluisse affirmat Sozomenus. imò nō Constantinopolitanā, sed orientales omnes ecclesias defectionis reas agent: quæ inuiolabilem (si uerum dicunt) legem, & Christianis omnibus mandatam, neglexerunt. Verum ut res tota planior & expeditior fiat, primū bona fide referemus, quod genus confessionis uerbo Dei nobis traditum sit: deinde, & eorum cōmenta de confessione subijciemus. non quidem omnia (quis enim immensum illud mare exhauriret?) sed ea duntaxat, quibus summam suæ confessionis cōplectuntur. Non hic cōmemorarem, uulgatum esse in multis scripturæ partibus, confessionem pro

nem pro laude accipi, nisi adeò eos depuduisset, ut talibus quoq; locis se instruerent. ueluti cum dicunt, confeßionem ualere ad mentis iucunditatem: iuxta illud, In uoce exultationis & confeßionis. Hanc ergo acceptionem obseruent simplices, & diligenter ab illa distinguant, ne sibi talibus fucis illudatur. Psal. 42.

De peccatorum confeßione sic docet. Quando Dominus est, qui peccata remittit, obliuiscitur, delet: huic peccata nostra confiteamur, ut ueniam obtineamus. Ille medicus est: uulnera igitur nostra illi exponamus. Ille læsus est & offensus, ab illo pacem petamus. Ille est cordium cognitor, & cogitationum omnium conscius, coram ipso corda nostra effundamus. Ille est deniq;, qui peccatores uocat, ad ipsum accedamus. Peccatum meum, inquit Dauid, cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti iniquitatẽ cordis mei. Talis est altera ipsius Dauid confessio: Miserere mei Deus, secũdum magnam misericordiam tuam. Talis et Danielis: Peccauimus Domine, peruerse egimus, impietates fecimus, & rebelles fuimus, declinando à mandatis tuis. Et aliæ, quæ paßim in scripturis occurrunt. Si confiteamur peccata nostra, inquit Ioannes, Fidelis Dominus,

Psal. 32.
Psal. 51.
Daniel. 9.
1. Ioann. 1.

nus, ut remittat nobis peccata nostra. Cui confiteamur? ipsi scilicet: hoc est, si adflicto & humiliato corde coram ipso procidamus: si apud ipsum nos ex animo accusantes & damnantes, bonitate eius & misericordia absolui petamus. Qui animo, et corã Deo, hanc cõfeßionem amplexus fuerit, habebit haud dubie & linguam ad confeßionem paratam: quoties opus fuerit, apud homines Dei misericordiam prædicare. Neque tantum ut uni, & semel, & in aurem, cordis secretum insusurret: sed sæpius, sed palàm, sed toto orbe audiente, ingenue & suam paupertatem, & Domini magnificentiam commemoret. In hunc modum, cum Dauid à Nathan argueretur, conscien
2. Reg. 12. *tiæ aculeo punctus, peccatum & coram Deo, & coram hominibus confitetur: Peccaui, inquit, Domino. hoc est, iã nihil excuso, nõ tergiuersor, quo minus peccatorẽ me omnes iudicẽt: & q̃ clã Domino esse uolui, hominib. quoq; ipsis patefiat. Duas præterea priuatæ cõfeßionis formas scriptura ꝓbat. unam quæ nostra causa fiat. quo pertinet illud Iacobi, ut alter alteri peccata cõfiteamur. Sentit enim ut nostras infirmitates, alter alteri cõmunicãtes, cõsilio & cõsolatione mutuo nos iuuemus. Alterã, quæ in proximi gratiam facienda sit, ad ipsum placandum & nobis recon-*

reconciliandum, si qua in re nostro uitio læsus fuerit. De qua Christus apud Matthæum: Si offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, & abi: pr úsque recõciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Sic enim sarcienda est charitas, quæ nostra culpa dissoluta fuerit: culpam, quam admisimus, agnoscendo & deprecando. Aliam confitendi uel rationem, uel formam, scriptura prorsus ignorat. Quid illi? statuunt, ut omnes utriusque sexus, statim atq; ad discretionis annos peruenerint, semel ad minimum quotannis confiteãtur omnia sua peccata, proprio sacerdoti: nec peccatũ dimitti, nisi confitendi uotum firmiter conceptum fuerit. Quod uotum nisi oblata facultate persolutum fuerit, iam nullus patet paradisi ingressus. Sacerdotem uero potestatẽ habere clauium, quibus peccatorem soluat & liget. quia non sit irritum Christi uerbum: Quoscunq; ligaueris, &c. De hac uero potestate pugnaciter inter se belligerantur. Alij dicũt unicam esse clauẽ in essẽtia, scilicet potestatẽ ligãdi et soluẽdi scientiã, ad bonũ qdem usum requiri, sed tantũ instar accessorij esse, nõ essẽtialiter cohærere. Alij, qa uidebant hãc nimiũ effrenatã licentiam, duas claues recensue-

Matth. 5.

C. omnis utriusq; sexus. de summa trinit. et fid. cath. in antiq.
lib. 4. sent. dist. 17. c. 2
lib. 4. sent. dist. 18. c. 2

censuerũt: discretionem, & potestatem. Alij rursum *cum tali moderatione cohiberi sacerdotum improbitatem uiderent, alias claues excuderunt: autoritatem discernendi, qua in definiendo uterentur: & potestatem, quam exequutione suæ sententiæ exercerent. scientiam accedere uelut consiliarium.* Istud autem *ligare & soluere, non audent interpretari simpliciter, peccata remittere & delere. qa* Dominũ *clamantẽ audiunt apud* Prophetã, Ego *sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas* Israël: Ego, *& non alius præter me. Sed dicunt, sacerdotis esse pronunciare, qui ligati sint aut soluti: & declarare, quorum remissa aut retenta sint peccata.* Declarare *autem, uel per confessionem, cum absoluit, & peccata retinet: uel per sententiã, cum excommunicat & recipit ad sacramentorum cõmunionem.* Demũ, *cum intelligunt nondũ se hoc nodo explicari, quin semper sibi obijci possit, indignos sæpe ligari & solui à suis sacerdotibus, qui propterea non ligentur aut soluantur in cœlo: quod ultimum refugiũ est, respondent, collationem clauium cum limitatione accipiendã esse: quòd* Christus *promiserit, apud tribunal suum approbatum iri sacerdotis sententiam, quæ iuste prolata fuerit, secundum quod merita ligati aut soluti postulabant.* Porrò, *has*

Postrema opinio fuit Hugonis.

Iesaiæ. 43

rò, has claues omnibus ſacerdotibus à Chriſto datas eſſe, quæ illis ab epiſcopis in promotione conferuntur: ſed liberum uſum penes eos duntaxat eſſe, qui eccleſiaſticis muneribus funguntur. Apud excommunicatos & ſuſpenſos, manere quidem ipſas claues, ſed rubiginoſas ac ligatas. Et qui hæc dicunt, modeſti & ſobrij iure uocari poſſint, præ alijs, qui ſub noua incude nouas claues fabricati ſunt, quibus theſaurum eccleſiæ obſerari tradunt. Theſaurum eccleſiæ, merita Chriſti, ſanctorum Apoſtolorum, Petri, Pauli, martyrum, & cætera nuncupant. Huius horrei radicalem cuſtodiam Romano epiſcopo traditam fingunt, penes quem ſit radicalis tantorum bonorum diſpenſatio: ut & ipſe per ſe elargiri poſſit, & alijs elargiendi iuriſdictionem delegare. Hinc nunc plenariæ indulgentiæ à Papa, nunc certorum annorũ: à Cardinalibus centum dierum, ab Epiſcopis quadraginta. Ad ſingula paucis reſpondebo. Taceo autem ad præſens, quo iure, quáue iniuria, ſuis legibus fidelium animas obſtringant: quando id ſuo loco diſpicietur. Quòd autem legem imponũt de omnium peccatorum enumeratione, quòd peccatum dimitti negant, niſi ſub conditione, ſi uotum confitendi firmiter conceptum fuerit: quòd nul-

lum supereſſe ingreſſum paradiſi garriunt, ſi facultas confitendi neglecta fuerit: iſtud uero nullo modo ferendum eſt. Omnia ne peccata enumeranda ſunt? At David, *qui ſecum probe, ut arbitror, meditatus erat peccatorum confeſsionem, tamen exclamabat:* Errores quis intelliget? *ab occultis meis munda me* Domine. *& alibi:* Iniquitates *meæ tranſierunt ſupra caput meum: &, ſicut onus graue, aggrauatæ ſunt ultra uires meas.* Nimirum *intelligebat, quanta eſſet peccatorum noſtrorum abyſſus, quàm multæ ſcelerum facies, quot capita ferret, & quàm longam caudam traheret hæc hydra.* Non *ergo ad recenſendum catalogum ſe conferebat, ſed è profundo malorum clamabat ad* Dominum: Obrutus *ſum, ſepultus ſum, ſuffocatus ſum, inferorum portæ circundederunt me: immerſum alto puteo, deficientem, & moribundum, manus tua extrahat.* Quis *ſuorum peccatorum nunc ſupputationem cogitet, ubi* Dauidem *uidet ſuorum numerũ inire non poſſe?* Hac *carnificina pluſquam crudeliter diuexatæ ſunt eorum conſcientiæ, qui aliquo* Dei *ſenſu afficiebãtur.* Principio *ſeſe uocabant ad calculum: peccata in brachia, in ramos, in ramuſcolos, in frondes, iuxta iſtorum formulas, diſſecabant.* Tum *appendebant qualitates,*

Pſal. 19.38

quanti-

quantitates, circunstantias. atq; aliquantulum quidem res procedebat. Vbi uero longius progreßi fuerant, cœlum undiq; & undiq; pontus: nullus portus, nulla statio. Quo plura transiuerant, maior semper cōgeries oculis ingerebatur. imò uero, uelut altæ moles assurgebant: nec spes ulla, uel saltem post longas ambages, euadendi apparebat. Hærebant itaq; inter sacrum & saxum, nec alius tandem exitus reperiebatur, quàm desperatio. Ibi sæui isti carnifices, ut uulnera sanarent quæ fecerāt, fomenta quædam adhibuerunt, ut faceret quisq; quod in se esset. Sed nouæ rursum curæ obstrepebant: imò, noui cruciatus excoriabant miseras animas. non satis temporis impendi, non iusta opera incubui: multa negligentia præterij: & obliuio, quæ ex incuria prouenit, non est excusabilis. Suggerebantur adhuc alia pharmaca, quæ eiusmodi dolores demulcerent: Age & negligentiæ tuæ pœnitentiam. modo supina non sit, condonabitur. Verum omnia ista cicatricem obducere non possunt. nec tā mali sunt lenimenta, quàm uenena melle oblita, ne sua acerbitate primū gustum offendant: sed in intima penetrent, antequam sentiantur. Vrget ergo semper terribilis illa uox, & auribus insonat: Confitere omnia peccata tua. Nec po-

test horror iste pacari, nisi certo solatio. Quòd autem bona pars orbis talibus blandimẽtis, quibus tam exitiale uenenum temperabatur, acquieuit: non id factum est, quòd Deo *satisfactum crederet, aut sibi etiam planè satisfaceret: sed ut, quasi in medio mari fixa ancora, paulum interquiesceret à nauigatione. uel, quasi fessus & fathiscens uiator, in uia decumberet.* In *facienda eius rei fide non laboro.* Sibi *enim quisq; apud se testis esse potest.* Dicam *in summa, qualis lex illa fuerit.* Primum, *simpliciter est impossibilis. itaq;, non nisi perdere, damnare, confundere, in ruinam & desperationem coniicere potest.* Deinde, *peccatores à uero peccatorum suorum sensu abductos, hypocritas facit:* Dei*q;, ac sui ipsorum ignorantes.* Siquidem *dum in peccatorum enumeratione toti occupãtur, interim obliuiscuntur latentem illam uitiorum lernam, occultas suas iniquitates, & interiores sordes: quarum potißimũ notitia suam miseriam reputare debuerant.* At *certißima erat confeßionis regula, tantam mali nostri abyssum agnoscere & fateri, quæ sensum quoq; nostrum superet.* Hac *regula uidemus cõpositam publicani confeßionem:* Domine, *propitius esto mihi peccatori. quasi diceret, quantus quantus sum, totus sum peccator:*

Luc. 18

nec

nec ipsam peccatorum meorum magnitudinem, aut mente, aut lingua assequi possum. abyssus tuæ misericordiæ, hanc peccati mei abyssum absorbeat. Quid? inquies, ergóne confitenda non sunt singula delicta: ergo nulla Deo accepta cõfeßio, nisi duobus istis uerbis conclusa? Peccator sum. Imò uero danda potius opera, ut (quantum in nobis est) totum cor effundamus coram Domino. nec modo nos peccatores uno uerbo fateamur: sed (ut tales nos uere et ex animo agnoscamus) quanta sit, & quàm uaria peccatorum labes, tota cogitatione recognoscamus. non modo nos immundos: sed qualis sit, & quanta, quamq; in multis partibus immundicies. non modo debitores: sed quantis debitis grauati, & quot nominibus obstricti. nõ modo uulneratos: sed quàm multis & letalibus plagis saucij. Hac tamen recognitione cum se totum peccator coram Domino effuderit, serio ac syncere cogitet, plura adhuc restare, ac profundiores esse malorum suorum recessus, quàm quos penitus excutere poßit. Atq; adeò exclamet cũ Dauide: Errores quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Iam uero, quod asseuerant non dimitti peccata, nisi uoto confitendi firmiter concepto: & clausam esse paradisi portam ei, qui facul-

tatem confitendi ſibi oblatam neglexerit. Abſit, ut iſtud eis concedamus. Non enim alia nunc eſt peccatorum remiſſio, quàm ſemper fuit. Quotquot remiſſionem peccatorum à Chriſto obtinuiſſe leguntur, non leguntur in aurem ſacrificuli cuiuſpiam confeſſi. nec ſanè confiteri poterant, ubi nec ſacrificuli confeſſionarij erant, nec ipſa etiam confeſſio. Et multis poſtea ſæculis inaudita fuit hæc confeſſio, quibus ſine hac conditione remittebantur peccata. Sed ne quaſi de re dubia longius diſceptemus, Verbum Dei apertum eſt, quod æternum manet: Quotieſcunq; ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Huic uerbo qui aliquid audet adijcere, non peccata ligat, ſed Domini miſericordiam. Ezech. 18 *Nihil itaq; mirum, ſi auricularem iſtam confeſſionem, rem adeò peſtilentem, totiq; nominibus eccleſiæ noxiam, damnamus, ac ſublatam è medio cupimus. quòd ſi per ſe res eſſet indifferens, quando tamen nulli uſui eſt, nec fructui, tot autem impietatibus, ſacrilegijs, erroribus, cauſam dedit: quis non protinus abolendam cenſeat? Recenſent quidem aliquot uſus, quos ut ualde fructuoſos uenditant: ſed illos, aut ementitos, aut nullius prorſus momenti. Vnum tamen ſingulari prærogatiua*

rogatiua commendant. Erubescentiam confitentis, grauem esse pœnam: qua et peccator fit in posterum cautior, & Dei uindictam anteuertit seipsum puniens. Quasi non satis magna uerecundia hominẽ confundamus, dum ad summũ illud tribunal cœleste, ad Dei cognitionẽ uocamus. Egregiè uero profectũ est, si unius hominis pudore peccare desinimus: Deũ nõ erubescimus habere malæ nostæ cõscientiæ testem. quanquam id quoq; ipsum falsißimũ est. Nulla enim re fieri maiorem peccãdi confidentiã aut licentiam, paßim uidere est, quàm dum cõfeßione sacerdoti facta, homines existimant se posse tergere os, & dicere, nõ feci. Nec toto solũ anno fiunt ad peccandũ audaciores, sed in reliquũ anni tempus de cõfeßione securi, nunquã ad Deum suspirant, nunq̃ ad se redeũt. sed peccata peccatis accumulant: donec omnia, ut opinantur, simul euomant. Vbi autem euomuerunt, sarcina sua exonerati sibi uidentur: iudicium à Deo transtulisse, quod sacerdoti detulerunt: Deo obliuionem induxisse, ubi consciũ sacerdotem fecerũt. Porrò quis confeßionis diem lætus instare uidet? Quis ad confitendum alacri animo pergit? ac non potius, quasi obtorto collo in carcerẽ trahatur, inuitus ac reluctanti similis uenit? nisi forte ipsi sa-

lib.4.sent. dist.17.c.4

 crificuli

crificuli. qui mutuis facinorum suorum narrationibus, quasi iocosis fabulis, se delicate oblectant. Non multas chartas inficiam referendis prodigiosis abominationibus, quibus scatet auricularis confessio. Tantum dico: si non inconsulte fecit sanctus ille uir, qui ob unum scortationis rumorem, confessionem ex ecclesia sua, uel potius è suorum memoria sustulit: infinitis hodie stupris, adulterijs, incestibus, lenocinijs, quid factu opus sit, admonemur.

Nunc uidendum de potestate clauium, in qua proram (ut aiunt) & puppim Confessionarij, sui regni locant. Ergo sine causa, inquiunt, datæ sunt claues? Ergo sine causa dictum est: Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis? frustramus ergo uerbum Christi? Respondeo: grauem fuisse causam, cur darentur claues. Duo autem sunt loci, quibus testatur Dominus, ligatum & solutum iri in cœlo, quod sui in terra ligauerint & soluerint: paulò diuerso sensu. quos insulse porci isti, & inscite (ut solent omnia) confundunt. Alter est apud Ioannem: ubi Christus missurus discipulos suos ad prædicandum, insufflat in eos, ac dicit: Accipite spiritum sanctum. quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Ioan. 20

ta ſunt. Claues regni cœlorũ, quæ Petro antea promiſſæ, nunc illi unà cum cæteris Apoſtolis exhibentur. nec illi quicquam promiſſum erat, quod non hic ex æquo cum omnibus accipiat. Illi dictum erat, dabo tibi claues regni cœlorum: his dicitur, ut Euangelium prædicent. quod ipſum eſt cœleſtis regni ianuas aperire ijs, qui per Chriſtum acceſſum ad patrem quæſierint: claudere uero & obſerare ijs, qui ab hac uia diuerterint. Illi dictum erat, Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis: quodcunq; ſolueris, erit ſolutum. Nunc Apoſtolis omnibus, inter quos & ipſe eſt, dicitur: Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt: quorum retinueritis, retenta erunt. Ligare itaq;, peccata retinere eſt: ſoluere, remittere. Et ſanè peccatorum remiſsione, uere ſoluuntur è duriſsimis compedibus conſcientiæ: ut rurſum retentione, arctiſsimis uinculis ligantur & conſtringuntur. Afferam interpretationem, non argutam, non coactam, non detortam: ſed ſimplicem, germanam, fluentem, obuiam. Hoc de remittendis & retinendis peccatis mandatum, & illa de ligando & ſoluendo Petro facta promiſsio, non aliò ſunt referenda, quàm ad uerbi miniſterium: quod dum Apoſtolis ſuis committebat Dominus, ſimul

Matth. 16

& hoc ligandi ſoluendiq́; munere ipſos instruebat: Quæ enim eſt ſumma Euangelij? niſi quòd omnes ſerui peccati & mortis, ſoluimur ac liberamur per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu? qui uero Chriſtum liberatorem ac redemptorem non agnoſcunt ac ſuſcipiunt, eos æternis uinculis damnatos addictosq́; eſſe. Hanc legationẽ *cum Apoſtolis ſuis in omnes nationes perferendam traderet* Dominus, *ut ſuam eſſe, ut à ſe profectam, ut à ſe mandatam approbaret, hoc præclaro teſtimonio eam honorauit: idq́; in ſingularem conſolationẽ, tum* Apoſtolorum *ipſorum, tum auditorum etiam, ad quos peruentura eſſet hæc legatio.* Referebat, *ut* Apoſtoli *cõſtantem ac ſolidam ſuæ prædicationis certitudinem haberẽt: quam non modo infinitis laboribus, curis, moleſtijs, periculis, obituri erãt: ſed ſuo demum ſanguine obſignaturi.* Ipſam, *inquam, nõ uanam eſſe, nec inanem: ſed potentiæ ac uirtutis plenã.* Referebat, *ut in tanta anxietate, & rerum difficultate, tantisq́; diſcriminibus,* Dei *ſe negocium agere perſuaſi eſſent: ut toto mundo aduerſante & repugnante,* Deum *pro ſe ſtare cognoſcerent: ut* Chriſtum *doctrinæ ſuæ autotorem, in terra aſpectu præſentẽ nõ habentes, ipſum eſſe in cœlo intelligerẽt, ad firmandã eius ueritatem.*

Oportebat

Oportebat rursum & auditoribus certissime testificatum esse, illam Euangelij doctrinam non Apostolorum esse sermonẽ, sed Dei ipsius. Non uocẽ in terra natã, sed è cœlo delapsam. Non enim in hominis potestate hæc esse possunt, peccatorũ remissio, promissio uitæ æternæ, salutis nuncius. Testificatus est ergo Christus, nihil in Euangelij prædicatione Apostolorũ esse, præter ministeriũ. se esse, qui per eorum ora, uelut per organa, loqueretur omnia & promitteret. peccatorũ remissionẽ, quã ipsi annunciarent, uerã esse Dei promissionẽ: damnationẽ, quã denũciarẽt, certũ esse Dei iudiciũ. Hæc aũt testificatio omnibus seculis data est, firmaq; manet: quæ certiores oẽs securosq; reddat. Euangelij uerbũ, à quocunq; tandẽ homine prædicatur, ipsissimam esse Dei sententiam, apud summũ Dei tribunal promulgatã, in libro uitæ scriptã, in cœlo ratam, fixam, & firmam. Habemus, potestatem clauium esse simpliciter Euangelij prædicationem: nec tam potestatem esse, quàm ministerium, si ad homines respicimus. Non enim hominibus hanc potestatem proprie Christus dedit, sed uerbo suo, cuius homines ministros fecit. Alter locus, quem in aliam partem accipiendũ diximus, apud Matthæum scriptus est. ubi ait Christus: Si frater

aliquis

aliquis ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata et in cœlis: quæcunq; solueritis, erunt soluta. Non *autem sic diuersos faci-*
Matth. 18 *mus, ut non multam habeant inter se affinitatem & similitudinem.* Hoc *primum ubiq; simile, quod utraq; est generalis sententia: eadem semper ligandi soluendiq; est potestas. nempe, per uerbum* Dei. *Idem soluendi & ligandi mandatum, eadem promißio.* Eò *autem differunt, quòd prior locus peculiariter de prædicatione est, qua uerbi ministri funguntur: hic ad disciplinam excõmunicationis pertinet, quæ ecclesiæ permissa est. Ligat autem ecclesia, quem excommunicat. non quòd in perpetuã ruinam ac desperationem conijciat: sed quia eius uitam ac mores damnat, &, nisi resipuerit, iam eum suæ damnationis admonet.* Soluit, *quem in cõmunionẽ recipit: quia uelut participem eum facit unitatis, quam habet in* Christo Iesu. Ne *quis ergo contumaciter ecclesiæ iudicium contemnat, aut parui æstimet se fideliũ suffragijs damnatum, testatur* Dominus, *tale fidelium iudicium non aliud esse, quàm sententiæ suæ promulgationem: ratumq; haberi in cœlis, quod illi in terra egerint.* Ha*bent enim uerbum* Dei, *quo peruersos damnent: habent*

bent uerbum, quo resipiscentes in gratiam recipiant. errare autem non possunt, nec á Dei *iudicio dissentire: quia non nisi ex lége* Dei *iudicant: quæ non in certa est aut terrena opinio: sed sancta* Dei *uoluntas, & cœleste oraculum.* Ecclesiam *autem uocat, non pauculos tōsos, rasos, linigeros, sed cœtum fidelis populi, in nomine suo coactum.* Nec *audiendi sunt illu sores qui sic argutātur:* Quomodo *ad ecclesiam quæ rimonia aliqua deferri posset? quæ per totum orbem sparsa est & dißipata.* Satis *ostendit* Christus, *se de omni* Christiana *congregatione loqui: ut in singulis locis aut prouincijs constitui ecclesiæ possunt:* Vbicunq;, *inquit, duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Ex *illis duobus locis, quos, ut breuiter, ita & familiariter & uere enarrasse mihi uideor, furiosi isti nullo discrimine, pro ut sua uertigine feruntur, nunc confeßionē, nunc ex communicationem, nunc iurisdictionem, nunc ius condendi leges, nunc indulgentias conātur statuere.* Sed *quid si uno gladio omnib. eiusmodi postulatis an sam præcidam? sacrificulos nō esse apostolorū uicarios, nec successores.* Verum *istud quoq; alibi tractabitur.* Nunc *unde se munire maxime uolunt, arietem erigūt, quo molitiones omnes suæ deijciantur.* Christus

stus enim non antè Apostolis *ligandi & soluendi potestatem fecit, quàm eos spiritu sancto donauit.* Nego *igitur ullis competere clauiū potestatem, qui non acceperint spiritum sanctum.* Nego *quenquam clauibus uti posse, nisi præeunte docenteq; spiritu sancto, & dictāte quid agēdū sit. Spiritūsanctū habere se illi nugātur, sed re ipsa negāt. nisi forte spiritū sanctū, rē esse uanā & nihili fingunt, ut certe fingunt: sed illis non credetur.* Atq; *hac quidem machina in uniuersum subuertuntur: ut, cuiuscunq; ostij clauem se habere iactent, semper interrogandi sint, habeant ne spiritum sanctum, qui clauium est arbiter ac moderator? si habere se respōdeant: rursum interpellandi sunt, an errare poßit spiritus sanctus?* Istud *diserte profari non audebunt, tametsi oblique sua doctrina insinuant.* Inferendum *ergo erit: nullos sacrificulos habere clauium potestatem, qui paßim sine delectu soluunt, quæ ligari* Dominus *uoluerat: ligant, quæ solui iusserat.* Quando *clarißimis experimentis euinci se uident, quòd dignos & indignos promiscue soluant & ligent.* Potestatem *usurpāt sine scientia, & quāquam negare non audent, ad bonum usum requiri scientiam: potestatem tamen ipsam malis dispensatoribus traditam, scribunt.* Atqui *hæc pote-*

stas

stas est: Quodcunque ligaueris, aut solueris in terra, erit in cœlis ligatum & solutum. Aut promissum Christi mentiri oportet: aut bene ligant & soluunt, qui sunt hac potestate præditi. Nec est quod tergiuersentur, Christi promissum limitari secũdum eius merita, qui ligatur aut soluitur. Et nos etiã fatemur, nec solui nec ligari posse, nisi dignos, qui soluantur aut ligentur. Sed habent Euangelij nuncij, & ecclesia, uerbum: quo dignitatem hanc metiantur. In hoc uerbo, Euangelij nuncij possunt omnibus remissionem peccatorũ in Christo polliceri, per fidem. Possunt damnationẽ edicere in omnes & super omnes, qui Christum non amplectũtur. In hoc uerbo ecclesia pronunciat, scortatores, adulteros, fures, homicidas, auaros, iniquos, partem in regno Dei non habere: talesq́; certissimis uinculis ligat. Eodem uerbo soluit, quos resipiscentes cõsolatur. Sed quæ erit isthæc potestas, nescire quid ligãdũ sit, aut soluẽdũ: nec ligare posse aut soluere, nisi scias? Cur ergo dicunt, se absoluere autoritate sibi data, cum incerta sit absolutio? Quò nobis imaginaria hæc potestas, si nullus sit usus? Vno autem loco habeo, aut nullum esse, aut tam incertum esse, ut pro nullo habendus sit. Cum enim fateantur, bonã esse sacerdotum par

tem

tem, qui non rite utantur clauibus: poteſtatem uero ſine legitimo uſu inefficacem eſſe: quis mihi fidem faciet, eum à quo ſoluor, bonum eſſe clauium diſpenſatorē? quod ſi malus eſt, quid aliud habet, quàm friuolam iſtam ſolutionem? Quid in te ligandũ ſit, aut ſoluendum, neſcio: quando iuſto clauium uſu careo. ſed ſi mereris, te abſoluo. At tantundem poſſet, non dico laicus (quando id æquis auribus non ferrent:) ſed Turca, aut diabolus. Id enim, eſt dicere, uerbum Dei non habeo, certam ſoluendi regulam: ſed autoritas mihi data eſt te abſoluendi, ſi ita ſunt tua merita. Videmus igitur, quorſum ſpectarint, cũ definierunt, claues eſſe autoritatem diſcernēdi, & exequutionis poteſtatem. ſcientiam accedere conſiliarium, & inſtar conſiliarij ad bonum uſum eſſe: nempe libidinoſe & licenter ſine Deo, & uerbo eius, uoluerunt regnare. Porro ꝙ ſuas claues tot ſeris aptant & oſtijs, nunc ut iuriſditioni ſuæ ſeruiant, nunc confeßionibus, nunc conſtitutionibus, nunc deuotionibus, paucis dicam. In illo mandato, quod de remittendis & retinendis peccatis Chriſtus apud Ioannem dat ſuis diſcipulis, non legislatores, non confeßionum ſecretarios, non officiales, non datarios, non bullarios facit: ſed, quos uerbi ſui miniſtros fecerat, inſigni teſtimonio

monio ornat. Apud Matthæum, cum ligandi & soluendi arbitrium ecclesiæ suæ defert, non iubet, ut autoritate reuerendi alicuius mitrati aut bicornis, eliminentur & exterminentur, pulsúq; cymbalorũ, & candela extincta, diris omnibus deuoueãtur pauperes, qui soluendo non sunt: sed, ut disciplina excõmunicationis, improborũ nequitia corrigatur. idq́;, uerbi sui autoritate, ecclesiæ ministerio. Iam uero insani illi, qui claues ecclesiæ, dispensationẽ meritorũ Christi & martyrum esse fingunt, quam Papa suis bullis et indulgẽtijs partiatur, elleboro magis q̃ argumentis digni sunt. Nec in refellendis indulgentijs magnopere laborare opus est, quæ multis arietibus percussæ, nunc suapte sponte consenescere, & ad inclinationẽ spectare incipiũt. Et sanè quòd tam diu saluæ constiterint, ac in tam impotenti & furiosa lasciuia tam diuturã impunitatẽ retinuerint: id uero documento esse potest, quàm alta errorũ nocte immersi fuerint aliquot seculis homines. Videbant se à Papa & suis bulligerulis, palàm, nec dissimulãter, ludibrio haberi: quæstuosas nũdinationes de animarũ suarum salute exerceri, pauculis nũmis salutis precium taxari, nihil gratuitũ prostare. hac specie emungi se oblationibus, quæ in scorta, in lenones, in comessationes

turpiter absumerentur. summos indulgentiarum buccinatores, summos esse contemptores: monstrũ istud maiori indies licẽtia grassari, ac luxuriari: nec finem ullum fieri. Plumbum semper nouum adferri, nouos nũmos elici. Excipiebant tamen summa ueneratione indulgentias, adorabant, redimebãt. Et qui cernebãt inter alios acutius, existimabant tamen pias esse fraudes, quibus cum fructu aliquo falli possent. Tandem, ubi orbis aliquantulũ sibi sapere permisit, frigẽt indulgentiæ, & paulatim etiã congelascunt, donec plane euanescant. Verum quoniã plurimi, qui sordes, imposturas, furta, rapacitates (quibus luserunt hactenus, & nos ludificati sunt indulgentiarij) uident, fontem ipsum impietatis non conspiciunt: operæprecium est indicare, non solũ quales sint indulgentiæ, sed quid omnino sint, omni macula abstersæ. Sũt autem (ut genuinè describam) sanguinis Christi prophanatio, sathanæq; ludibriũ, quo Christianũ populũ, à Dei gratia, à uita quæ est in Christo, abducat, & à uera salutis uia auertat. Quî enim poterat fœdius prophanari Christi sanguis, quàm dũ negatur sufficere ad peccatorum remißionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi uelut arescentis & exhausti defectus aliunde suppleatur & sufficiatur?

ciatur? Christo lex & prophetiæ omnes (inquit Pe Acto.10
trus) testimoniũ perhibent: quòd per ipsum accipien
da sit remissio peccatorũ. Indulgentiæ remissionem
peccatorũ per Petrum, Paulum, et martyres largiun
tur. Sanguis Christi emundat nos à peccato, inquit 1. Ioan.1
Ioannes. Indulgentiæ, sanguinem martyrum, faciunt
peccati ablutionẽ. Christus, inquit Paulus, qui pec- 2. Cor.5
catum non nouerat, factus est pro nobis peccatum:
(id est, peccati satisfactio) ut iustitia Dei efficere-
mur in illo. Indulgentiæ peccatorum satisfactionem
in sanguine martyrum reponunt. Clamabat Paulus, 1. Cor. 1
& Corinthijs testificabatur, solum Christum pro
ipsis crucifixum & mortuum esse. Indulgentiæ pro-
nunciant, Paulum & alios pro nobis mortuos. Alibi Acto. 20
dicit, Christũ acquisiuisse ecclesiam suo sanguine.
Indulgentiæ aliud preciũ acquisitionis in martyrum
sanguine statuunt. Vna oblatione Christus consum Hebr. 10
mauit in perpetuum sanctificatos, ait Apostolus. In-
dulgentiæ reclamant, à martyribus perfici sanctifica
tionem, quæ alioqui non sufficiebat. Ioannes dicit, Apoc. 22
sanctos omnes lauisse stolas suas in sanguine agni.
Indulgentiæ docẽt, lauare stolas in sanguine sancto-
rum. Equidem cum tota eorum doctrina ex horren-
dis sacrilegijs & blasphemijs consuta sit, hæc tamen

præ alijs prodigiosa est blasphemia. Agnoscant, an non hæc sint sua placita. Martyres plus morte sua Deo præstitisse, ac meritos esse, q̃ sibi opus esset: tantamq; illis meritorum largitatem superfuisse, quæ in alios redundaret. ne igitur superuacuum sit tantum bonum, cõmisceri eorum sanguinem sanguini Christi: & ex utroq; thesaurum ecclesiæ confici, ad remißionem & satisfactionem peccatorũ. atq; ita accipiendũ, quod ait Paulus: Suppleo in corpore meo, ea quæ desunt paßionũ Christi, pro corpore eius, quod est ecclesia. Quid hoc est, nisi Christo nomen relinquere: cæterum uulgarem sanctulum facere, qui in turba uix dignoscatur? Vnum, unum illum prædicari decebat, unum proponi, unum nominari, unum respici, cum de obtinenda peccatorum remißione, expiatione, satisfactione agitur. Sed audiamus eorũ enthymemata. Ne sine fructu effusus sit sanguis martyrum, in commune ecclesiæ bonum conferatur. Itane? An uerò nullus erat fructus, glorificare Deum per mortem? ueritati eius suo sanguine subscribere? testificari præsentis uitæ contemptu, meliorem se uitam quærere? fidem ecclesiæ sua constantia confirmare, hostium autem peruicaciam frangere? Sed hoc est scilicet: nullum fructum agnoscunt, si solus Christus est

Coloss. 1

stus est propitiator, si solus mortuus est propter pec cata nostra, si solus est oblatus pro nostra redẽptione. Quàm uero malitiose Pauli locum detorquent? ubi dicit: se supplere in corpore suo, ea quæ deerant paßionum Christi. Non enim defectum illum, supplementumue illud, ad redemptionis, expiationis, satisfactionis opus refert: sed ad eas adflictiones, quibus Christi membra, nempe fideles omnes exerceri oportet: quamdiu in hac carne agẽt. Dicit ergo. hoc restare paßionum Christi: quòd in seipso semel passus, quotidie in membris suis patitur. Eo nos honore dignatur Christus, ut nostras adflictiones, suas reputet ac dicat. Quòd autẽ addidit Paulus, pro ecclesia: non intellexit pro redemptione, pro reconciliatione, pro satisfactione ecclesiæ: sed pro ædificatione & profectu. quemadmodum alibi ait, se sustinere omnia propter electos, ut salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu. Absit autem, ut deesse aliquid putauerit Paulus paßionibus Christi, quãtum ad omnem iustitiæ, salutis, ac uitæ plenitudinem attinet: aut addere aliquid uoluerit, qui adeo luculenter & magnifice concionatur, exuberantiam gratiæ per Christũ tanta largitate effusam, ut omnem uim peccati longe supergressa fuerit. Hac sola sancti oẽs

2. Tim. 2

Rom. 5

salui facti sunt: nō uitæ, aut mortis suæ merito, quem
Acto. 15 *admodū Petrus diserte testatur. ut in Deū, & Christum eius cōtumeliosus fuerit, qui ullius sancti dignitatē, alibi, q̃ in sola Dei misericordia reposuerit. Sed quid hic diutius, perinde atq; in re adhuc obscura, moror? cū talia prodigia traducere, uincere sit? Porrò, ut tales abominationes prætereamus: quis docuit Papam, plumbo & membrana gratiā Iesu Christi includere? quam Dominus uerbo Euangelij dispensari uoluit. Sane, aut mendax Dei Euangelium esse oportet, aut mendaces indulgentias. Nā Euangelio, Christus cum omni affluentia bonorum cœlestium, cum omnibus suis meritis, omni sua iustitia, sapientia, gratia, nulla exceptione, nobis offertur. Indulgentiæ demensum aliquod gratiæ Christi, ex armario Papæ reclusum, plumbo, membranæ, loco etiam, affigūt: à uerbo Dei auellunt.* Tertium locum satisfactio

b.4. sent. *ni in pœnitentia aßignant. de qua quicquid blate-*
t.16. c.4 *rant, uno uerbo subuerti potest. Dicunt non suffi-*
ion suffi- *cere pœnitenti, à præteritis malis abstinere, & mo-*
.de pœni *res in melius commutare: nisi de ijs quæ facta sunt,*
ten. dist. 1 *satisfaciat Domino. esse autem multa præsidia, qui-*
medicina *bus peccata redimamus: lachrymas, ieiunia, obla-*
dem dist. *tiones, eleemosynas, cæteraq; charitatis officia. ijs*

Dominum

Dominum propiciandum, ijs debita iustitiæ Dei persoluenda, ijs cōpensanda delicta, ijs ueniam emerendam. & quanquam Dominus largitate misericordiæ, culpam remiserit: pœnam tamen retinere, disciplina iustitiæ. hanc esse pœnam, quæ satisfactionibus redimenda sit. Talibus mendacijs oppono, gratuitam peccatorum remissionem: qua nihil in scriptura clarius prædicatur. Primum, quid est remissio, nisi meræ liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui antapocha testatur sibi numeratam pecuniam: sed qui nulla solutione, ultro, sua beneficentia, nomen expungit. Cur deinde gratis additur, nisi ad tollendam omnem satisfactionis opinionem? Qua igitur confidentia suas satisfactiones adhuc erigunt, quæ tam ualido fulmine prosternuntur? Præterea, cum scriptura uniuersa testimonium Christo deferat, quòd per nomen eius sit accipienda peccatorū remissio: nōne alia nomina omnia excludit? Quomodo igitur per satisfactionum nomen accipi docent? neq; per satisfactionum nomen accipi negent, sed per Christi nomen, etiam si intercedāt satisfactiones. Nam quòd scriptura ait, per nomen Christi: intelligit nihil nos afferre, nihil nostrum prætendere, sed sola Christi commendatione

c.nullus. eadem dist.
Iesa. 52
Rom. 3
Coloss. 2
Tit. 3
& alibi.
Acto. 10

.Corin.5 niti. quemadmodum Paulus ait, quod Deus erat mundum sibi in filio reconcilians, non imputans propter ipsum hominibus delicta. Vereor ne (qua sunt peruersitate) & peccatorũ remißionem, & reconciliationem fieri semel dicant, cum in gratiã Dei per Christum in baptismo recipimur: post baptismum, resurgendũ esse per satisfactiones: sanguinẽ Christi nihil prodesse, nisi quatenus per claues ecclesiæ dispensa-
1. Ioan. 2 tur. Sed longe aliter Ioannes: Si quis peccauerit, ait, habemus aduocatũ apud patrem, Iesum Christũ: &
od. loco. ipse est propitiatio pro peccatis nostris. item: Scribo uobis filioli, quia remittuntur uobis peccata propter nomen eius. Certe fidelibus loquitur: quibus dum Christũ proponit peccatorũ propitiationẽ, nõ aliam esse satisfactionẽ ostẽdit, qua offensus Deus propitiari placari ue poßit. Nõ dicit, semel uobis per Christum recõciliatus est Deus, nunc uobis alias reconciliandi rationes quærite: sed perpetuũ facit aduocatũ, qui sua intercesßione in patris gratiã nos semper restituat: perpetuam propitiationem, qua peccata expiantur. Est enim illud perpetuo uerum, quod Ioannes di-
Ioan. 1 cebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Tollit, inq̃, ipse: nõ alius. hoc est, quãdo ipse solus est agnus Dei, solus quoq; est oblatio pro peccatis, solus expiatio,

expiatio, solus satisfactio. Duo hic perpendere conuenit: ut integer & illibatus suus honor Christo seruetur: ut cõscientiæ de peccati uenia securæ, pacem apud Deum habeant. Iesaias dicit, patrem posuisse in filio nostras omnium iniquitates, ut liuore eius sanaremur. quod alijs uerbis repetens Petrus, ait: Christum pertulisse in corpore suo peccata nostra super lignum. Paulus scribit, damnatũ esse peccatũ in eius carne, cum pro nobis peccatum factus est: hoc est, uim & maledictionem peccati in eius carne interemptam, cum in hostiam datus est, in quam tota peccatorum nostrorum moles, cum sua maledictione & execratione, cum iudicio Dei, & mortis damnatione reijceretur. Et quoties de redemptione per eum facta meminit, uocare solet ἀπολύτρωσιν. id autẽ est, non simpliciter redemptio: sed precium ipsum, et satisfactio redemptionis. qua ratione & Christum ipsum se pro nobis ἀντίλυτρον dedisse, alibi tradit. Nunc peccatorum remißionem in operibus constitue: an hæc quæ dicta sunt, Christo salua manẽt? immane, quantũ hæc differũt? iniquitates nostras positas esse in Christo, ut in ipso expiarẽtur: et nostris operibus expiari. Christũ esse propitiationẽ pro peccatis nostris, & Deum operibus propitiandũ. Quòd

Iesa. 53 · 1. Pet. 2 · Rom. 8 · Rom. 3 · 1. Cor. 1 · Ephes. 1 · Coloss. 1 & alibi. · 1. Tim. 2

si de pacificanda conscientia agitur, quæ istæc erit pacificatio, si audiat peccata redimi satisfactionibus? quãdo tandem illi satisfactionis modus cõstare poterit? ergo semper dubitabit, an Deũ habeat propitiũ: semper æstuabit, semper horrescet. Nam *qui leuibus satisfactiunculis acquiescunt, nimis contemptim iudicium* Dei *æstimant: & parum reputant, quanta sit peccati grauitas, ut alibi diximus. & ut in ipsis esse demus, peccata aliquot, iusta satisfactione redimere: quid tamen faciant, ubi tot peccatis obruuntur, quorum satisfactionibus, nec centum uitæ (uel si totæ in hoc sint) sufficere queant?* Hic *in asylum confugiunt ineptæ distinctionis.* Peccata *quædam uenialia esse, quædam mortalia. pro mortalibus grauem satisfactionem deberi, uenialia facilioribus remedijs purgari: oratione dominica, aquæ benedictæ aspersione, absolutione* Missæ. *sic cum* Deo *ludunt, & ineptiunt.* Cum *tamen aßidue peccatum ueniale & mortale in ore habeant, nondum alterum ab altero discernere potuerunt. nisi quòd impietatem & immunditiem cordis, peccatum ueniale faciunt.* Nos *autem (quod scriptura, iusti & iniusti regula docet) peccati stipendium pronunciamus esse mortem: & animam quæ peccauerit, morte dignam.*

Rom. 6
Ezech. 18

dignam. Cæterum fideliū peccata uenialia esse: non quia non mortem mereantur, sed quia Dei misericordia, nulla est condemnatio ijs, qui sunt in Christo Iesu: quia non imputantur, quia uenia delentur. Rom. 8 Psal. 32
Scio quàm inique doctrinam hanc nostram calumnientur. dicunt enim paradoxum esse stoicorum, de peccatorum æqualitate. Sed suo ipsorum ore, nullo negotio conuincentur. Quæro enim, an non inter ea ipsa peccata, quæ mortalia fatentur, aliud alio minus agnoscant? Non igitur protinus sequitur, paria esse peccata, quæ simul mortalia sint. Cum scriptura definiat stipendium peccati, mortem esse: legis obedientiam, esse uitæ uiam: transgreßionem, mortem: hanc sententiam euadere non possunt. Quem ergo satisfaciendi exitum inuenient, in tanto peccatorum cumulo? Si unius diei est, satisfactio peccati unius: dum illā meditantur, septies peccāt (loquor de iustißimis) si ad septē satisfactiões se accingūt, cumulabunt quadraginta nouē peccata. Iam præcisa est satisfaciēdi fiducia. quid morātur? quomodo adhuc de satisfaciendo cogitare audent? Proue. 24
Conantur quidem se expedire, sed aqua (ut dicitur) illis hæret. fingunt sibi distinctionem pœnæ & culpæ. Culpam remitti fatētur, Dei misericordia. (et si ipsam, lachrymis et precib. mereri nos, doceāt.) Sed culpa remissa,

pœnam restare: quam persolui, Dei iustitia postulat. ad pœnæ igitur remissionem proprie spectare satisfactiones. Verum, cum ista distinctione ex diametro pugnat, quicquid de peccatorũ remissione in scriptura nobis traditur. hoc est testamentũ nouum, quod
Iere. 31 Deus in Christo suo nobiscũ pepigit: quòd iniquitatum nostrarum non recordabitur. Quid his significauerit, discimus ex altero propheta, ubi Dominus:
Ezech. 18 Si iustus, inquit, à iustitia sua deflexerit, omnium iustitiarum eius non recordabor. Si impius ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Quòd se iustitiarum recordaturũ negat, utiq; hoc est, nullam se earum habiturum rationem, ut remuneretur. Ergo & peccatorum non recordari, est,
Psal. 32 ea non postulare ad pœnam. Idipsum alibi dicitur, non imputare, tecta habere. Talibus loquendi formulis non obscure sensum suum nobis explicuerat spiritus sanctus, si dociles aures illi accommodaremus. Certe si punit Deus peccata, imputat: si uindicat, recordatur: si ad iudicium uocat, tecta nõ habet. Audiamus uero & ex alio propheta, quibus legibus pec
Iesa. 1 cata remittat Dominus: Si fuerint, inquit, peccata uestra ut coccinum, quasi nix albescent: & si rubuerint ut uermiculus, erunt quasi lana. Hic mihi obte-

standi

ſtandi ſunt Lectores, nõ ut gloßis meis auſcultent, ſed tantum ut uerbo Dei locum aliquem eſſe ſinant. Quid quæſo nobis præſtitiſſet Chriſtus, ſi adhuc pro peccatis pœna exigeretur? Nam cũ dicimus, eum ptuliſſe omnia peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignũ, nõ aliud ſignificamus, q̃ defunctũ pœna et uindicta, quæ peccatis noſtris debebatur. Idipſum ſignificãtius declarauit Ieſaias, cũ dicit, caſtigationem ſiue correctionem pacis noſtræ fuiſſe ſuper eum. Quid uero eſt correctio pacis noſtræ, niſi pœna peccatis debita, & nobis perſoluẽda, antequam Deo reconciliari poſſemus, niſi uices noſtras ipſe ſubijſſet? En clare uides, Chriſtum peccatorum pœnas ſuſtinuiſſe, ut ſuos ab illis eximeret. Vtinam ſyncere intelligeremus, quod Chriſtus fidelibus ſuis promiſit. Qui credit in me, inquit, in iudicium non uenit: ſed tranſiuit à morte in uitam. Cuius promißionis fiducia, ſecure Paulus aſſerit, nullam eſſe condemnationem ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Non dubito quin me riſuri ſint, qui iudicium & cõdemnationem aliter accipiam, quàm pro pœna æterna. Id uero nihil ad ſatisfactiones, quas pœnis temporarijs perſolui docent. Verum niſi in animum induxiſſent, reſiſtere ſpiritui ſancto: maiorem ineſſe Chriſti & Pauli uerbis

1. Pet. 2.

Ieſa. 53

Ioan. 5.

Rom. 8.

bis energiam sentiret: nempe, fideles à peccati maledi ctione sic per Christum liberatos, ut in conspectu Dei, quasi mundi & puri appareant. Verum quan do & ipsi scriprurae testimonijs sese armant, uideamus qualia sint, quae ipsi obtendunt argumenta.
2. Reg. 12 *David, inquiunt, de adulterio & homicidio à Propheta Nathan obiurgatus, ueniam peccati accipit: & tamen morte filij, quem ex adulterio sustulerat, postea plectitur. Tales poenas, quae post culpae etiam remissionem infligendae essent, satisfactionibus redimere docemur. Hortabatur enim Daniel Na-*
Daniel. 4 *buchadnezer ut eleemosynis peccata redimeret. &*
Pro. 1. 10. *Solomon scribit, charitate operiri multitudinem pec*
Petr. 4. *catorum. Et apud Lucam, Dominus de muliere pec*
Luc. 7 *catrice ait, remissa esse illi peccata multa, quia dilexerit multum. Vt peruerse semper & praepostere facta Dei aestimant? At si obseruassent, quod minime praetereundum erat, duo esse diuini iudicij genera, longe aliud in hac Dauidis correptione uidissent, quàm peccati poenam & ultionem. iudicium unum, docendi causa, uocemus uindictae: alterum castigationis. Iudicio uindictae iram suam in reprobos exercet Dominus, ulciscitur, confundit, dissipat, in nihilum redigit. Id proprie est peccatum puni re &*

re & uindicare. Id'que, pœna proprie aut supplicium dici potest. Iudicio castigationis, nō suppliciū sumit, non irascitur, non uindicat, sed suos erudit, admonet, castigat, uellicat. Id non pœna est, aut uindicta, sed correctio atque admonitio. Alterum iudicis est, alterum patris: iudex, cum facinorosum punit, in ipsum delictum animaduertit, & de ipso facinore pœnam expetit. Pater, cum filium seuerius corrigit, non hoc agit, ut uindicet, aut mulctet eius admissa: sed magis ut doceat, & cautiorē in posterū reddat. breuiter, ubicunque pœna est, ibi maledictio & ira Dei, quam ipse à fidelibus continet. Castigatio, Dei benedictio est, & amoris testimonium. Illā sanctos omnes semper deprecatos fuisse legimus: hāc placido animo suscepisse. Castiga me domine, sed in iudicio, Iere. 10. non in ira tua, ne forte imminuas me. Effunde furorem tuū, &c. quāquam ne reluctor quidē, quin casti 1. Reg. 15 gatio, huiusmodi delictorū punitio dici posſit, sed quo 2. Reg. 12 modo accipienda sit, moneo. Sic cū Saul regno ab- 1. Cor. 11 iecit, puniebat: cū Dauidē paruulo filio orbauit, cor ripiebat. In hāc sententiā accipipiēdū est, quod ait Paulus, Dū iudicamur, à Domino corripimur: ne cū hoc mundo damnemur, hoc est, dum nos filij Dei, manu cœlestis patris affligimur, nō hæc pœna est, qua con

funda-

fundamur: sed castigatio, qua erudiamur. Hac cogitatione fidelem instrui necesse est in afflictionum

1.Petr.4. acerbitate. Tempus est, ut iudicium incipiat à domo Domini, in qua inuocatum est nomen eius. Quid facerent filij Dei, si seueritatem, quam sentiunt, ultionem Dei esse crederent? Qui enim manu Dei percussus, Deum iudicem punientem cogitat, nõ potest nisi iratum & aduersum sibi concipere: ipsum uero Dei flagellum, ut maledictionem & damnationem detestari. deniq; se à Deo diligi nunquam persuadere poterit, qui sic erga se affectum sentiet, ut adhuc punire uelit. Nec refert, sit ne æterna pœna, an temporaria. Tam enim bella, fames, pestilentiæ, morbi, maledictiones Dei sunt, quàm ipsum mortis æternæ iudicium. Perspiciunt omnes (ni fallor) quò spectet illa Domini animaduersio in Dauidem: nempe, ut documentũ esset, grauiter Deo displicere homicidium & adulterium: aduersum quod tantam offensionem declarasset. ut eruditio esset ipsi Dauid, ne postea tale facinus auderet: non autem ut pœna esset, qua compensationem quandam Deo penderet. Sic & de altera correptioue iudicandum est, qua Dominus populum uehementi peste adflixit, ob Dauidis

.Reg.24 inobedientiã, quam in recensendo ipso populo perpetra

petrauerat. Nam peccati quidem noxam Dauidi gratis remisit: sed quia tum ad publicum omnium seculorum exemplum, tum ad Dauidis quoq; humiliationem pertinebat, tale facinus non impunitum manere: ipsum flagello suo asperrime castigauit. Mirum autem est, cur sic in unum Dauidis exemplum oculos coniiciant, tot exemplis non permoueantur: in quibus gratuitam peccatorum remissionem licebat contemplari. Legitur publicanus descendisse è templo iustificatus: pœna nulla sequitur. Petrus delicti ueniam obtinuit. lachrymas eius, inquit Ambrosius, legimus: satisfactionem non legimus. & audit paralyticus: Surge, remittuntur tibi peccata tua. pœna non imponitur. Omnes, quæ in scriptura commemorantur, absolutiones, gratuitæ describuntur. Ex hac exemplorũ frequentia, regula potius peti debuerat, quàm ab unico illo: quod nescio quid singulare continet. Daniel sua exhortatione, qua suadebat Nabuchadnezer, ut peccata sua iustitia redimeret, & iniquitates suas miseratione pauperum: non uoluit significare, iustitiam & misericordiam, esse Dei propitiationem, & pœnarum redemptionem. absit enim ut alia unquam fuerit ἀπολύτρωσις, quàm sanguis Christi. Sed illud redimere, ad homines potius, quàm

Luc. 18. 22

Matth. 9

Daniel. 4

tius, quàm ad Deũ retulit. ac ſi dixiſſet: Exercuiſti, ô rex, iniuſtam & uiolentam dominationẽ, oppreſſiſti humiles, ſpoliaſti pauperes, dure & inique tractaſti populum tuum. pro iniuſtis exactionibus, pro uiolentia & oppreſſione, nunc refer miſericordiam & iuſtitiam. Similiter Solomon, charitate operiri multitudinem peccatorum ait, non apud Deum, ſed inter homines ipſos. Sic enim habet integer uerſus: *Odium excitat contentiones, charitas uero operit cunctas iniquitates.* Quo Solomon, more ſuo, per antitheſim, mala quæ ex odijs naſcantur, cum fructibus charitatis confert. eſtq; ſenſus: Qui inter ſe oderunt, uiciſſim mordent, carpunt, exprobrant, omnia uitio uertunt. qui ſe diligunt, multa inter ſe mutuo diſſimulant, ad multa conniuent, multa uiciſſim condonãt. non quòd alter alterius uitia probet: ſed tolerat, & admonendo medetur potiuſquàm inſectando ulceret. Eodem ſenſu citatum locum hunc à Petro, nihil ambigendum eſt: niſi deprauatæ uafreq; detortæ ſcripturæ inſimulare eum uolumus.

Prouer. 10

1.Pet.4

Luc.7 Quantum attinet ad locum Lucæ: nemo, qui parabolam illic à Domino propoſitam ſano iudicio legerit, nobis ex eo controuerſiam faciet. Phariſæus apud ſe cogitabat, non cognoſci à Domino mulierẽ,

quam

quam tāta facilitate ad ſe admiſiſſet. Sentiebat enim, non fuiſſe admiſſurum, ſi peccatricē, qualis erat, cognouiſſet. Atq; ex eo colligebat, non eſſe prophetā, qui eum in modum falli poſſet. Dominus, *ut peccatricem non eſſe oſtenderet, cui iam remiſſa eſſent peccata, parabolam propoſuit.* Duo *debitores erant uni fœneratori: alter quingenta debebat, alter quinquaginta. utriq; remiſſum eſt debitū. Vter maiorem gratiam habet?* Reſpondet *phariſæus:* Is *utiq;, cui plus donatū eſt. ſubijcit* Dominus: Hinc *agnoſce, remiſſa eſſe huic mulieri peccata, quia dilexit multū. Quibus uerbis (ut uides) eius dilectionem, non facit cauſam remiſsionis peccatorum, ſed probationem. ſunt enim ſumpta à ſimili eius debitoris, cui remiſſa erant quingenta. cui non dixit ideo remiſſa, quia multum dilexiſſet: ſed ideo multū diligere, quia remiſſa ſint.* Atq; *ad eam ſimilitudinem applicari cōuenit in hanc formam.* Putas *mulierem hanc eſſe peccatricem. atqui talem non eſſe, agnoſcere debueras, quando ei remiſſa ſint peccata.* Remiſsionis *autem peccatorum fidem tibi facere debuerat eius dilectio, qua ob beneficium gratiam refert. Eſt autem argumentum à poſteriori, quo aliquid demonſtratur à ſignis ſequentibus. Qua autem ratione peccatorum remiſ-*

ſionem illa obtinuerit, palàm Dominus *teſtatur:* Fides, *inquit, tua te ſaluam fecit.* Fide *igitur remiſſionem aſſequimur: charitate gratias agimus, & Domini beneficentiam teſtamur.* Parum *autem me mouent, quæ in ueterum ſcriptis de ſatisfactione paßim occurrunt.* Video *quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter, omnes ferè, quorum libri extant:) hac in parte lapſos eſſe. ſed non concedã, eos ipſos adeo fuiſſe rudes & imperitos, ut eo ſenſu illa ſcripſerint, quo à nouis iſtis ſatisfactionarijs leguntur.* Vocarunt *enim, ut plurimũ, ſatisfactionem, non compenſationem quæ* Deo *redderetur: ſed publicam teſtificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cum in communionem recipi uellent, eccleſiam reddebant de ſua pœnitentia certiorem.* Indicebantur *enim illis pœnitentibus certa ieiunia, & alia, quibus ſe prioris uitæ uere & ex animo pertæſos eſſe approbarẽt, uel potius priorum memoriam obliterarent. atq; ita dicebantur, non* Deo, *ſed eccleſiæ ſatisfacere.* Ex *antiquo eo ritu ſumpſerunt originem confeßiones, & ſatisfactiones, quæ hodie in uſu ſunt.* Viperei *ſanè partus: quibus factum eſt. ut ne umbra quidem melioris illius formæ ſuperſitr* Scio *ueteres interdũ duriuſcule loqui, nec (ut nupe, dixi)*

dixi) lapsos esse nego. sed quæ pauculis næuis asper sa erant, dum illotis istorũ manibus tractantur, prorsus inquinantur. Et si ueterum autoritate pugnãdum est, quos (Deus bone) ueteres nobis obtrudũt? Bona pars eorũ, quibus Lombardus, eorũ coryphæus centones suos contexuit, ex insulsis quorundam monachorum delirijs, quæ sub Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & Chrysostomi nomine feruntur, decerpta sunt. Vt in præsenti argumẽto, omnia ferè sumit è libro Augustini de pœnitentia. qui à rapsodo aliquo inepte ex bonis pariter ac malis autoribus cõsarcinatus, Augustini quidẽ nomen præfert: sed quẽ nemo uel mediocriter doctus, agnoscere pro suo dignetur.

Iam nec de suo purgatorio molesti nobis sint: quod hac securi fractum, dirutũ, & à fundamẽtis prorsus euersum est. Neq; enim quibusdã assentior, qui dissimulandum hac in parte censent, & mentionem purgatorij omittendam: ex qua acres (ut aiunt) pugnæ oriuntur, minimum ædificationis referri potest. Equidem & ipse tales nugas negligendas consulerẽ, nisi seria ducerẽt. Sed cum ex multis blasphemijs cõstructum sit purgatoriũ, et nouis quotidie fulciatur: cum multas & graues offensiones suscitet: profecto conniuendum nõ est. Illud forte utcunq; ad tempus dissimulari

mulari poterat, quòd ſine dei uerbo curioſa audaciâq; temeritate excogitatum erat: quòd de ipſo creditum erat neſcio quibus reuelationibus, ſathanæ arte con fictis, quòd ad ipſius confirmationẽ aliquot ſcripturæ loci inſcite detorti erant. (quanquam non leuiter
Deut. 18 *fert* Dominus, *humanam audaciam ſic in abditos iudiciorum ſuorũ receſſus perrumpere: & ſeuere prohibuit, neglecta uoce ſua, ſciſcitari à mortuis ueritatem: nec uerbum ſuum tam irreligioſe contaminari permittit.)* Demus *tamen, illa omnia tolerari aliquantiſper potuiſſe, ut res nõ magni momenti. at ubi peccatorũ expiatio, alibi quàm in* Chriſti *ſanguine quæritur, ubi ſatisfactio aliò trãsfertur, periculoſiſsimum ſilentium.* Clamandũ *ergo, nõ modo uocis, ſed gutturis ac laterum contentione:* Purgatorium, *exitiale ſathanæ eſſe cõmentũ, quod* Chriſti *crucẽ euacuat, quod fidem noſtram labefacit & euertit.* Quid *autem illis eſt purgatorium, niſi pœna quam luunt animæ defunctorũ pro peccatorũ ſatisfactione?* Quòd *ſi proxima diſputatione pluſquam perſpicuum eſt,* Chriſti *ſanguinem unicam eſſe pro fideliũ peccatis ſatisfactionem, expiationem, purgationem: quid ſupereſt, niſi purgatorium meram eſſe in* Chriſtum *blaſphemiam?* Prætereo *ſacrilegia, quibus quotidie defenditur:*

defenditur: offendicula, quæ in religione parit: aliaq; innumera, quæ ex tali impietatis fonte prodire solẽt.

Vt finẽ aliquando faciamus, uideamus iam (quod postremo loco propositum erat) de sacramento ipso pœnitentiæ. Anxiè autem sudant in reperiendo sacramento. Nec mirum. nodum enim in scirpo quærunt. Quod tamen optimũ habent, rem implicitam, suspensam, incertam, opinionumq; uarietate confusam, ac turbatam relinquunt. Dicunt ergo, uel pœnitentiam exteriorem, esse sacramentum: & si ita est, existimari debere signum esse interioris pœnitẽtiæ, id est, contritionis cordis, quæ erit res sacramenti. uel utranq; simul esse sacramentũ, nec duo, sed unum completum. sed exteriorem, esse sacramentum duntaxat: interiorem, rem & sacramentum. remissionem autem peccatorum, rem tantum, & non sacramentum. Qui sacramenti definitionem suprà à nobis positam memoria tenẽt, ad eam exigant id quod dicunt esse sacramentum: & inuenient non esse ceremoniam externam à Domino institutam, ad fidei nostræ confirmationem. Quod si causentur, definitionem meam legem non esse, cui parere necesse habeant: audiant Augustinum, quem sacrosanctum se habere fingunt. Sacramenta, inquit, propter car- lib.4. sent. dist. 22. c.2

lib. 3. quest. uet. test. nales, uisibilia instituta sunt: ut ab ijs quæ oculis cernuntur, ad ea quæ intelliguntur, sacramentorum gradibus transferantur. Quid tale, aut ipsi uident, aut alijs queunt ostendere in eo, quod sacramentum pœnitentiæ uocant? Idem alibi: Sacramentum ideo dicitur, quia in eo aliud uidetur, aliud intelligitur. Quod uidetur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Neq; hæc ullo modo sacramento pœnitentiæ (qualefingunt ipsi) conueniunt: ubi nulla species est corporalis, quæ spiritualem fructum repræsentet. At (ut istas beluas in sua arena cõficiam) si ullum hic esset sacramentum, nonne longe speciosius iactari poterat, absolutionem sacerdotis sacramentum esse: quàm pœnitentiam, uel interiorem, uel exteriorem? Promptum enim erat, dicere, ceremoniam esse, ad confirmandam fidem nostram de peccatorũ remissione: habereq; promissionem clauium, ut uocant, Quodcunq; ligaueritis aut solueritis super terram, erit solutum & ligatum in cœlis. Sed obiecisset quispiam, plærosq; absolui à sacerdotibus, quibus nihil accedit tali absolutione, cum ex eorum dogmate sacramenta nouæ legis efficere debeant, quod figurant. Ridiculum. Vt in eucharistia duplicem man-

In sermone quodam de bapt. infan.

ducationem

ducationem statuunt, sacramentalem, quæ bonis æque ac malis communis est: spiritualem, quæ bonorum tantum est propria. cur non & absolutionem bifariam percipi fingerent? Nec hactenus intelligere potui, quid sibi uellent cum illo suo dogmate. quod quàm longe à Dei ueritate dissideat, docuimus: cum id argumentum serio tractaremus. Tantum hic ostendere uolo, hunc scrupum nihil impedire, quominus absolutionem sacerdotis, sacramentum nuncupent. Respondebunt enim per os Augustini, sanctificationem esse sine uisibili sacramento: & uisibile sacramentum, sine interiori sanctificatione. item, sacramenta in solis electis efficere quod figurant. item, induunt Christum alij usque ad sacramenti perceptionem, alij usque ad sanctificationem. illud, boni & mali pariter faciunt: istud, soli boni. Sanè hallucinati sunt plusquam pueriliter, & cæci in sole fuerunt: qui, cum multa difficultate æstuarent, rem planam adeo & cuiuis obuiam non perspexerunt. Ne tamen animos tollant, quacunq; in parte sacramentum posuerint, nego iure haberi pro sacramento. Primum, quod nulla Dei promißio extet, unica sacramenti hypostasis. deinde, quòd quæcunque hic ceremonia proferatur,

lib.3.quest.uet.test. de bapt. paruul. lib.5. de baptis. contra Dona.

merum ſit hominum inuentum. cum ceremonias ſacramentorum non niſi à Deo inſtitui poſſe, iam definitum ſit. Mendaciũ ergo & impoſtura fuit; quod de ſacramento pœnitentiæ commenti ſunt. Ementitum hoc ſacramentum ornarunt, quo decebat elogio: ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium. quia ſi quis ueſtem innocentiæ, in baptiſmo perceptam, peccando corruperit: per pœnitentiam reparare poteſt. Sed dictum eſt Hieronymi. Cuiuſcunq; ſit, quin plane impium ſit, excuſari nequit. Quaſi uero per peccatum deleatur baptiſmus: & non potius in memoriam reuocandus ſit peccatori, quoties de peccati remiſsione cogitat, ut illinc ſeſe colligat, animumq; recipiat, & fidem confirmet, peccatorum remiſsionem ſe impetraturum, quæ ſibi in baptiſmo promiſſa ſit. Aptiſsime itaq; dixeris, ſi baptiſmum uocaueris pœnitentiæ ſacramentum. cum in conſolationem ijs datus ſit, qui pœnitentiam meditantur.

b.4. ſent. 4. diſt. c.1 de pœnit. diſt.1. c.2

DE VLTIMA (ut uocant) VNCTIONE.

TErtium fictitium ſacramentum, eſt extrema unctio: quæ non niſi à ſacerdote perficitur, idq;

idq; in extremis (sic loquuntur,) & oleo ab episcopo consecrato, atq; hac uerborum forma. Per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per uisum, per auditum, odoratum, tactum, gustum. Eius duas esse uirtutes fingunt: peccatorum remissionem, & corporalis morbi leuamen, si ita expediat: sin minus, animæ sanitatem. Aiunt autem, institutionem ab Iacobo positam esse, cuius uerba sunt: Infirmatur quis inter uos? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Eiusdem rationis est ista unctio, cuius esse manuum impositionem supra demonstrauimus. nempe, histrionica hypocrisis, qua citra rationem & sine fructu, Apostolos referre uolunt. Iacob.ult.

Refert Marcus, Apostolos in prima sua missione, iuxta mandatum quod à Domino acceperant, mortuos suscitasse, dæmonia eiecisse, leprosos mundasse, infirmos sanasse, in curatione autem ægrorum oleum adhibuisse: Vngebant, inquit, oleo multos infirmos, & sanabantur. Huc respexit Iacobus, cum iussit accersi presbyteros ad ungendum infirmum. Talibus ceremoniis nullum altius subesse mysterium facile iudicabunt, Mar.6

dicabunt, qui obseruarint, quanta libertate & Dominus, & eius Apostoli, uersati sint in rebus istis
Ioan. 9 *externis. Dominus cœco redditurus uisum, ex puluere & sputo lutum composuit. alios tactu sanauit, alios uerbo. Ad hunc modū Apostoli, alios morbos solo uerbo, alios tactu, alios unctione curarunt. At uerisimile est unctionem istam non temere, ut nec alia omnia, fuisse usurpatam. fateor. non tamen ut esset curationis organum, sed symbolum duntaxat, quo imperitiorum ruditas admoneretur, unde tanta uirtus prodiret: ne scilicet eius laudem Apostolis tribuerent. Oleo autem significari spiritum sanctum, eiusq; dona, uulgare ac tritum est. Cæterū euanuit gratia illa curationum: quemadmodum & reliqua miracula, quæ ad tempus edi uoluit Dominus, quo nouam Euangelij prædicationem in æternum admirabilem redderet. Vt igitur maxime demus, unctionem sacramentum fuisse earum uirtutum, quæ tum per manus Apostolorū administrabātur: nihil nunc ad nos pertinet, quibus uirtutum administratio commissa nō est. Et qua maiori ratione sacramentum ex hac unctione faciunt, quàm ex alijs quibusuis symbolis, quæ nobis in scriptura commemorantur? Cur non aliquam natatoriam Siloah destinant, in quam*

certis

certis temporum uicibus se immergant male habentes? frustra, inquiunt, id fieret. Certe non magis frustra, quàm unctio. Cur non mortuis incubant: quoniam puerum mortuũ, illi incubando, suscitauit Paulus? Cur non lutum ex sputo & puluere sacramentum est? Sed alia singularia exempla fuerunt: hoc autẽ ab Iacobo præcipitur. Nempe pro eo tẽpore loquebatur Iacobus, quo adhuc huiusmodi Dei benedictione fruebatur ecclesia. Affirmant quidem eandem etiamnum uim suæ unctioni inesse: sed aliter experimur. Nemo iam miretur, quomodo animas, quas uerbo Dei, hoc est, uita & luce sua spoliatas, stupidas esse & cæcas sciebant, tanta confidentia ludificati sint: cum nihil eos pudeat, corporis sensus uiuos ac sentiẽtes uelle fallere. Ridiculos ergo se faciunt, dum gratia curationũ præditos sese iactãt. Adest sanè suis Dominus omnibus seculis. & eorum languoribus, quoties opus est, medetur non minus quàm olim: sed manifestas illas uirutes non ita exerit, sed miracula per apostolorum manus non dispensat. Itaq;, ut non abs re Apostoli gratiam curationum sibi demandatam, olei symbolo designabant, non suam, sed spiritus sancti esse uirtutem: ita rursum spiritui sancto sunt iniurij, qui putidum & nullius energiæ oleum,

faciunt

faciunt eius uirtutem. perindeq; id est, ac si quis diceret, omne oleum uirtutem esse spiritus sancti: quod eo nomine in scriptura nuncupetur. omnem columbam esse spiritum sanctum, quòd ea specie apparuerit. Verum de ijs uiderint. Quòd nobis in præsentia abunde est, certo certius perspicimus, eorum unctionem sacramentum non esse: quæ nec ceremonia est à Deo *instituta, nec ullam promissionem habet. siquidem cum duo ista in sacramento exigimus, ut ceremonia sit à* Deo *instituta ut* Dei *promissionem habeat: simul postulamus, ut ceremonia illa nobis tradita sit, & promissio ad nos spectet.* Non *enim circuncisionẽ iam, sacramentũ* Christianæ *ecclesiæ quisquam esse contendit: tametsi &* Dei *institutum erat, & promissionem annexam habebat: quia nec nobis mandata fuit, nec promissio, qua illi adiuncta fuerat, nobis data.* Promissionem, *quam in unctione crociter iactant, nobis non esse datam, euidẽter demonstrauimus: & ipsi experientia declarãt.* Ceremonia *usurpari nõ debuit, nisi ab ijs, qui curationum gratia prediti fuerunt: non ab istis carnificibus, qui plus mactando ac trucidando ualent, quàm sanando.*

Q*uanquam etiamsi obtinuerint, huic ætati conuenire, quod de unctione ab* Iacobo *præcipitur (à quo longis-*

lõgißime absunt:)ne sic q̃dem adhuc multũ promoue rint in approbãda sua unctione, qua hactenus nos illeuerũt. Iacobus omnes infirmos uult inũgi: isti non infirmos, sed semimortua cadauera sua pinguedine inficiũt: cũ iamiã anima in primorib. labris laborat uel, ut ipsi loquuntur, in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo sacramento, qua uel morborum acerbitatem læniant, uel saltem aliquod animæ solatium adferant, crudeles sunt, qui nũquam in tempore medẽtur. Iacobus uult, infirmum ungi à senioribus ecclesiæ: isti unctorem nõ admittunt, nisi sacrificulum. Quod apud Iacobum presbyteros interpretãtur sacerdotes, & pluralem numerum ad decorem positum nugãtur, nimis friuolum est. quasi uero ecclesiæ eo tempore sacrificorum examinibus abundarint, ut in longa pompa procedere potuerint ad ferendum sacri olei ferculum. Iacobus dum simpliciter ungi infirmos iubet, nõ aliã unctionẽ mihi significat, q̃ uulgaris olei. nec aliud habetur in Marci narratione. Isti oleũ nõ dignãtur, nisi ab episcopo cõsecratũ: hoc est, multo halitu calefactũ, multo murmure incãtatũ, & nouies flexo genu salutatũ. ter Aue sanctũ oleũ: terque aue sanctũ charisma, ter, aue sanctũ bal-

balſamum. A quo tales exorciſmos hauſerunt? Iacobus dicit, quòd ubi unctus oleo fuerit infirmus, & oratũ fuerit ſuper eum, ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. non intelligens, pinguedine deleri peccata: ſed fidelium orationes, quibus adflictus frater Deo com*mendatus fuerit, non fore irritas.* Iſti *per ſacrã ſuam, id eſt, abominabilem unctionem, peccata remitti impie mentiuntur.* En, *quàm pulchre proficient, ubi* Ia*cobi teſtimonio pro ſua libidine prolixe abuti permiſſi fuerint.*

DE ORDINIBVS ECCLESIASTICIS.

QVartum locum in eorum catalogo tenet ſacramentum ordinis: ſed adeò fœcundum, ut ſeptem ex ſe ſacramentula pariat. Eſt uero iſtud perquàm ridiculum, quòd cum affirment ſeptem eſſe ſacramenta, dum recenſere ipſa uolunt, tredecim enumerant. Neq; *uero cauſari pòſſunt, unum eſſe ſacramentum: quia omnia in unum ſacerdotium tendunt, & uelut quidam ad ipſum ſunt gradus. ſiquidem cum*
b.4. ſent. *in ſingulis diuerſas eſſe ceremonias conſtet, diuerſas*
ſt. 24 c.9 *eſſe gratias ipſi loquãtur: nemo dubitet, quin ſeptem ſacram-*

sacramenta dici debeant, si eorum placita recipiuntur. Et *quid quasi rem ambiguã cõtrouertimus, quando ipsi plane distinctéq; septẽ declarant?* Appellantur *& septem* ordines, *uel gradus ecclesiastici.* Sunt *autẽ, ostiarij, lectores, exorcistæ, acoluti, subdiaconi, diaconi, sacerdotes.* Et *septem quidẽ sunt, propter septiformẽ spiritus sancti gratiã: qua præditi esse debent, qui ad eos promouentur.* Augetur *autẽ illis & largius cumulatur in promotione.* Iam, *numerus ipse peruersa scripturæ interpretatione consecratus est: quòd uidentur sibi apud* Iesaiam *legisse, septem spiritus sancti uirtutes, cum & uere plures non referantur à* Iesaia *q̃ sex, nec propheta omnes eo loco cõcludere uoluerit.* Tam *enim alibi spiritus uitæ, sanctificationis, adoptionis filiorum dicitur: q̃ illic sapiẽtiæ, intelligẽtiæ, cõsilij, fortitudinis, scientiæ, & timoris* Domini. *Quanq̃ alij acutiores, non septem ordines, sed nouẽ faciũt: ad similitudinẽ, ut aiunt, triumphantis ecclesiæ.* Atq; *inter eos etiã pugna est: quòd alij clericalem tonsurã uolunt esse primũ ordinẽ, episcopatum ultimũ. alij, exclusa tonsura, archiepiscopatũ ordinibus annumerant.* Isidorus *aliter distinguit. facit enim diuersos, psalmistas et lectores. illos cantionibus præficit, hos legendis scripturis, quibus plebs erudia-*

Iesa. 11
Ezech. 1
Rom. 1. 8

opinio hæc est Hugonis, *altera* Guilli. Paris.

Isidorus *li. 7. etimol. allegatur. c. cleros dist. 21. dist. 23. c. lector & c. ostiarius.*

erudiatur. Atq; hæc distinctio canonib. obseruatur. In tanta uarietate, quid sequi aut fugere nos uolunt? Dicamus ne septem esse ordines? Sic docet magister scholæ. Sed illuminatißimi doctores aliter determinant. rursum, inter se ipsi dißidẽt: præterea sacratißimi canones aliò nos uocant. Sic scilicet consentiunt homines, cum de rebus diuinis sine uerbo Dei disceptant. Iam uero, cum de origine suorũ ordinum disputãt, quàm se pueris quoq; ipsis ridiculos faciũt? Clerici dicuntur à sorte: uel quia à Domino sortiti, uel quia de sorte Domini, uel quia Deum partem habent. At sacrilegiũ fuit, usurpare sibi hunc titulum, qui totius erat ecclesiæ. Est enim illa Christi hæreditas ei, à patre data. Nec Petrus pauculos rasos (ut ipsi improbe confingũt) cleros uocat, sed uniuersam Dei plebem. Sequitur apud eos: Raduntur clerici in uertice, ut corona regale decus significet. quia reges debẽt esse clerici, ut se & alios regãt. quibus Petrus loquitur: Vos estis genus electũ, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis. En iterũ eos falsi arguo. Petrus totam ecclesiam alloquitur, isti ad pauculos detorquent: quasi solis illis dictum sit, sancti estote: quasi soli illi sanguine Christi acquisiti sint, quasi soli illi per Christum facti sint regnum & sacerdotium

lib. 4. sent. dist. 24. c. 1 duæ istarũ rationũ tanguntur c. cleros. 21. dist. tertia c. duo. 12. quest. 1

1. Pet. 5

1. Pet. 1

cerdotium Deo. *Aßignant deinde & alias rationes.* *lib. 4. sent*
ſummitas capitis denudatur, ut eorum mens ad Do- *diſt. 24*
minum libera monſtretur, quæ reuelata facie, Dei *c. duo ſunt*
gloriam contempletur. uel ut uitia oris & oculorum
doceantur præcidenda. uel raſura capitis eſt, tem- *12. q. 1*
poralium depoſitio: circunferentia uerò coronæ, re-
liquiæ ſunt bonorum, quæ ad ſubſtentationem reti-
nentur. Omnia in figuris: quia ſcilicet uelum templi nondum ſciſſum eſt. Itaq; perſuaſi ſe præclare defunctos eſſe ſuis partibus, quòd talia per coronam ſuam figurauerint, nihil eorum re ipſa præſtant. Quouſq; nos talibus fucis & præſtigijs ludent? Clerici, detonſis aliquot capillis, ſignificant temporaliũ bonorum abundantiam ſe abiecisse, gloriam Dei contemplari, aurium oculorumq; concupiſcentiam mortificaſſe: & nullum eſt hominum genus rapacius, ſtupidius, libidinoſius. Cur non magis ſanctitatem uere exhibẽt, quàm falſis mendacibusq; ſignis ipſius ſpeciem ſimulant? Porrò, cum dicunt coronam clericalem habere originẽ à Nazaræis, & rationem: *lib. 4. sent*
quid aliud adferunt, quàm ſua myſteria à Iudaicis ce *diſt. 24. c.*
remonijs nata eſſe, uel potius merũ eſſe Iudaiſmum? Quòd autem addunt, Priſcillam, Acylam, & Paulum ipſum, ſuſcepto uoto ſibi raſiſſe caput, ut puri- *Acto. 18 diſt.*

 ficarentur:

ficarentur: crassam suam ignorantiam produnt. Nusquã enim legitur de Priscilla: ac de Acyla etiam incertum est. siquidem tam ad Paulum referri potest tonsura illa, quàm ad Acylam. Ne uerro illis relinquamus quod petũt, exemplum eos habere à Paulo: obseruandum est simplicioribus, Paulum nunquam caput sibi totondisse ad sanctificationem aliquam, sed duntaxat, ut fratrum infirmitati seruiret. Soleo eiusmodi uota appellare charitatis, non pietatis: hoc est, non suscepta ad cultum aliquem Dei, sed ad tolerandam infirmorum ruditatem. quemadmo-
1. Cor. 9 *dum ipse ait, Iudæis se Iudæũ factum, & cætera. Sed hoc faciebat, ut Iudæis se ad tempus accommodaret.*
Numer. 6 *Isti, cum Nazaræorum purificationes nullo usu imitari uolunt, quid aliud quàm alterum Iudaismum eri-*
prohibete *gunt? Eadem religione decretalis illa epistola com-*
dist. 23 *posita est, quæ prohibet clericis, iuxta Apostolum, ne comam nutriant: sed instar sphera radant. quasi*
1. Cor. 11 *Apostolus, docens quid uiris omnibus decorum sit, de spherica clericorum rasura solicitus fuerit. Hinc lectores reputent, quales sint alij ordines, quibus talis est ingressus. Verum hoc omnem stultitiam superat, quòd in singulis Christum sibi collegam faciunt. Primum, inquiunt, ostiarij munere functus est,*

est, quando uendentes & ementes flagello ex funiculis facto, è templo eiecit. & ostiarium se esse significat, cum dicit: Ego sum ostium. Lectoris munus assumpsit, cum in synagoga Iesaiam legit. Exorcistæ officio usus est, cum linguam & aures surdi & muti saliua tangens, auditum reddidit. Acolytũ se esse ijs uerbis testatus est: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Subdiaconi officio usus est, cum linteo præcinctus, pedes discipulorum lauit. Diaconi personam sustinuit, cum corpus & sanguinẽ distribuit Apostolis in cœna. Sacerdotis partes impleuit, cum in cruce hostiam se patri obtulit. Hæc absque risu adeo audiri non possunt, ut mirer absq; risu scripta esse: si tamen homines erant, qui scribebant. Sed in primis spectabilis est argutia, qua in acolyti nomine philosophantur, ceroferarium appellantes: uerbo, ut arbitror, magico: certe, inaudito gentibus ac linguis omnibus. cum ἀκόλουθος Græcis simpliciter significet pedissequum. Quanquam si his serio refellendis inhæream, iure & ipse quoq; ridear: adeò friuola sunt & ludicra. Ne tamen mulierculis adhuc fucum faciant, traducenda est obiter eorum uanitas.

Matth. 21
Ioan. 2. 10
Luc. 4
Mar. 7
Ioan. 8 13
Matth. 26
Matth. 27

Creant eximia pompa ac solennitate suos lectores, psalmistas, ostiarios, acolytos, ad ea ministeria

exequenda, quibus uel pueros, uel certe quos uocant laicos, præficiunt. Quis enim cereos, ut plurimum, accendit? quis urceolo uinum et aquam infundit? nisi puer, aut ex laicis sordidulus aliquis, qui ex ea re quæstum facit. Nónne ijdem canunt? nónne templorum ianuas claudunt & aperiunt? Quis enim in eorum templis unquam uidit, uel acolythum, uel ostiarium, suis partibus fungentẽ? Quin potius, qui puer acolyti munere functus est cum in ordinem acolytorum cooptatur, desinit esse id quod dici incipit. Vt uideantur ex professo uelle munus ipsum abijcere, cum titulum adsumunt. En, cur sacramentis consecrari, & spiritum sanctum accipere, necesse habeant: nẽpe, ut nihil agant. Si prætexant hanc esse temporum peruersitatem, quòd ministeria sua deserunt ac negligunt: simul fateantur, nullũ hodie esse in ecclesia usum nec fructum sacrorum suorũ ordinum, quos mirifice deprædicant: totamq; ecclesiam suam anathemate plenam, quandoquidem cereos et urceolos à pueris & prophanis attrectari permittat, quibus tangendis nulli digni sunt, nisi in acolytos consecrati: quando cantiones ad pueros ablegat, quæ nisi ab ore consecrato audiri nõ debebant. Exorcistas uero in quem tandem finem consecrant? Audio Iu-

dæis

dæis fuisse suos exorcistas: sed ab exorcismis dictos Acto. 19
uideo quos exercebãt. De *ementitis istis exorcistis, quis unquam fando audiuit, quòd specimen unum suæ professionis ediderint?* Fingitur *illis potestas data imponendi manus super energumenos, & catechumenos, & dæmoniacos: sed tali se potestate prædictos, dæmonibus persuadere non possunt. non modo quia eorum imperijs non cædunt dæmones: sed etiam quia ipsis imperãt. Vix enim decimum quenq; reperias, qui non malo spiritu agatur. Quæcunque igitur de minutulis suis ordinibus balbutiũt, siue sex computentur, siue quinq;, conflata sunt ex inscitis insulsisq; mendacijs.* In *ijs autem & subdiaconatum cõplector, et si ad maiores translatus est: ex quo turba ista minorum graduum pullulare cæpit.*Eos *certe* lib. 4. sent.
sacramentorũ loco non esse habendos constat: quan dist. 24. c. 8
do istorũ confeßione, primitiuæ ecclesiæ incogniti fuerũt, & multis postea annis excogitati. Sacramenta aũt cum Dei *promißionẽ contineãt, neq; ab angelis, neq; ab hominib. sed à* Deo *solo institui possunt: cuius unius est, promißionẽ dare. Pro duob. reliquis testimoniũ habere uidentur à uerbo* Dei, *ideoq; sacros ordines honoris causa peculiariter nominant. Sed quàm oblique illo in suum prætextũ abutãtur,*

 uiden-

uidendum est. Incipiemus autem ab ordine
idorus.c. presbyterij, siue sacerdotij. His enim duobus nomi-
olectis. nibus rem unam significant: ac sic appellant eos, ad
.dist.lib. quos pertinere aiunt, sacrificium corporis & sangui
sent. dis. nis Christi in altari conficere, orationes dicere, &
24.c.8 benedicere dona Dei. Itaq; in ordinatione calicem & patenam cum hostijs accipiunt, in symbola collatæ potestatis, placabiles Deo hostias offerendi: manusq; illis inunguntur, quo symbolo intelligunt, datam sibi esse consecrandi potestatem. Adeò nihil horum à uerbo Dei habent, ut non potuerint improbius ordinem à Deo positum peruertere. Principio quidem, pro confesso esse debet, quod præcedenti disputatione asseruimus: iniurios omnes esse Christo, qui se sacerdotes appellant, ad offerendam placationis hostiam.
ebr.4.5. Constitutus ille & consecratus à patre
.7.8.9. sacerdos cum iureiurando fuit, secundum ordinem Melchizedech, nullo fine, nullo successore. hostiam semel obtulit æternæ expiationis & reconciliationis. nunc etiam sanctuarium cœli ingressus, intercedit pro nobis.
1.Pet.2 In ipso omnes sumus sacerdotes, sed ad
Apocal.1 laudes, & gratiarum actiones: nos deniq;, nostraq; Deo offerenda. illi uni singulare fuit, sua oblatione Deum placare, & peccata expiare. Quid superest, nisi

nisi istorum sacerdotium impium esse sacrilegium?

Verũ quando eos non pudet Apostolorũ successores se iactare, quãta fide illorũ fungantur uicibus, spectare operæprecium est. Quanq̃ inter se consentire ipsos oportuerat, si fidem sibi haberi uolebant. Nunc de Apostolorum successione hostiliter digladiantur episcopi, mendicantes monachi, sacrificuli. Obtendũt episcopi, duodecim in apostolatũ allectos singulari prærogatiua. horum se loco & gradu esse, utpote qui alios honore præcellãt. Vulgares presbyteros pro septuaginta esse, qui postea à Domino designati sunt. Sed nimis imbecilla est ratio, nec sanè longa confutatione opus habet: siquidem hoc agnoscunt è suis tabulis. Anteq̃ diabolica sectio fieret in ecclesia, & alius diceret, Ego sum Cephæ, alius, ego Apollo: nullũ fuisse discrimẽ presbyteri & episcopi. Senserũt multo rectius, quib. hæc discretio ab ethnicis accepta uisa est: qui suos habebãt flamines, curiones, lupercales, salios, pontifices, & cæteros, honoris gradu distinctos. Mendicantes monachi hac tantum similitudine Apostolorũ uicarios se uenditant: qua longissime ab illis discrepãt. quòd huc atq; illuc cursitant, & ex alieno uictitant. Apostoli enim non temere, ut isti errones, quóuis uolitarũt: sed profecti

dist. 21. c. 1

Hiero. in epist. ad Tit. citatu[r] dist. 93. c. l[e]gimus et 9[5] c. olim.

lib. 4. sent dist. 24. c. 10. & in c[a]no. dist. 21 c. 1.

ſunt, quò à Domino uocabantur ad propagandum Euangelij fructum: nec otioſos uentres pauerũt alienis laboribus, ſed pro libertate ſibi à Domino permiſſa, eorum benignitate uſi ſunt, quos uerbo inſtituebant. Neq; uero erat, cur monachi, quaſi teſtimonio defecti, alienis plumis ſe tegerent: cum ſatis claro elogio à Plaulo deſcribantur. Audiuimus, inquit, inter uos quoſdam ambulantes inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes. alibi: Ex his ſunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, ſemper diſcentes, nunq̃ ad ſcientiã ueritatis peruenientes. Hæc, inquam, elogia iuſto interdicto uindicare cũ poſſint, Apoſtolorũ uices, à quibus tam procul abſunt q̃ à cœlo, alijs relinquãt. Ergo de ſacerdotij ordine in genere uideamus, q̃ belle cũ Apoſtolorũ functione cõueniat. Dominus noſter, cũ nondũ eſſet ulla eccleſiæ forma conſtituta, Apoſtolis ſuis mãdauit, ut prædicarẽt Euangeliũ omni creaturæ, & credentes in remiſſionẽ peccatorũ baptiſarent. Antea aũt mandauerat, ut ſacra ſymbola corporis et ſanguinis ſui ad exemplũ ſuũ diſtribuerẽt. de ſacrificando nulla mentio. En ſanctã, inuiolabilẽ, perpetuãq; legẽ, impoſitã his qui in Apoſtolorũ locum ſuccedunt: qua mandatũ accipiunt de Euangelij prædicatione

[Margin: 2. Theſ. 3 vide in eũ locũ Theophylactum 2. Timot. 3 Mar. ult. Luc. 22]

dicatione, & sacramentorum administratione. Ergo qui Euangelij prædicationi, ac sacramentorũ administrationi nõ incumbunt, Apostolorum personam improbe prætexunt. Rursum, qui sacrificant, cõmune cum Apostolis ministeriũ falso iactant. Nonnihil aũt inter Apostolos, & eos qui nunc regendis ecclesijs præesse debẽt, interest. primũ, nomine: quod tametsi ex ratione & etymo uerbi, utriq; Apostoli uocari possunt, quia utriq; mißi sunt à Domino: illos tamen duodecim peculiariter elegit Dominus, qui nouã Euangelij prædicationẽ orbi promulgarẽt. & Apostolos peculiariter uocari uoluit: quia magni referebat, certã haberi de eorũ mißione cognitionẽ, qui rẽ nouam & inauditã afferrẽt. Hi, presbyteri & episcopi magis dicũtur. Deinde, officio. quod tametsi utrisq; cõmune est, uerbũ & sacramenta ministrare: illis tamen duodecim, Euangeliũ spargere in uarias regiones mandatũ erat, nullis cõstitutis finibus: his singulæ ecclesiæ aßignãtur. Neq; hic tamẽ negatur, quin alias ecclesias iuuare ei liceat, qui uni ecclesiæ præest: siue quid turbarũ inciderit, quod præsentiã eius requirat: siue absens absentes scriptis docere poßit. sed quia ad retinendã ecclesiæ pacẽ necessaria est istæc politia, unicuiq; esse propositum quod agat, ne simul

Roma. 10
Luc. 6
Acto. 1

omnes

omnes tumultuentur, ſine uocatione incerti diſcurrant, in unum omnes locum temere confluāt, & ne uacuas eccleſias pro libidine deſerant. Hanc diſtin*ctionem poſuit* Paulus, *ad* Titum *ita ſcribens:* Huius *rei gratia reliqui te in* Creta, *ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros*. Eadem *à* Luca *in* Actis *oſtenditur, dum* Paulum *inducit ita loquentem ſenioribus* Epheſinæ *eccleſiæ*. Attendite *uobis & uniuerſo gregi, cui uos ſpiritus ſanctus conſtituit epiſcopos, ad regendam eccleſiam* Dei, *quam*
Coloſſ. 4 *acquiſiuit ſanguine ſuo.Sic* Archippum Paulus *com*
Philip. 1 *memorat* Coloſſenſium *epiſcopum . et alibi,* Philip*penſium epiſcopos.* Hæc *ubi probe animaduerſa fuerint, promptum erit definire, quæ ſit presbyterorum functio, qui in presbyterorum ordine habendi ſint: uel potius, quid omnino ſit ordo ipſe. functio, eſt* Euangelium *annunciare, & ſacramenta adminiſtrare.* (Omitto *quanta morū integritate excellere, quid ſingulis priuatim præſtare ſeniores debeant. neque enim præſentis inſtituti eſt, omnes boni paſtoris dotes perſequi: ſed tantum indicare quid profiteantur, qui ſe presbyteros appellant.*) Epiſcopus *eſt, qui ad miniſterium uerbi & ſacramentorum uocatus, officium ſuum bona fide exequitur.* Epiſcopos *et presbyteros*

teros promiſce uoco, eccleſiæ miniſtros. Ordo, eſt ipſa uocatio. Porrò quæ ſit ratio uocationis, nunc docendi locus eſt. Ea in duobus uerſatur. nempe, ut habeamus, & à quibus inſtituendi ſint Epiſcopi ſeu presbyteri: & quo ritu, quáue ceremonia initiandi. Legitimæ inſtitutionis documentũ ex Apoſtolorum inſtitutione peti non poteſt, qui humana uocatione non expectata, ſed ſolo Domini mandato inſtructi, operi ſe accinxerunt. Nec quem ipſi apoſtoli ordinem tenuerint, ſatis conſtat: niſi quod Paulus, eo quem nuper citauimus loco, tradit ſe reliquiſſe Titum in Creta, ut Epiſcopos per ciuitates cõſtitueret. **Tit.1** *& alibi Timotheũ admonet, ne cui temere manum* **1.Timo.5** *imponat. Et Lucas in Actis refert, à Paulo & Barnaba* **Actor.14** *conſtitutos per ſingulas Liſtrẽſium, Iconum, & Antiochenorum eccleſias, presbyteros. Hos uero locos ualde illuſtrarunt mitrati põtifices, ut eos omnes ſolent, qui ad farinas facere uidentur. Inde enim collegerunt, ſolis ſibi eſſe poteſtatem, ordinandi & conſecrandi presbyteros (ut loquuntur:) & ut ſuam conſecrationem, ſplendida aliqua larua uenerabilem ac religioſam imperitis facerẽt, multis ceremonijs adumbrarũt. At fallũtur, dũ exiſtimãt aliud quippiã eſſe cõſecrare, & ordinare quàm eccleſiæ epiſcopũ & paſtorem*

ſtorem cõſtituere: ſi tamen iuxta Pauli præſcriptum conſecrant & ordinant. Quòd ſi aliter agunt, peſſime hos Pauli locos ad ſuam libidinem detorquent. Et ſanè longe aliter agunt. Non enim in epiſcopatũ ordinant, ſed in ſacerdotium. Ita deſtinamus, inquiunt, eccleſiæ miniſterio. Verũ an aliud putant eſſe eccleſiæ miniſterium: quàm uerbi miniſterium? Scio quidem hãc cantilenã ſubinde ab illis recini: ſacrificulos ſuos eccleſiæ miniſtros eſſe. ſed nemo ſanus credit. imò eos ſcripturæ ueritas reuincit: quæ nõ aliũ agnoſcit eccleſiæ miniſtrũ, quàm uerbi Dei præconem,
Acto.14. *ad regendam eccleſiam uocatum: quem nunc epiſco*
o.1.Pet.5 *pum, nũc presbyterũ, interdũ etiam paſtorem appellat. Iam uero, ſi excipiũt, canonibus uetitum eſſe, ne quis ſine titulo admittatur: neq; id me latet. ſed titulos quos obtendũt, pro legitimis nõ recipio. Nõne melior pars titulorum, ſunt dignitates, perſonatus, canonicatus & prebendæ, capellaniæ, prioratus, monachatus etiam: quæ partim ex eccleſijs cathedralibus, partim collegiatis, partim deſertis delubris, partim è clauſtris petũtur? Quæ omnia ſathanæ eſſe lupanaria interpretor, & cõfidenter affirmo. Omnes enim illi, in quam functionem ordinantur, niſi ut Chriſtum ſacrificent & imolent? Denique neminem ordi*

nant

nãt, nisi ad sacrificãdũ: quod nõ est Deo, sed dæmonijs cõsecrare. Atq; uera unaq; ordinatio est, uocare ad regẽdã ecclesiã eũ, cuius uita ac doctrina probata fuerit: ipsumq; ministerio admouere. Quam in partẽ locos illos Pauli accipere cõuenit. quãq; ceremoniam, et ritũ uocãdi: simul cũ uocatione ipsa cõtinẽt. sed de ceremonia statim suo loco. Nũc quod in manibus est, tractemus: à quib. scilicet ordinãdi, hoc est, uocãdi sint ministri ecclesiæ. Quid igitur? an Paulus iura collationũ Timotheo & Tito deferebat, qualia nũc ab infulatis satrapis usurpãtur? minime. sed cũ utriq; mãdatũ dedisset de cõstituẽdis cõponẽdisq; puinciarũ, in quib. relicti erãt, ecclesijs: alterũ hortatur, ne ecclesias desertas patiatur: alterũ mionet, ne quẽ admittat nisi pbatũ. An Paulus et Barnabas, seu metropolitani aliqui, ecclesiarũ possessiones cõferebãt? Nihil minus. Cæterũ nõ existimo illos omnes, suo arbitrio imposuisse ecclesijs nescijs ac incõsultis quos uisum esset: sed cõmunicato cũ ecclesijs cõsilio, ad id munus, uocasse quos ex fratrib. exploratos habebãt puriore doctrina, et uita integriore. Atq; ita qdẽ factũ oportuit, si ecclesias stare incolumes uoluissent, penes quos rerũ arbitriũ erat: ut ecclesia q; de eligendo ministro deliberatura erat, anteq; in cõsiliũ iuisset, aduoca

aduocasset è uicinia unum aut duos Episcopos, & ui tæ sanctitate, & doctrinæ sinceritate præ alijs spectabiles: cum quibus agitasset, quis potissimum assumendus fuisset. Vtrũ uero totius ecclesiæ cõitijs, aut paucorũ suffragijs, quib. ea cura demãdetur: an uero magistratus sentẽtia, episcopũ creari satius sit: nulla certa lex cõstitui potest. Sed pro temporũ ratione, populorumq; moribus capiendum est consilium. Cyprianus fortiter contendit, nõ rite eligi, nisi communibus totius plebis suffragijs. Quam obseruationem illo seculo in multis partib. ualuisse, fidẽ historiæ faciũt. Verũ qa uix unquã euenit, ut tot capita rẽ aliquã uno sensu bene cõponãt: & ferè illud uerũ est, incertum scindi studia in cõtraria uulgus: satius mihi uidetur, eo eligendi munere, uel magistratũ, uel senatum, uel seniores aliquot defungi: aduocatis semper (ut dixi) nonnullis episcopis, quorũ fidem & probitatem spectatam habeant. Sed hæc melius prospicere, pro re & tempore, possunt principes, aut liberæ ciuitates, quibus pietas cordi est. Certe rectam ordinationem penitus corruperunt cornuti presules, suis iuribus collationum, præsentationum, repræsentationum, patronatuum, & alijs id genus tyrannicis dominijs. Verum ita, inquiunt, exigebat temporum corruptio:

ptio:ut quoniam apud plebem & magiſtratus plus ualebāt odia & ſtudia in aſſumēdis epiſcopis, quàm rectum ſanumq́; iudicium, eius rei arbitrium paucis primoribus epiſcopis deferretur. Fuerit ſanè hoc extremi mali in rebus deploratis remedium. Verum ubi medicina morbo ipſo nocentior apparuit, cur non et nouo huic malo ſuccurritur? ſed canones exactiſsime cauent, ne ſua poteſtate in eccleſiæ perniciē abutātur epiſcopi. Quanq̄ ſi uerū fatemur, canones ipſi potius faces ſunt in uniuerſum orbis excidiū accenſæ, quàm ad retinendā bonæ diſciplinæ moderationem cautiones. hoc tamē omitto. Quid tamen mihi canones iactantur, qui ſuis autoribus, quoties libet, mera ſunt ludibria? an uero dubitamus, quin ſanctiſſimis legibus olim plebs ſe adſtringi intelligeret, cum uideret ſibi regulā è uerbo Dei *propoſitā, dū ad epiſcopū eligendū cōueniret? Siquidē illi una uox* Dei, *merito pluris eſſe debebat: q̄ infinitæ canūculorū myriades. Sed nihilominus peſsimo affectu corrupta, nullā habebat legis aut æquitatis rationē. Sic hodie, & ſi optimæ ſcriptæ ſunt leges, manēt tamē in chartis ſepultæ: interim publicis moribus receptū eſt, ut ſoli ferè tōſores, coci, muliones, ſpurij, atq́; eius fecis homines, eccleſiarū paſtores creentur. Parū dico. Vt*

episcopatus, lenociniorum & adulteriorum sint prae mia. Nã cũ uenatoribus & aucupibus dantur, praeclare res cecidisse existimanda est. Tanta indignitas importune canonibus defenditur. Habebat, inquam, olim optimũ canonẽ populus, cui uerbũ Dei praescri
1. Tim. 3 *bebat: Oportere episcopũ esse irreprehẽsibilẽ, docto*
Tit. 1 *rem, non pugnacẽ, non auarum, &c. Cur ergo prouincia eligendi ministri, à populo ad istos praesules trãslata est? Quia inter tumultus & factiones populi, uerbũ Dei non exaudiebatur. Et cur hodie ab episcopis non trãsferatur: qui nõ modo leges omnes uiolant, sed abiecto pudore, libidinose, auare, ambitiose, humana diuinis cõmiscent & confundunt? An hoc, uel auditu tolerabile est: pastores ecclesiae uocari, qui nullum unq̃ è suo grege uiderint? qui uiolenter in ecclesiae possessionẽ, quasi in hostile praediũ irruperint? qui forensibus iurgijs euicerint? qui precio redemerint? qui sordidis obsequijs emeruerint? qui pueri uix dum balbutientes, eam, ceu haereditatẽ, à patruis & cognatis, creuerint? An unq̃ eò progressa esset populi, quantũuis corrupti & exlegis, licentia? Qui hanc ecclesiae faciem, quae nostra aetate uisitur, siccis oculis spectare possunt, crudeles sunt et impij. qui cum mederi possint, negligũt, omnẽ inhumanitatem superant.*

superant. Nunc, quod secundum est in presbyterorum uocatione, exequamur: quo ceremoniæ genere initiãdi sint. Dominus noster, cũ Apostolos amandaret ad Euangelij prædicationẽ, insufflauit in eos. Ioan. 20
Quo symbolo, spiritus sancti uirtutẽ, qua illos donabat, representauit. Hanc insufflationẽ retinuerũt boni isti uiri, & quasi spiritũ sanctũ è gutture suo egerant, super suos, quos formant, sacrificulos demurmurant: Accipite spiritũ sanctũ. Adeò nihil prætereũt, quod nõ præpostere effingant: nõ dico instar histrionum, qui rationẽ & modum quendã habent suæ gesticulationis: sed instar simiarũ, quæ lasciue & absque ullo delectu quiduis imitantur. Seruamus, inquiunt, exemplũ Domini. At multa egit Dominus, quæ nobis exempla esse noluit. Dixit Dominus discipulis: Accipite spiritũ sanctum. dixit & Lazaro: Lazare ueni foras. dixit paralytico: Surge, & ambula. Cur non eadem dicunt omnibus mortuis & paralyticis? Diuinæ suæ uirtutis specimen edidit, cũ insufflando in Apostolos, spiritus sancti gratia illos repleuit. Hoc ipsum si conãtur efficere, Deum æmulantur, & tantum nõ ad certamẽ prouocãt. Sed longissime absunt ab effectu: nec aliud inepto isto gestu, quàm Christo illudũt. Sunt quidẽ adeò effrõtes, ut asserere ausint,

conferri à se spiritum sanctum. sed q̃ id uerum sit, docet experientia: quæ clamat, ex equis fieri asinos, ex fatuis phreneticos, quicunq; in sacerdotes cõsecrantur. Nec *tamẽ hinc pugnã illis facio. tantum ceremoniam ipsam damno, quæ in exemplũ trahi nõ debuit:* quandoquidẽ à Christo *in singulare miraculi symbolum usurpata est. tantum abest, ut illis patrocinari*

lib. 4. sent. dis. 24. c. 8 & in cano. dist. 21. c. 1

debeat imitationis excusatio. Vnctionẽ *uero à quo tandem acceperunt?* Respondent, *se accepisse à filijs* Aaron: *à quo suus ordo sumpsit initiũ.* Peruersis *igitur exemplis perpetuò se tueri malũt, q̃ fateri à se excogitatum, quod temere usurpant. sed interim nõ animaduertunt, dum successores se profitentur filiorum* Aaron, Christi *sacerdotio se esse iniurios, quod unũ omnibus ueteribus sacerdotijs adumbratum figuratumq; fuit.* In *eo igitur omnia illa cõclusa & impleta fuerunt, in eo cessarunt. ut iam aliquoties à nobis repetitũ est: & epistola ad* Hebræos, *nullis glossis adiuta, testatur. Quòd si tantopere* Mosaicis *ceremonijs oblectãtur: cur nõ boues, uitulos, agnos, ad sacrificia rapiunt?* Habẽt *quidẽ bonã partẽ antiqui tabernaculi, & totius* Iudaici *cultus. sed hoc tamẽ eorũ religioni deest, q uitulos & boues nõ immolãt. Quis non uideat hãc unctionis obseruationẽ circũcisione multo esse*

to esse pernitiosiorem? præsertim, ubi accedit superstitio, & pharisaica opinio de dignitate operis. Iudæi in circũcisione fiduciã iustitiæ reponebãt: isti, in unctione spirituales gratias. Hoc enim est (si Deo placet) sacrum oleum, quod caracterẽ indelebilẽ imprimit. quasi uero oleum puluere et sale abstergi nõ possit: aut si tenacius adhæsit, sapone. At character ille spiritualis est. Quid oleo cũ anima? An obliti sunt, quod ex Augustino occinũt? Si detrahatur uerbũ ab aqua, nihil fore nisi aquã: habere aũt à uerbo, ut sit sacramentum? Quod uerbum ostendent in sua pinguedine? An quod Mosi mandatum est, de filijs Aaron ungendis? At illic etiã mandatur de tunica, de ephod, de galero, de corona sanctitatis, quibus ornãdus erat Aaron: de tunicis, baltheis, mitris, quibus erant uestiendi eius filij. Mãdatur de mactãdo uitulo, de eius adolendo adipe, de arietibus secãdis & cõburendis, de sanctificandis auriculis et uestimẽtis, alterius arietis sanguine. et innumeræ aliæ obseruatiões, quibus prætermissis, miror cur una unctio olei illis placeat. Si aũt aspergi gaudent, cur oleo potius asperguntur quàm sanguine? scilicet rẽ ingeniosam conãtur: ex Christianismo, & Iudaismo, et paganitate, uelut consutis centunculis, religionẽ unã conficere. Fœtet igitur eo

1. quæst. 1. c. detrahe.

Exod. 28 29. 30

rum unctio, quæ sale, id est, uerbo Dei destituitur.

Superest impositio manuũ, quã fuisse ab Apostolis obseruatã constat, quoties aliquẽ ecclesiæ ministerio admouebãt. Qua ratiõe, impositionẽ manuũ presbyterij Paulus uocat, ordinationẽ ipsam, qua in episco-
1. Tim. 4 *patũ assumptus erat Timotheus. Quanq̃ scio presbyterium eo loco à quibusdã accipi, pro cœtu seniorũ. sed simplicius, meo iudicio, de ministerio intelligetur. Hunc aũt ritũ ductũ existimo ab Hebræorũ more: qui, quod benedictum ac sanctificatũ uolebant, manuum impositione, uelut Deo repræsentabant. Sic Ia-*
Gen. 48 *cob benedicturus Ephraim et Manasech, eorũ capiti-*
Numer. 8 *bus manum imposuit. quo, ut arbitror, significatu, Iu-*
& 27 *dæi, ex legis præscripto, suis oblationibus manus im-*
Leu. 1. 3. 4 *ponebãt. Quare Apostoli per manuũ impositionem*
& alibi *eum se Deo offerre significabant, cui manus imponebant. Quid igitur? an legis umbras sectabãtur? Minime: sed nulla superstitiõe symbolũ hoc adhibebãt, ubi usus erat. Imponebant enim ijs manus, quibus à Domino spiritũ sanctum precabantur: quẽ huiusmodi symbolo administrabant, ut docerent nõ à seipsis exire, sed è cœlestibus descendere. In summa: id erat symbolũ, quo Domino cõmendabãt, cui spiritus sancti gratiã precari uolebãt. quã tunc eorũ ministerio distribui,*

distribui, Domino placebat. Sed quicquid fuerit: an protinus sacramentũ habendũ est? Apostoli orarunt genibus flexis: genua igitur nõ flectentur sine sacramẽto? Discipuli ferũtur orasse uersus orientẽ: sit nobis sacramentũ oriẽtis aspectus. Paulus uult in omni loco uiros tollere puras manus, et eleuatis manibus oratio sæpius à sanctis facta memoratur. et manuũ quoq; extensio sacramentũ fiat. Omnes deniq; sanctorum gestus in sacramenta transeant. Omissa igitur contentione, istius ceremoniæ quis nunc usus nobis sit, paucis exequar. Si in eum finẽ usurpemus, ut gratias spiritus, quemadmodũ Apostoli, cõferamus: ridicule agemus. Nã, neq; id ministeriũ nobis à Domino cõmissum est, neq; id symbolum constitutũ. At hunc lapidẽ aßidue uoluunt Papa & sui, ut talibus signis spiritũ sanctũ conferre credantur: sicut fusius disseruimus, cum eorum confirmationem discuteremus. Quod si is, qui assumitur in episcopum, constituatur in medio cœtu ecclesiæ, admoneatur sui officij, ac super eum oretur, seniorum manibus super eum impositis: nulla religione, nisi ut & ipse Deo se in ministerium offerri sentiat, & ecclesia incitetur, ad ipsum communibus precibus Deo cõmendandum: talẽ manuũ impositionẽ nemo sanus improbet.

Acto. 7. 9. 21. 26

1. Timot. 2

Psal. 63. 88. 141. 143

Acto.6 *Diaconorum origo, institutio, ac functio, à Luca in Actis describitur. Cum enim murmur à Graecis excitatum esset, quòd in ministerio pauperũ, eorum uiduae negligerẽtur, Apostoli excusantes, se nõ posse sufficere utriq; muneri, et praedicationi uerbi, et mensarum ministerio, petierunt à multitudine, ut sibi eligerẽt uiros probatos septẽ, quos super id opus cõstituerent. En diaconorũ officium: pauperũ curã gerere, illisq; ministrare: unde & nomẽ habent. sic enim uocãtur, quasi ministri. Subijcit deinde Lucas eorum institutionẽ. Quos elegerãt, inquit, cõstituerunt in cõspectu Apostolorũ: & orantes, imposuerunt illis manus. Vtinã uero tales diaconos hodie haberet ecclesia, et tali ceremonia institueret: nempe, manuum impositiõe, de qua diximus, quod satis esse uisum est.*

1. Tim. 3 *Diaconorũ meminit & Paulus. quos uult esse pudicos, nõ bilingues, nõ uinolentos, non turpe lucrũ sectantes, bene institutos in fide, unius uxoris uiros, domum suã & liberos bene regentes. At uero, quos nobis isti fingunt diacones, quid habẽt simile? Nõ de hominibus loquor: ne querãtur, inique ex hominum uitijs suã doctrinã aestimari. sed pro ijs ipsis, quos doctrina sua nobis tradunt, indigne testimoniũ ab eorũ exẽplo, quos Apostolica ecclesia diaconos cõstituit,*

peti

pieti cõtendo. Aiunt ad ſuos diaconos pertinere, aſsi ſtere ſacerdotibus, miniſtrare in omnibus quæ agun tur in ſacramẽtis: ſcilicet in baptiſmo, in chriſmate, in patena & calice oblationes inferre, & diſponere in altari, cõponere menſam Domini, *& ueſtire, crucem ferre, & prædicare Euangelium & epiſtolã ad populum. An hic uerbũ unum de uero diaconorũ mi niſterio?* Nunc *inſtitutionẽ audiamus.* Diacono, *qui ordinatur, ſolus epiſcopus manũ imponit. Orariũ illi, id eſt, ſtolã ſuper læuũ humerũ collocat: ut intelli gat ſe accepiſſe iugum* Domini *leue, quo ad ſiniſtrã pertinentia diuino timori ſubijciat. textum Euangelij prebet, ut eius ſe præconẽ intelligat. Quid iſthæc ad diaconos? Perinde uero faciunt, ac ſi quis Apoſtolos ſe inſtituere diceret, quos duntaxat adolendis thuribus, ſimulacris poliẽdis, cõuerrendis templis, captan dis muribus, fugandis canibus, præficeret. Quis id hominũ genus, Apoſtolos uocari pateretur: & conferri cum ipſis Chriſti Apoſtolis? Poſthac ergo ne diaconos eſſe mentiãtur, quos nõ niſi ad hiſtrionicos ſuos ludos inſtituunt. Leuitas etiã uocãt, & ad filios Leui eorum rationẽ ac originẽ referũt. quod per me quidẽ licet: modo fateantur, quod uerum eſt, ad Leui ticos ritus et Moſaicæ legis umbras, abnegato Chri*

 ſto, ſe

sto se retrorsum abire. Nunc *semel in uniuersum constituamus, quid de sacramento ordinis sentiendum.* Ne *autē longius repetenda sint, quæ supra explicata sunt: hoc satis esse poterit modestis & docilibus (quales instituendos suscepi:) nullum esse* Dei *sacramentum, nisi ubi ceremonia ostēditur, adnexa promißione. aut certe potius, nisi promißio in ceremonia spectatur.* Hic *ne syllaba quidem habetur singularis alicuius promißionis. frustra igitur quæratur ceremonia, ad confirmandam promißionem.* Rursum, *nulla ceremonia à* Deo *constituta legitur: sacramentum igitur nullum esse potest.*

DE MATRIMONIO.

Gene. 2 Matth. 19 POstremum *est, matrimonium. quod ut à* Deo *institutum fatentur omnes: ita pro sacramento datum, nemo ad* Gregorij *usq; tempora uiderat.* Et *cui unquā sobrio in mentem uenisset?* Ordinatio Dei *bona est et sancta.* Et *agricultura, architectura, sutrina, tōstrina, ordinatiōes sunt* Dei *legitimæ: nec tamen sacramēta sunt.* Id *enim nō tantū in sacramento quæritur, ut* Dei *sit opus: sed ut sit ceremonia exterior, à* Deo *posita, ad confirmandā promißionem.*

Nihil

Nihil tale esse in matrimonio pueri quoq; indicabũt. sed: signum est, inquiunt, sacræ rei, hoc est, spiritualis cõiunctionis Christi cũ ecclesia. Si uerbo signi, symbolum intelligunt, à Deo nobis in hoc propositum, ut fidei nostræ certitudinem erigat: longe à scopo aberrant. si signum simpliciter accipiunt, quod in similitudinem adductum sit, ostendam quàm acute ratiocinẽtur. Paulus ait: Sicut stella à stella differt in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. En unum sacramentum. Christus ait: Simile est regnum cœlorum grano sinapis. En alterum. rursum, Simile est regnum cœlorum fermento. Ecce tertium. Iesaias ait: Ecce Dominus gregem suum pascet, quasi pastor. Ecce quartum. alibi: Dominus quasi gigas egredietur. Ecce quintum. Et quis tandem finis aut modus? nihil hac ratione sacramentum non erit. Quot in scriptura parabolæ sunt & similitudines, tot erũt sacramenta. Quinetiã furtum sacramentũ erit. quandoquidem scriptũ est: Dies Domini sicut fur. Quis ferat istos sophistas, tam inscite garriẽtes? Fateor quidem, quoties aspicitur uitis, optimum esse in memoriam reuocari, quod ait Christus: Ego sum uitis, uos palmites, pater meus cultor. Quoties occurrit pastor cum grege, & illud etiã occurrere bonum esse: Ego sum

1. Cor.15

ſum paſtor bonus, oues meæ uocẽ audiũt. Verũ ſi q̃s tales ſimilitudines ſacramentis adnumeret, ad anticyram mittendus ſit. Verba tamen Pauli obtrudunt, quibus ſacramenti nomẽ matrimonio attribui dicũt:
Epheſ.5 Qui uxorẽ diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unq̃ carnẽ ſuã odio habuit, ſed nutrit & fouet eã, ſicut et Chriſtus eccleſiã. quia mẽbra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius. propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erũt duo in carnem unam. Sacramentũ hoc magnum eſt. Ego autem dico, in Chriſto & eccleſia. At ſic tractare ſcripturas, terram cœlo miſcere eſt. Paulus, ut oſtenderet maritis, quã ſingulari amore uxores ſuas complecti debeant, Chriſtum illis in exemplar proponit. Vt enim ille uiſcera pietatis effudit in eccleſiam, quam ſibi deſponderat: ſic unumquemq; affectum eſſe uult erga propriam uxorem. Sequitur deinde: Qui uxorem diligit, ſemetipſum diligit, quẽadmodũ Chriſtus dilexit eccleſiam. Porrò ut doceret, quo modo Chriſtus dilexerit eccleſiam, perinde atq; ſemetipſum: imò quomodo ſe unum fecerit cum ſponſa ſua eccleſia, refert ad eum, quæ Moſes narrat Adam de ſe dixiſſe. Cum enim adducta eſſet in eius conſpectum Eua, quam è ſua coſta formatam

matam sciebat: hæc, inquit, est os ex oßibus meis, & caro de carne mea. Totum id spiritualiter impletum in Christo & in nobis, testatur Paulus: cũ membra nos esse ait corporis eius, de carne eius, & de oßibus eius: adeoq; unam cum ipso carnem. Tãdem epiphonema subnectit: Magnum hoc mysterium. Et ne quis amphibologia falleretur, exprimit, se non de carnali uiri & mulieris coniunctione loqui: sed de spirituali Christi & ecclesiæ coniugio. Et sanè uere magnum mysterium est, quòd sibi Christus costam detrahi passus est, unde formaremur: hoc est, cũ fortis esset, debilis esse uoluit, ut illius fortitudine roboraremur. ut iam non modo uiuamus ipsi, sed ille uiuat in nobis. Imposuit illis sacramenti nomen. Verum, æquum ne erat ut eorum inscitiæ pœnas tota ecclesia penderet? Mysteriũ dixerat Paulus. quam dictionem cum relinquere posset interpres, latinis auribus non infrequentem, uel arcanum uertere: sacramentum ponere maluit. nõ tamẽ alio sensu, q̃ quo græce à Paulo mysteriũ dictũ erat. Eant nunc, & linguarum peritiam clamose insectentur, quarum ignorantia in re facili & cuiuis obuia tandiu fœdiß. me hallucinati sunt. sed cur in uno hoc loco sacramenti uoculam tantopere urgent: aliquoties neglectam prætereunt? Nam & Gen. 2

epistola

1. Tim. 3 epistola ad Timotheum priore', à uulgari interprete
Ephe. 5 posita est. ac in eadē ipsa ad Ephesios epistola, ubiq; pro mysterio. Condonetur tamen ills hic lapsus: saltem mendaces oportuerat esse memores. Matrimonium uero sacramenti titulo cōmendatum, immunditiem postea, & pollutionem, & carnales sordes uocare, q̄ uertiginosa est leuitas? Quàm absurdum est arcere à sacramento sacerdotes? si à sacramento se arcere negēt, sed à coitus libidine: non ita mihi elabuntur. Nam & coitū ipsum partem esse sacramenti tradunt: eoq; demum figurari unionem, quæ nobis est cum Christo, in naturæ conformitate. quia uir & mulier nō, nisi carnali copula, caro una fiant. Quanquum duo sacramenta quidam eorum hic reppererunt: alterum Dei & animæ, in sponso & sponsa: alterum Christi & ecclesiæ, in marito & uxore. Vtcūq;, coitus tamē sacramentū est: à quo ullū Christianum arceri nefas fuit. nisi forte Christianorum sacramenta adeo male conueniūt, stare ut simul non possint. Est & altera in eorum dignitatibus absurditas. In sacramento conferri gratiam spiritus sancti, affirmant: coitum tradunt esse sacramentum: in coitu negant unquam spiritum sanctum adesse. ac ne simpliciter ecclesiam luderēt, quàm lōgam errorum,

[Left margin notes, partly cut off: ..4. sent. ..st. 27 c. 4 .. C. cū so ..ietas. 27 quæst. 2 ..oß 1 c. lex ..uinæ. Ibidem. ..b. 4. sent. ..dist. c. 2 ..32. quæ. c. quicqd ..sequen.]

menda

mendaciorum, fraudum, nequitiarum, seriem uni errori attexuerunt? Vt dicas nihil aliud, quàm abominationum latebram quæsisse, dum è matrimonio sacramentum fecerunt. Vbi enim id semel obtinuere, coniugialiũ causarum cognitionem ad se traxerunt. quippe res spiritualis erat, prophanis iudicibus, non attrectanda. Tum leges sanxerunt, quibus tyrannidem suam firmarunt: sed partim in Deum manifeste impias, partim in homines iniquißimas. quales sunt, ut coniugia inter adulescentulos, parentum iniussu conracta, firma rataq́; maneant: ne inter cognatos, ad septimum usq; gradum, legitima sint matrimonia: & quæ contracta sint, dissoluantur. Gradus uero ipsos, contra gentium omnium iura, & Mosi quoq; politiam, confingunt: Ne uiro, qui adulteram repudiauerit, alteram inducere liceat: Ne spirituales cognati matrimonio copulentur: Ne à septuagesima ad octauas paschæ, tribus hebdomadibus ante natalem Ioãnis, ab aduẽtu ad epiphaniã, nuptiæ celebrentur. et similes innumeræ, quas recensere longum fuerit. Et ex eorum cœno aliquando emergendum est, in quo iam diutius hæsit oratio, quàm animus ferebat. Aliquantulum tamen mihi profecisse uideor, quòd leonis pellem istis asinis, quadam ex parte detraxi.

DE

DE LIBERTATE CHRISTIAna, poteſtate eccleſiaſtica, & politica adminiſtratione.

CAPVT VI.



RACTANDVM nũc de *Chriſtiana libertate. cuius explicatio prætermitti minime ab eo debet, cui ſummã euangelicæ doctrinæ compendio complecti propoſitum ſit. Eſt enim res apprime neceſſaria, ac citra cuius cognitionem nihil ferè ſine dubitatione aggredi conſcientiæ audent, in multis hæſitant & reſiliunt, ſemper uariant & trepidant. ſed nos planiorem eius diſputationẽ (nam leuiter ſuprà à nobis attacta eſt) in hũc locum reiecimus. Quia ſtatim atq; iniecta eſt aliqua mentio Chriſtianæ libertatis, ibi aut feruent libidines, aut inſani motus ſurgũt: niſi mature obuiã eatur laſciuis ingenijs iſtis, quæ alioq optima quæq; peßime corrumpũt. Partim enim huius libertatis prætextu omnem Dei obedientiã excutiunt, & in effrenatam licentiam ſe proripiunt: partim indignãtur, putantes omnem moderationem, ordinem, rerumq; delectum*

lectum tolli. Quid hic agamus, talibus angustijs circumsepti? An Christiana libertate ualere iussa, huiusmodi periculis opportunitatem praecidamus? At qui (ut dictum est) nisi ea tenetur: nec Christus, nec Euangelij ueritas recte cognoscitur. Danda potius opa, ne adeo necessaria doctrinae pars supprimatur: & occurratur tamen interim absurdis illis obiectionibus, quae inde enasci solent. *Christiana libertas in tribus (ut ego quidem sentio) partibus sita est. prima, ut fidelium conscientiae, dum fiducia suae coram* Deo *iustificationis quaerenda est, sese supra legē erigāt atq; efferant, totamq; legis iustitiam obliuiscantur.* Nam *cum lex (ut alibi iam demonstratum est) neminem iustum relinquat: aut ab omni spe iustificationis excludimur, aut ab illa nos solui oportet.* Ac *sic quidem ut nulla prorsus operum ratio habeatur.* Nam *qui uel tantillum operum se afferre debere ad obtinendā iustitiam cogitat, non potest modum aut finem praefigere, sed debitorē uniuersae legis se constituit. Sublata igitur legis mentione, & omni operū cogitatione seposita unam* Dei *misericordiam amplecti cōuenit, cum de iustificatione agitur: & auerso à nobis aspectu, unum* Christū *intueri.* Nō *enim illic quaeritur, quomodo iusti simus: sed quomodo in*

C iusti

iusti et indigni, pro iustis habeamur. Cuius rei si cer titudinem aliquam assequi uolunt conscientiæ, nullum legi dare locũ debent. Neq; *hinc recte quis colligat, legem fidelibus superuacaneam esse: quos non ideo docere, & exhortari, & stimulare ad bonum desinit, tametsi apud* Dei *tribunal in eorum cõscientijs locum non habet.* Hæc *enim duo ut multo diuersissima sunt, ita probe diligẽterq; sunt à nobis distinguenda.* Tota Chri*stianorum uita, quædam pietatis*
Ephe. 1 *meditatio esse debet: quoniam in sanctificationẽ uocati sunt. In hoc situm est legis officium, ut eos officij sui admonendo, ad sanctitatis & innocentiæ studium excitet.* At *ubi conscientiæ sollicitantur, quomodo* Deum *habeant propitium, quid responsuræ sint, & qua fiducia constaturæ si ad eius iudicium postulentur: ibi nõ subducendum est quid lex requirat: sed unus* Chri*stus pro iustitia proponendus, qui omnem legis perfectionem superat.* In *hoc cardine totum ferè argumentũ epistolæ ad* Galatas *uertitur.* Nam *insulsos esse interpretes, qui docẽt* Paulũ *in ea pro ceremoniarũ tantũ libertate pugnare, ex locis ar*
Galat. 3. 5 *gumentorũ probari potest.* Quales *isti sunt: ꝙ Christus factus sit pro nobis execratio, ut nos ab execratione legis redimeret. item: in libertate, qua* Chri*stus nos*

ſtus nos liberauit, ſtate: & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini. Ecce ego Paulus dico: ſi circuncidamini, Chriſtus uobis nihil proderit. Et. qui circuncidítur, debitor eſt uniuerſæ legis. Chriſtus uobis ocioſus factus. Quicunq; per legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Quibus certe aliquid ſublimius continétur, quàm ceremoniarum libertas. Altera, quæ ex ſuperiore illa pendet: ut conſcientiæ non quaſi legis neceſſitate coactæ, legi obſequantur: ſed legis ipſius iugo liberæ, uoluntati Dei ultro obediãt. Quoniam enim in perpetuis terroribus uerſantur, quãdiu ſub legis dominio ſunt: alacri promptitudine in obedientiã Dei nunquã compoſitæ erunt, niſi huiuſmodi prius libertate donatæ. Exemplo et breuius & magis perſpicue aſſequemur, quò hæc pertineant. Legis præceptum eſt, ut diligamus Deum noſtrum ex toto corde, ex tota anima, ex totis uiribus. Id ut fiat, anima prius omni alio ſenſu ac cogitatione eſt euacuanda, cor omnibus deſiderijs expurgandũ, uires in hoc unum colligendæ & contrahendæ. Qui præ alijs multũ progreſſi ſunt in uia Domini, lõgiſſime abſunt ab hac meta. Nam etſi Deũ ex animo diligũt, et ſyncero cordis affectu, multã tamẽ adhuc cordis & animæ partẽ occupatã habẽt carnis cupiditatibus: qui-

bus retrahuntur & sistuntur, quominus citato ad Deum cursu pergant. Multo quidẽ conatu cõtendũt: sed caro partim eorũ uires debilitat, partim ad sese applicat. Quid hic faciant, dũ sentiunt nihil se minus q̃ legem præstare? Volunt, adspirant, conantur: sed nihil ea qua decet perfectione. Si legẽ intuentur, quicquid tentent aut meditentur operis, maledictũ esse uident. Nec est quòd se quisq̃ fallat, colligens opus eo ipso nõ omnino malũ esse, quia imperfectũ. & ideo quod in eo boni est, Deo nihilominus acceptũ esse. Nam lex perfectã dilectionẽ exigens, omnẽ imperfectionẽ damnat. Opus igitur suũ consideret, quod pro parte bonũ uideri uolebat: & eo ipso trãsgreßionem legis esse inueniet, quia imperfectũ est. En quomodo omnia nostra opera legis maledictioni subiacent, si ad legis modũ exigãtur. Quomodo aũt tum se alacriter accingerent ad opus infelices animæ, pro quo nõ nisi maledictionẽ se referre posse cõsiderent? Rursum si ab hac seuera legis exactiõe, uel potius toto legis rigore liberatæ, paterna lenitate se à Deo appellari audiãt, hilares & magna alacritate uocãti respondebunt, & ducentẽ sequentur. In summa, qui legis iugo adstringũtur, seruis sunt similes: quibus certæ in singulos dies operæ à Dominis indicuntur. Hi

enim

enim nihil effectum putant, nec in conspectū Domi norum uenire audent, nisi exactus operarū modus cōstiterit. Filij *uero, qui liberalius & magis ingenue à patribus tractātur, eis nō dubitāt inchoata et dimi diata opera, aliquid etiā uitij habētia, offerre: cōfisi, suam obedientiā & animi promptitudinē illis accep tā fore, etiāsi minus exacte effecerint qđ uolebāt.* Tales *nos esse oportet, qui certo cōfidamus obsequia nostra indulgētißimo patri probatū iri: quātulacūq; sint, & quantūuis rudia ac imperfecta.* Neq; *hæc fiducia parū nobis necessaria est; sine qua frustra omnia conabimur. si quidē nullo nostro opere se coli reputat* Deus, *nisi qđ in eius cultū uere à nobis fiat.* Id *aūt q posset inter illos terrores, ubi dubitatur, offendatur ne* Deus, *an colatur nostro opere?* Atq; *ea causa est, cur autor epistolæ ad* Hebræos *quicquid* Hebr. 11 *in sanctis patribus bonorū operū fuisse legitur, ad fidem referat, & ea duntaxat ex fide æstimet.* De *hac libertate illustris est locus in epistola ad* Romanos. Rom. 6 *ubi* Paulus *ratiocinatur, peccatū nō debere nobis dominari: quia nō sumus sub lege, sed sub gratia.* Cum *enim fideles hortatus esset, ne peccatū in eorū mortali corpore regnaret, neue exhiberent mēbra sua arma iniquitatis peccato, sed deo se deuouerēt tanq̄ ex*

 mortuis

mortuis uiuentes, et membra ſua, arma iuſtitiæ Deo: *illi uero cōtrà obijcere poſſent, ſe adhuc ſuã carnem ſecũ ferre plenã cōcupiſcentijs, & peccatũ in ſe habitare: ſubijcit eam cōſolationẽ à legis libertate. ac ſi diceret:* Tametſi *nondũ extinctũ peccatũ, ac iuſtitiam in ſe uiuere plane ſentiant, nō eſſe tamen cur formident, & animo deijciãtur, quaſi* Deum *ſemper offenſum habeãt ob peccati reliquias. quãdo per gratiã à lege ſint manumiſſi: ne eius regula, ſua opera examinentur.* Q*ui uero peccandũ inferunt, quia nō ſimus ſub lege: hãc libertatẽ nihil ad ſe pertinere intelligãt: cuius finis eſt, nos ad bonũ animare.* Tertia: *ut nulla rerũ externarũ, quæ per ſe ſunt* ἀδιαφόρα, *religione corã* Deo *teneamur: quin eas nunc uſurpare, nunc omittere indifferenter liceat.* Atq; *huius etiam libertatis cognitio perquam nobis necessaria eſt.* Q*uæ ſi aberit, nulla conſcientijs noſtris futura eſt quies, nullus ſuperſtitionũ finis.* V*idemur hodie plæriſq; inepti, qui diſceptationẽ mouemus de libero eſu carnium, de libero feriarum ueſtiumq; uſu, & ſimilibus (ut illis quidẽ uidetur) friuolis nugis. ſed plus iſtis ineſt momenti, q̃ uulgo creditur.* Nã *ubi ſemel ſe in laqueũ coniecerunt cōſcientiæ, longũ & inextricabilẽ labyrinthũ ingrediuntur. unde nō facilis poſtea*

exitus

exitus patet. Si quis dubitare incœperit, an sibi in linteis, indusijs, sudarijs, mãtilibus, lino uti liceat: nec de canabe postea securus erit, tandẽ & de stuppis incidet dubitatio. Secũ enim uolutabit, an nõ sine mantilib. cœnare possit? an nõ sudarijs carere? Si cui paulò delicatior cibus illicitus uisus fuerit, demũ nec cibarium panem, ac uulgaria edulia tranquillus coram Deo comedet: dum in mentẽ ueniet, se uilioribus adhuc cibis posse corpus sustentare. Si in suauiori uino hæsitarit, deinde nec uappã cum bona cõscientiæ pace bibet. postremo nec dulciorem, mundioremq; alijs aquã attingere audebit. Deniq; eò demũ ueniet, ut super transuersam (quod dicitur) festucã incedere, nefas ducat. Non enim hic leue certamen inchoatur, sed hoc controuertitur, an his aut illis nos uti Deus uelit: cuius uolũtas cõsilijs nostris ac factis omnibus præire debet. Hinc alios desperatione in confusionẽ abripi necesse est, alios contẽpto deo, et abiecto eius timore, uiam sibi ruina facere, quã expeditam nõ habeãt. Quicunq; enim tali dubitatione impliciti sunt, quoquo se uertant, præsentẽ ubiq; cõscientiæ offensionẽ uident. Scio, inquit Paulus, quia nihil cõmune Roma. 14
est (per cõmune, prophanũ accipiens:) nisi qui existimat aliquid cõmune, illi cõmune est. Quibus uerbis

res omnes externas libertati nostræ subijcit, modo eius libertatis ratio animis nostris apud Deũ cõstet. Verum si qua superstitiosa opinio scrupulũ nobis inijciat: quæ suapte natura pura erant, nobis cõtaminantur. Quare subijcit: Beatus, qui non iudicat seipsum, in eo quod probat. At q dijudicat, si ederit, cõdemnatus est: quoniã nõ edit ex fide. Porrò quod nõ est ex fide, peccatũ est. Inter huiusmodi angustias, q omnia secure nihilominus audendo se animosiores ostendũt, nõne se tantundẽ à Deo auertũt? Qui uero aliquo Dei timore penitius afficiuntur, cum & ipsi cogãtur multa admittere auersante cõscientia, formidine cõsternantur ac cõcidunt. Omnes quotquot tales sunt, nihil donorũ Dei accipiunt cum gratiarũ actione. qua tamẽn sola nobis omnia in usum nostrum san-
1. Tim. 4 ctificari, testatur Paulus. Intelligo autem gratiarum actionẽ ex animo profectã, qui Dei beneficentiam & bonitatẽ in suis donis agnoscat. Nã multi quidem eorũ, Dei bona esse intelligunt, quibus utuntur, & Deum in operibus suis laudãt. sed cum sibi data esse persuasum nõ habeãt, quomodo gratias Deo agerẽt tanq̃ datori? Videmus in summa, quorsum hæc tẽdat libertas: nempe, ut Dei donis, nullo conscientiæ scrupo, nulla animi perturbatione, utamur, in quẽ usum nobis

nobis à Deo data ſunt: qua fiducia et pacem cum eo habeant animæ noſtræ, & eius erga nos largitatem agnoſcant. Eſt autē diligenter obſeruandum, Chriſtianā libertatē omnibus ſuis partibus rē ſpiritualem eſſe: cuius tota uis in formidoloſis cōſcientijs coram Deo pacificandis poſita ſit. ſiue de peccatorū remiſſione inquietæ ſint ac ſolicitæ: ſiue anxiæ ſint, utrū opera imperfecta & uitijs carnis noſtræ inquinata, Deo placeāt: ſiue de rerū indifferentiū uſu torqueantur. Quare peruerſè interpretantur, uel qui ſuis cupiditatibus ipſam prætexunt, ut bonis Dei donis abutantur in ſuā libidinē: uel qui nullā eſſe putant, niſi coram hominibus uſurpatā, ideoq; in ea utenda, nullam infirmorum fratrum rationē habent. Primo genere maiorē in modum hoc ſeculo peccatur. Nullus ferè eſt, cui ſumptuoſo eſſe per facultates liceat, quē nō delectet in cœnarum apparatu, in cultu corporis, in extruēdis domibus, luxurioſus ſplendor: qui non omni lautitiarū genere inter alios eminere uelit, qui non ſibi in ſuo nitore mirifice blandiatur. Et hæc omnia ſub Chriſtianæ libertatis prætextu defenduntur. Aiunt res eſſe indifferentes. fateor: modo ijs indifferenter quis utatur. Cæterum ubi nimis cupidè appetūtur, ubi ſuperbè iactātur, ubi luxurioſè effun

duntur, ijs uitijs conspurcantur. Inter res indifferen
Tit.1 *tes optime distinguit illud* Pauli: *Omnia munda mun*
dis. coinquinatis autem et infidelibus, nihil mũdum:
quando polluta est eorum mens & conscientia. Cur
Luc.6 *enim maledicuntur diuites, qui consolationem suam*
Amos.6 *habẽt, qui saturati sunt, qui nunc rident, qui dormiũt*
Iesa.5 *in lectis eburneis, qui coniungunt agrum agro: quo-*
rum conuiuia cytharam, lyram, tympanũ, & uinum
habent? Certe, & ebur, & aurum, & diuitiæ, bonæ
Dei *creaturæ sunt, hominũ usibus permissæ: imò dei*
prouidẽtia destinatæ. Nec *ridere aut saturari, aut no*
uas possessiones ueteribus atq; auitis adiungere, aut
cõcentu musico delectari, aut uinum bibere, usquam
prohibitum est. Verum istud quidem. sed ubi rerum
copia suppetit, in delitijs uolutari, ac se ingurgitare,
mentem & animũ inebriare præsentibus uoluptati-
bus, nouisq; semper inhiare: hæc à legitimo donorũ
Dei *usu longissime absunt. Tollant ergo immodera-*
tam cupiditatẽ, tollant immodicã profusionem, tol-
lant uanitatẽ & arrogantiã: ut pura cõscientia, Dei
donis pure utantur. Vbi ad hanc sobrietatem animus
compositus fuerit, habebunt legitimi usus regulam.
D*esit rursum hæc moderatio, plebeiæ cõmunesq; de*
litiæ nimiæ sunt. N*ã illud uere dicitur: In burrho &*
rudi

rudi panno, sæpe animum purpureum habitare: interdum sub bysso et purpura simplicē humilitatē latere. Ita in suo quisq; ordine uel tenuiter, uel modice, uel splendide uiuat: ut meminerint omnes se à Deo ali, ut uiuant, nō ut luxurientur. ac legem hāc Christianæ libertatis putent, si cum Paulo didicerint, in quibus sunt, ijs contenti esse. si norint & humiles esse, & excellere. si docti sint ubiq, & in omnibus, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati? Philip. 4

Errant et in eo plæriq;, quòd perinde ac si sua libertas incolumis ac salua non esset, nisi testes haberet homines, promiscue & imprudēter ea utūtur. Qua importuna usurpatiōe infirmos fratres sæpenumero offendunt. Videas hodie quosdā, quibus sua libertas non uidetur consistere, nisi per esum carnium die ueneris in eius possessionē uenerint. Quòd edunt, non reprehendo. sed exigenda est ex animis falsa istæc opinio. siquidem cogitare debebant, nihil se sua libertate nouum consequi in hominū conspectu, sed apud Deum: & tam in abstinendo constitutam esse, q̃ in utendo. Si corā Deo nihil referre intelligunt, uescantur ne carnibus, an ouis: rubrisúe, an nigris uestibus induantur: satis superq; est. Iam soluta est cōscientia, cui eius libertatis beneficiū debebatur. Ergo etiamsi

post

posthac carnibus tota uita abstineãt, & colorẽ unũ perpetuo ferant, nõ minus liberi sunt. Imò ideo liberi sunt, quia libera cõscientia abstinent. Pernitiosissime uero labuntur, quòd fratrũ infirmitatẽ nullius pensi habent: quã sic sustineri à nobis decet, ne quid teme re admittamus cũ eius offendiculo. Verũ interdum quoq; interest, corã hominibus asseri nostrã libertatem. Et hoc fateor. modus tamen summa cautione te nẽdus est: ne infirmorũ curã, quos nobis tantopere D*ominus cõmendauit, abijciamus. Dicã hic itaq; de scãdalis nõnihil, quo in discrimine habẽda sint, quæ cauenda, quæ item negligenda: unde postea statuere liceat, quis sit inter homines libertati nostræ locus.*

P*lacet autẽ uulgaris illa partitio, quæ scandalum aliud datum, aliud acceptum tradit: quando & aper tum scripturæ testimonium habet, nec inepte exprimit quod significat. Si quid importuna aut leuitate, aut lasciuia, aut temeritate, nõ ordine, nec suo loco facias, quo imperiti imbecillesq; offendãtur: scanda lum abs te datum dicetur: quoniam tua culpa factum fuerit, ut eiusmodi offensio suscitaretur. Ac omnino scandalum in re aliqua datum dicitur, cuius culpa ab autore rei ipsius profecta est. Scandalum acceptum uocatur, cum res alioqui non improbe, nec importune admissa,*

ne admissa, maleuolentia, aut sinistra quadam animi malignitate, in offensionis occasionē rapitur. Non enim hic datum erat scandalum: sed sinistri illi interpretes sine causa accipiunt. Priore illo scandali genere, non nisi infirmi offenduntur: hoc autem secundo acerba ingenia & pharisaica supercilia. Quare alterum uocabimus scandalum infirmorum, alterum pharisæorum. ac sic libertatis nostræ usum temperabimus, ut fratrum infirmorum ignorantiæ cedere debeat; pharisæorum austeritati nequaquam. Quid enim infirmitati dandū sit, abunde multis locis ostendit Paulus. Infirmos, inquit, in fide suscipite. item: Ne posthac alius aliū iudicemus. Verum illud magis, ne offendiculum ponatur fratri, aut lapsus occasio. Et multa in eum sensum: quæ ex eo loco peti satius est, quàm hic referri. Summa est: ut nos, qui potentes sumus, infirmitates impotentium sufferamus, nec placeamus nobis ipsis. Sed unusquisque nostrûm proximo placeat in bonum, ad ædificationem. Alibi. sed uidete, ne quo modo facultas uestra offendiculo sit ijs, qui infirmi sunt. itē: Omnia quæ in macello uendūtur edite, nibil interrogātes ꝑpter cōscientiā: porrò cōscientiā uestrā dico, non alterius. Deniq; tales estote, ut nullū præbeatis offendiculum, neq; iudæis

Rom. 14

1 Cor. 8. 10

Gal. 5

neq;

neq; græcis, neq; ecclesiæ Dei. alio etiã loco: In liber tatem uocati estis fratres, tantũ ne libertatẽ uestram detis in occasionem carni, sed per charitatem seruite uobis inuicem. Ita est sanè. Libertas nostra non ad uersus imbecilles proximos data est, quorum nos per omnia seruos charitas statuit: sed magis, ut pacẽ cum Deo in animis nostris habentes, pacifice etiam inter homines uiuamus. Pharisæorũ autem offensio quan
Matth.15 ti sit facienda, discimus ex uerbis Domini: quibus iubet omitti illos, q̃a cæci sunt, duces cæcorũ. Admonuerant discipuli, eos sermone ipsius offensos fuisse. Respondet: negligendos, nec curandam esse eorum offensionem. Res tamen adhuc incerta pendet: nisi teneamus, qui nobis sint habẽdi infirmi, et qui Pharisæi. quo discrimine sublato, nõ uideo q̃s prorsus restet inter offensiones libertatis usus, q̃ nũq̃ sine summo periculo foret. Verũ mihi clarißime definijsse uidetur Paulus, tũ doctrina, tum exẽplis, quatenus uel moderanda sit libertas nostra, uel offendiculis redi-
Actor.19 mẽda. Timotheũ cũ in cõsortiũ suum assumeret, cir
Galat.2 cũcidit: Titum, ut circũcideret, adduci nõ potuit. Diuersa facta: nulla cõsilij, nec animi mutatio. nẽpe, in circũcidẽdo Timotheo, cum liber esset ab omnibus,
1. Cor.9 omnib. semetipsum seruum fecit: & factus est Iudæis quasi

quaſi Iudæus, ut Iudæos lucrifaceret: ijs qui ſub lege erāt, quaſi eſſet ſub lege, ut eos q ſub lege erāt lucrifaceret: ijs q ſine lege erāt, quaſi eſſet ſine lege, ut eos lucrifaceret qui erant ſine lege. infirmis, quaſi infirmus, ut infirmos lucrifaceret, omnib. omnia: ut multos ſeruaret. quēadmodū alibi ſcribit. Habemus *iuſtā* 1. Cor. 9 *libertatis moderationem, ſi cū fructu aliquo indifferenter cōtineri poſſit. Quid reſpexerit cum Titū circūcidere fortiter abnuit, ipſe teſtatur, ſic ſcribēs: Sed neq; Titus, qui mecū erat, cum eſſet græcus, cōpulſus* Galat. 2 *fuit circūcidi: propter obiter ingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierāt ad explorandū libertatem noſtrā, quā habemus in Chriſto Ieſu, quo nos in ſeruitutem adigerent: qbus ne ad tempus quidē ceſſimus per ſubiectionē, ut euāgelij ueritas maneret apud uos.* Habemus *& neceſſitatem uindicandæ libertatis, ſi per iniquas exactiones pſeudapoſtolorū ea infirmis cōſcientijs periclitatur. Vbiq; ſtudēdū charitati, & ſpectanda pximi ædificatio. Omnia, inqt alibi, mihi licēt: at omnia nō expediūt. Omnia mihi licēt: at nō omnia* 1. Cor. 10 *ædificāt. Nemo quod ſuū eſt quærat, ſed quod alterius. Nihil iā hac regula expeditius: quàm, utendū libertate noſtra, ſi in pximi noſtri ædificationem cedat: ſin ita proximo nō expediat, ea tunc abſtinendum.*

dum. ſunt qui Paulinam prudentiam ſimulant in abſtinẽtia libertatis, nihil minus q̃ in officia charitatis eã cõferẽtes. Suæ enim quieti ut cõſulãt, omnẽ libertatis mentionẽ ſepultã optant. cũ non minus interſit ꝓximorũ, libertatẽ in eorũ bonũ & ædificationem interdum uſurpare: quàm pro ipſorũ cõmodo, eam loco moderari. Quicquid autem de cauẽdis offendiculis docui, ad res medias & indifferentes referri uolo. Nam quæ neceſſaria ſunt factu, nullius offendiculi timore omittenda ſunt. Equidem & hic charitatis rationem haberi decet, ſed uſq; ad aras: hoc eſt, ne in gratiam proximi, Deum offendamus. Non probo eorum intemperiem, qui nihil niſi tumultuando agunt, & qui perrumpere omnia malunt, quàm diſſuere. At nec eos audio, qui cùm in mille impietatis formas duces ſe prebent, ſic ſibi agendũ fingunt, ne proximis ſint offendiculo. quaſi non interim proxi-
1. Cor. 8 *morum conſcientias in malum ædificent: præſertim ubi nulla ſpe exitus, in eodẽ ſemper hærent luto. Et ſuaues homines, ſeu doctrina, ſeu uitæ exẽplo ſit inſtituendus proximus, aiũt lacte paſcendũ eſſe: quem peßimis exitialibusq; opinionibus imbuũt. Lactis po-*
1. Cor. 3 *tu ſe aluiſſe Corinthios Paulus cõmemorat. Sed ſi tũ inter eos fuiſſet miſſa, an ſacrificaſſet, ad præben-*

dum

dum ipsis lactis pastum? At lac uenenũ nõ est. Mentiuntur ergo, se alere, quos sub blanditiarũ specie crudeliter necãt. Atq; ut demus, probandam ad tempus istiusmodi dissimulationẽ, quousq; tamen pueros suos eodem potabunt lacte? Nam si nunquã grandescunt, ut uel tenuem saltẽ aliquem cibũ ferre possint, nec lacte fuisse unquam educatos certum est. Iam uero cũ hac libertatis prærogatiua, qualẽ antea descripsimus, donatæ fideles conscientiæ, id Christi beneficio consecutæ sint, ne ullis obseruationum laqueis in ijs rebus implicentur, in quibus eas esse liberas Dominus uoluit: omnium hominũ potestate exemptas esse constituimus. Est enim indignum, aut Christo gratiam tantæ suæ liberalitatis perire: aut conscientijs ipsis fructum. Neq; res leuicula existimanda nobis est, quam uidemus tanti Christo constitisse. Vt pote, quam non auro aut argento, sed proprio sanguine æstimauit. ut Paulus non dubitet dicere, irritam fieri eius mortẽ, si animas nostras hominibus in subiectionem tradimus. Siquidem non aliud agit aliquot capitibus epistolæ ad Galatas, quàm Christum nobis obscurari, uel potius extingui, nisi in sua libertate stent conscientiæ nostræ: à qua certe exciderunt, si possunt hominum arbitrio, legum ac constitutio-

num uinculis illaqueari. Verum ut res est cognitu dignissima, ita lõgiori magisq́; perspicua explicatione indiget. Statim enim atq; de humanarum constitutionum abrogatione uerbum factum est, ingentes turbæ partim à seditiosis, partim à calũniatoribus commouentur: quasi uniuersa simul tollatur ac subuertatur hominum obedientia. Ad eum ergo lapidem ne quis impingat, animaduertamus duplex esse in homine regimen: alterum spirituale, quo conscientia ad pietatem & cultum Dei instituitur: alterum politicum, quo ad humanitatis & ciuilitatis officia, quæ inter homines seruanda sunt, homo eruditur. Vulgo appellari solent, iurisdictio spiritualis, et temporalis: non improprijs nominibus. quibus significatur, priorem illam regiminis speciem ad animæ uitam pertinere: hanc autẽ, in his, quæ præsentis uitæ sunt, uersari. non quidem in pascendo, aut uestiendo: sed in præscribendis legibus, quibus homo inter homines uitam honeste modesteq́; exigat. Nam illa in animo interiori sedem habet: hæc autem externos mores duntaxat componit. Alterum uocare nobis liceat regnum spirituale, alterum regnum politicum. Hæc autem duo, ut partiti sumus, seorsum singula dispicienda: & dum alterum tractatur, auocandi auertendiq́; ab alterius

ab alterius cõgitatione animi. Sunt enim in homine
ueluti mũdi duo, quibus et uarij reges, et uariæ leges
præesse possunt. Cum ergo ad hoc spirituale re-
gnum pertineat, quicquid de Christiana libertate à
nobis dictum est, in hoc sermone nullum aduersus
politicum legum aut legislatorum ordinem nobis cer
tamen est: sed contra potestatem, quam usurpant si-
bi, qui pastores ecclesiæ uideri uolunt: re autem uera
sæuissimi sunt carnifices. Quas enim leges condunt,
spirituales esse aiunt, ad animam pertinentes: & eas
ad uitam æternam necessarias affirmant. sic autem
regnum Christi inuaditur, sic libertas ab ipso fide-
lium conscientijs data, opprimitur penitus ac disijci-
tur. Taceo nunc, quanta impietate legum suarum ob
seruationem faciant: dum ex ipsa & peccatorum re
mißionem, & iustitiam quærere docent: dum totam
religionis & pietatis summam in ipsa statuunt. Hoc
unum cõtendo, neceßitatẽ imponi conscientijs non
debere, in quibus rebus à Christo liberãtur: nec nisi
liberatæ (ut antea docuimus) quiescere apud Deum
possunt. Vnicũ regem agnoscãt, suũ liberatorẽ Chri
stum: & una libertatis lege, nẽpe sacro Euãgelij uer
bo, regantur oportet: si gratiã, quã in Christo semel
obtinuerũt, retinere uolũt. nulla seruitute teneãtur,

nullis uinculis adſtringantur. Fingunt quidem Solones iſti, ſuas cōſtitutiones, leges eſſe libertatis, ſuaue iugum, onus leue: ſed mera eſſe mendacia quis non uideat? Nullam ipſi quidem legum ſuarū grauitatem ſentiunt, qui abiecto Dei timore, tam ſuas quàm diuinas leges ſecure ac ſtrenue negligunt. Qui uero aliqua ſalutis ſuæ cura tanguntur, plurimū abeſt ut ſe liberos exiſtiment, quamdiu his laqueis implicantur.

1. Cor. 7 *Videmus quanta cautione uerſatus ſit in hac parte Paulus, ut ne una quidem in re laqueū inijcere auſus fuerit. neq; id nulla cauſa. Proſpiciebat certe quantum ulnus infligeretur conſcientijs, ſi earum rerum neceſſitas illis imponeretur, quarū relicta eſſet à Domino libertas. Contrà, numerari uix poſſunt conſtitutiones, quas iſti grauiſsime æternæ mortis denunciatione ſanxerunt, quas ſeueriſsime exigunt, ſeu ad ſalutem neceſſarias. & in his permultæ ſunt obſeruatu dificillimæ: omnes uero in turba impoſsibiles. tantus eſt aceruus. Quî ergo fieri poterit, ut non extrema anxietate & terrore perplexi urantur, quibus tanta difficultatis moles incumbit? Quare breuiter ex ijs, quæ iam docuimus, cōſtituendū eſt: nullis talibus cōſtitutionibus cōſcientias noſtras apud Deum obſtringi, quæ in hoc ferūtur, ut animas intus coram*

Deo

Deo ligent: et religionẽ iniiciant, ac si de rebus ad salutẽ necessariis praeciperẽt. Tales aũt sunt oẽs, quae ecclesiasticae cõstitutiones hodie uocantur: quae pro uero ac necessario Dei cultu ingerũtur. Atq; ut sunt innumerae, ita infinita sunt ad captãdas illaqueãdasq; animas uincula. Quid igitur? Nulláne est potestas ecclesiastica? Haec enim cogitatio simpliciores multos anxios habet, quibus nos potissimũ scribimus. Respõdemus, Esse sanè: sed quae in aedificationem data sit, ut Paulus testatur, non in destructionẽ. qua qui legitime utũtur, nihil se plus esse existimãt, q̃ ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Eã recte definierit, q appellarit uerbi Dei ministeriũ. his enim finibus à Christo terminata est, cũ mandauit Apostolis, irent, ac docerẽt omnes gentes, quaecunq; illis praeceperat. Cuius mãdati legem utinã sibi propositam esse meminissent, qui ecclesiae Dei olim praefuerunt, & nunc etiã praesunt. ita, & ueris pastoribus praeclare sua cõstaret dignitas: nec de potestate falso gloriarentur, qui populum Dei plusquam tyrannica iniquitate uexãt. Nam hic memoria repetendum est, quod obiter quodã loco indicauimus. Quicquid autoritatis ac dignitatis scriptura, siue prophetis, siue sacerdotibus, siue Apostolis, siue Apostolorum suc-

2. Cor. 10 & 13

1. Cor 4

Matth. ult.

 cessoribus

cessoribus defert: id totum non hominibus ipsis dari, sed ministerio, cui praefecti sunt. Vel (ut expeditius loquamur) uerbo Dei, in cuius ministeriũ uocati sunt. Vt enim ordine omnes persequamur, tã prophetas & sacerdotes, q̃ Apostolos & discipulos: nõ reperiemus ulla iubendi, docendi, aut respondendi potestate fuisse praeditos, nisi in nomine & uerbo Domini. Mosche ipsum, prophetarũ omniũ primũ, audiri uoluit Dominus. Sed quid ille mãdauit, aut omnino nunciauit, nisi à Domino? neq; enim aliud poterat. Prophetas suos olim cõstituit super gentes & re-

Iere. 1 *gna, ut euellerent & extirparent, perderent & subuerterent, aedificarent & plantarent. sed simul additur: Ideo q̃, iam in eorum ore uerba sua dederat. Neq; enim ex ipsis pphetis ullus os aperuit, nisi Domino uerba praeeunte. Vnde illa toties apud eos repetita:* Verbũ Domini, *onus* Domini, Os Domini *locutum est*, Visio *à* Domino, Dicit Dominus *exercituũ. Et*

Iesa. 6 *merito. Exclamabat enim Iesaias, polluta sibi esse la-*

Iere. 1 *bia. Ieremias, se nescire loqui fatebatur, q̃ puer esset. Quid ab illius polluto, aut huius fatuo ore pdire poterat, nisi immundũ aut insulsum, si suũ ipsi sermonẽ locuti essent? sancta uero & pura illis labia fuerunt, cum spiritus sancti cœperũt esse organa. Ac quae in*

uniuersum

uniuersum fuerit prophetarũ functio, pulchre apud Ezechielẽ describitur: Fili hominis, speculatorẽ dedi te domui Israël. audies igitur ex ore meo uerbũ, et nunciabis illis ex me. Qui audire iubetur ex ore Domini, nõne quicq̃ ex se cõminisci ꝓhibetur? Quid uero est nũciare à Domino, nisi sic loqui, ut cõfidenter iactare poßit, nõ suũ esse, sed Domini uerbũ quod attulerit? Tãtundẽ est apud Ierem. alijs uerbis: Propheta apud quẽ est somniũ, narret somniũ: & qui habet uerbũ meũ, loquatur uerbũ meum uerũ. Quid paleis ad triticũ? inquit Dominus. De sacerdotibus quoq; præcepit Dominus, ut uerbũ legis ex eorũ ore requireretur. sed causam simul adiecit: Quia angeli Domini exercituũ sunt. Iam & in Apostolos respiciamus. Multis quidẽ et insignib. elogijs ornãtur, ꝙ lux mundi sint, & sal terræ: ꝙ pro Christo audiendi: ꝙ quæcunq; in terra ligauerint, aut soluerint, ligata erũt ac soluta in cœlo. Verũ suo nomine præ se ferũt, quantũ sibi in suo munere permißũ sit. Apostolos esse oportet, qui nõ garriant quicquid collibitũ fuerit: sed mandata eius, à quo mißi sunt, bona fide perferant. Ecce, dicebat illis Christus, quemadmodum misit me uiuẽs pater, ita & ego mitto uos. Quomodo aũt à patre missus fuerit, altera sua uoce testatur. Do-

Ezech. 3
Iere. 23
Deut. 17
Mal. 2
Matth. 5
Luc. 10
Ioan. 20
Ioan. 20

Ioan.7 ctrina, inquit, mea nõ est mea: sed eius, qui me misit, patris. Hanc legem, quam sibi Christus quoque imposuit, Apostolis profecto, & Apostolorum successoribus, detrectare nefas fuerit. Quanquã longe etiam diuersissima est ratio. Ipse enim æternus ac unicus patris cõsiliarius, qui in eius sinu semper fuit,
Coloss. 2 sic à patre accepit, ut simul omnes scientiæ & sapientiæ thesauros habuerit in se recõditos. Ex hoc fonte hauserunt omnes prophetæ, quicquid unquam cœlestium oraculorũ ediderunt. Ex eodẽ Adam, Noah, Abraham, Isaac, Iacob, & alij, quoscunq; ab initio Deus sui cognitione dignatus est, hauserunt & ipsi quoq;, quicquid cœlestis doctrinæ didicerunt. Nam si fuit illud perpetuo uerum (ut certe fuit) quod dice-
Ioan.1 bat Ioannes baptista: Neminẽ unquã Deum uidisse, sed unigenitum filium, qui est in sinu patris, enarra-
Matth.11 uisse nobis. et alterũ ipsius Christi uerbũ: Quod nemo patrem uiderit, nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare. quomodo Dei mysteria, aut animo comprehendissent, aut elocuti essent, nisi docente filio, cui soli patent arcana patris? Deum itaq; non aliter cognouerunt sancti illi homines, quàm ipsum in filio, uelut in speculo, intuiti: nec aliter de Deo uaticinati sunt prophetæ, quã eiusdem filij spiritu. seu quis ita dici malit:

malit: non alia ratione se unquam manifestauit homi nibus Deus, *quàm per filium, hoc est, unicam suam sapientiam, lucem, ac ueritatem.* H*æc uero sapiẽtia, tametsi sese antea uarijs modis exeruerat: nec sic qui dẽ tamẽ adhuc ad plenũ elucebat.* V*erũ ubi demum in carne manifestata est, quicquid humana mente de* Deo *cõprehendi potest, & quicquid cogitari debet, pleno ore nobis edisseruit.* N*õ enim pfecto uulgare aliquid prædicare uoluit* A*postolus, cũ scripsit* D*eũ* Hebr. 1 *olim multifariã multisq; modis patribus locutũ fuisse per pphetas, at extremis his dieb. nobis in dilecto fi lio suo locutũ esse.* S*ignificat enim, imò aperte declarat,* D*eũ non posthac, ut antea, per alios subinde atq; alios locuturũ: nec pphetias additurũ prophetijs, aut reuelationes reuelationibus: sed sic oẽs docendi partes in filio suo cõpleuisse, ut hoc ultimũ æternũq; ab eo nobis habendũ sit testimoniũ.* Q*ua ratiõe totum hoc noui testamenti tempus, ex quo cũ* E*uangelij sui prædicatione nobis apparuit* C*hristus ad diem usq; iudicij, per horã nouissimã, nouissima tẽpora, nouissi mos dies (ut alibi obiter indicauimus) designatur.* Q*uò, perfectiõe doctrinæ* C*hristi cõtenti, discamus nullã ultra nouã aut nobis fingere, aut ab alijs confi ctã admittere.* I*taq; nõ temere pater filiũ ad nos mit-* Matth. 17

 tens,

tens, singulari prærogatiua doctorē nobis præfecit: ipsum, non hominū quenq̄, audiri præcipiens. Paucis quidē uerbis nobis eius magisteriū cōmendauit, cum dixit: Ipsum audite. sed quibus inest plus quiddā ponderis ac energiæ, q̄ uulgo existimetur. Perinde enim est, ac si ab omniū hominū doctrinis adductos, huic uni nos stitisset, ab uno omnē salutis doctrinā petere iußisset, ab uno pendere, in uno hærere. deniq; (qđ uerba sonāt) uni auscultare. Et sanè, quid iā ab homine aut expectari, aut expeti debeat, ubi uerbū ipsum uitæ familiariter nobiscū in carne nostra uersatū est? Nisi forte spes sit, ab homine posse Dei sapientiā superari. Quin omniū hominū ora clausa esse cōuenit, postq̄ semel locutus est ille, in quo cœlestis pater oēs scientiæ & sapientiæ thesauros uoluit esse abscondi tos. Et sic quidē locutus est, ut & Dei sapientiā (quæ nulla in parte hiulca est) & Meschiah (à quo omniū
Ioan. 4 *reuelatio expectabatur) decebat: hoc est, ut alijs post se nihil dicēdū reliquerit. Vnū, inquā, Christū tacentibus omnibus loqui, unū omnib. omißis & contemptis audiri oportet. Hoc enim eius proprium est, ut*
Matth. 7 *doceat quasi potestatē habens. Et nihil apertius dici*
Matth. 23 *poterat, q̄ quod ipse ait discipulis: Vos aūt nolite uocari rabbi. unus enim magister uester Christus. Deinde*

inde, quo altius eorũ animis uerbum illud insideret, bis eodẽ loco repetit. Hoc ergo unum Apostolis relictum est, & eorũ successoribus etiamnũ restat, eam legẽ diligẽter retinere, qua eorũ legationẽ Christus limitauit, cum iußit: Irent, ac docerẽt omnes gentes, Matth. ult.
nõ quæ temere ipsi apud se essent fabricati, sed quæcunque ipsis præceperat. Nec aliud aut sibi, aut alijs reliquit Apostolus Petrus, optime à magistro edoctus, quantũ sibi liceret: Qui loquitur, inquit, loquatur sermones Dei. 1. Pet. 4
Quid hoc aliud est, q̃ omnes humanæ mentis inuentiones (à quocunque tandẽ capite profectæ sint) arcere: ut purus sermo dei in fidelium ecclesia doceatur ac discatur? omniũ hominũ, cuiuscunque sint ordinis, placita tollere: ut solius Dei decreta statuãtur? Hæc sunt arma illa spiritualia, potentia 2. Cor. 10
Deo, ad demolitionẽ munitionũ: q̃bus cõsilia demoliãtur fidi Dei milites, et omnẽ celsitudinẽ, quæ extollitur aduersus cognitionẽ Dei: & captiuã ducant omnẽ cogitationẽ, ad obediendũ Christo: & promptã habeãt uindictã, aduersus omnẽ inobediẽtiã. En plane ac perspicue definitã potestatem, qua ecclesiæ pastores, quocunque demũ nomine uocẽtur, præditos esse conuenit: nempe, ut uerbo Dei, cuius positi sunt ministri ac dispẽsatores, cõfidẽter omnia audeãt: eius maiestati omnẽ mundi uirtutẽ, gloriã, sublimitatem,

cædere atq; obedire cogant: ipso omnibus, à summo usq; ad nouissimum, imperent: Christi domum ædificent, Satanæ regnum subuertāt: oues pascant, lupos interficiant: dociles exhortentur & instituant, rebelles & peruicaces arguant, increpent, reuincant, soluant, ligent, fulgurent deniq; & fulminent: sed omnia in uerbo Dei. *Istæc uero potestas si cum ea conferatur, qua se hactenus in populo* Dei *uenditarunt spirituales isti tyranni, qui episcopos & animarum rectores simulant, nihilo melior erit consensus, quàm* Christo *cum* Belial. Primū *quidem, fidem nostram suo arbitrio stare & cadere uolūt: ut quicquid ipsi in utranq; partem constituerint, firmum animis nostris statumq; sit.* Vt *siue quid probauerint, ipsum nobis nulla dubitatione probari: siue quid damnauerint, ipsum quoq; pro damnato esse oporteat.* Hinc *illa inter eos axiomata:* Penes *ecclesiam esse, condere fidei articulos:* Ecclesiæ *autoritatem sacræ scripturæ autoritatem æquare:* Christianū *non esse, nisi qui in omnia sua dogmata, tā affirmatiua quàm negatiua, uel implicita uel explicita fide, certo cōsentiat.* Et *eiusdem formæ alia quædam.* Deinde *uolunt & conscientias nostras suo imperio subiectas esse, ut quascunq; leges tulerint, nos maneat obediendi necessitas,*

cessitas. Interim sua libidine, cōtemptoq; Dei uerbo, cudunt dogmata, quibus certam postea fidem haberi postulent: & leges scribunt, quarum necessariam faciant obseruationem. Atqui hanc in asserendis nouis dogmatibus & condendis fidei articulis licentiam, quam Apostolis ipsis sublatā esse nuper ostendimus, sibi nō iure uendicāt. Quodsi nōdum acquiescunt, Paulus certe se fidei Corinthiorū negabat dominari quorū à Domino erat ordinatus Apostolus. Si hāc docendi libertatem agnouisset, nunquam hanc disciplinam tradidisset eorum ecclesiæ, ut duobus aut tribus loquentibus prophetis, cæteri dijudicarent. Quodsi alteri sedenti reuelatum esset, prior taceret. Sic enim nemini pepercit, cuius autoritatem uerbi Dei censuræ nō subijceret: sed multo adhuc clarius alibi, fidem nostram ab omnibus hominum traditionibus ac figmentis liberat, cum ait, fidem esse ex auditu, auditum autem per uerbū Dei. Scilicet, si à solo Dei uerbo pendet fides, si in illud solum respicit & recumbit, quis iam hominis uerbo locus relinquitur? Legum uero ferēdarū potestas cū & ipsa Apostolis incognita fuerit, & toties ecclesiæ ministris, per uerbū Dei, adempta: miror quî eam, præter apostolorum exemplum, & contra manifestum Dei interdictum, ad se trahere

2. Cor. 1

1. Cor. 14

Rom. 10

trahere ausint. Non enim ambiguum est quod scri-
Iacobi 4 bit Iacobus: Qui iudicat fratrem, iudicat legem. Qui
legem iudicat, non est obseruator legis, sed iudex.
Vnus autem legislator, qui potest seruare & perdere.
Iesa. 33 Idipsum apud Iesaiam dictum erat, quanquam paulo
obscurius: Dominus rex noster, Dominus legislator
noster, Dominus iudex noster, ipse saluauit nos. Audimus ab Iacobo uitæ & mortis arbitrum pronunciari, qui ius habet in animam. Cum autem id sibi nemo hominum sumere poßit: Deum igitur unicum animarũ regem agnosci oportet, penes quem unum seruãdi perdendiq; potestas est: aut (ut illa Iesaiæ uerba sonant) & regem, & iudicem, & legislatorem
1. Pet. 5 & saluatorem. Petrus quoque, cum pastores officij sui admonet, sic gregem pascere hortatur, ne dominia exerceãt aduersus cleros. quo nomine hæreditatem Dei, hoc est, fidelium populum significat. En præcisum, adeóque à radice reuulsum quicquid sibi potestatis uendicant, qui se sine uerbo Dei efferre uolunt. Non enim quicquam Apostolis datum, quo suam ipsi doctrinam & suum regnum stabiliant: sed duntaxat, quo regnũ ac doctrinã Dei magnificent. Audio, quid ipsi pro se respondeãt: Suas traditiones non à se, sed à Deo esse. non enim se propria com

menta

menta effutire: sed quod à spiritu sancto acceperint, ueluti per manus tradere Christiano populo, cui regendo, diuina prouidentia, præfecti sunt. Rationes *etiam, quibus idipsum confirment, addunt.* Luculen*tas extare promissiones, quibus Christus, spiritus sui præsentiam ecclesiæ suæ nunquam defuturam pollicetur.* Extare *præclara elogia, quibus diuina uoce insignita est: quòd sancta sit & immaculata, sine ruga, sine macula, & quæ in eandem sententiam ex scripturis afferri possunt. Quare si cui iam dubia sit ecclesiæ autoritas, eum non in ecclesiam modo, sed in Christi quoque spiritum impium ac contumeliosum esse, cuius ductu ecclesia proculdubio regitur. Qua ratione pro ethnico & publicano haberi uoluit Christus, qui ecclesiam non audierit.* Itaque, *eorum opinone istud constanter conuenire inter omnes debet:* Ecclesiam *errare non posse, in his quæ necessaria sunt ad salutem.* Iam *uero quod de ecclesia dicitur, id totũ sibi cõpetere aiun.* Aut *enim ecclesiam totam corruere: aut sese cõsistere, quorum humeris sustineatur ipsa, ac consistat.* Eandem *ergo certitudinem ueritatis, quæ apud ecclesiam est, habere etiam ecclesiæ concilia: quibus*

Ephe.5

Matth.18

quibus ipſa uere repreſentatur, & ne errare poßint, immediate regi à Spiritu ſancto. His autem impetratis, ſimul conficitur, eorũ traditiones, ſpiritu ſancto eſſe reuelationes: quæ niſi impiæ ac Deo con*tempto, contemni nequeãt. Et ne quid tentaſſe uideantur ſine magnis autoribus, bonam ſuarum obſeruationũ partem ab* Apoſtolis *fluxiſſe credi uolunt. Cuiuſmodi ſunt pro defunctis orationes, & uniuerſa penè ſuarũ ceremoniarũ diſciplina. Id enim extra controuerſiam ponũt, reuelata apoſtolis plæraque à Chriſti aſcenſu, quæ ſcriptis comprehenſa non ſint.*
Ioan.16 *Quando illis à* Domino *dictum ſit:* Multa *habeo uobis dicere, quæ nõ poteſtis portare modò, ſcietis autem poſtea. Et ſatis uno exemqlo oſtendi cõtendunt,*
Acto.15 *quid in cæteris fecerint* Apoſtoli. *Quando in unum coacti, ex concilij ſententia, gentibus omnibus denunciarunt, ut ſe ab idolothytis, ſuffocato, & ſanguine abſtinerent. Verũ* ꝙ *friuola ſint hæc omnia & plane ludicra, faciam ut nullo negotio* ꝑſpiciãt *ij, qui mecum ſingula ordine diſpicere uolent. equidem eos hortarer, ut huc animũ ſerio aduerterent: ſi quid docendo proficere me apud eos poſſe conſiderem. Sed quando illis, omiſſa ueritatis ratione, hoc unum propoſitum eſt: rem ſuam, quacunq; licet uia, agere: neq;*

neq; mihi cum illis esse negocium arbitrabor. Pauca tantum dicam, quibus sese boni uiri, & ueri studiosi, quos initio erudiendos suscepimus, ab illorum captionibus expedire poßint. Tales ergo mihi admonendi sunt, ne ementito ecclesiæ prætextu, quo sine causa superbiunt isti plusquã sontici & capitales ecclesiæ hostes, cõmoueantur. Neq; enim aliud prætendunt, quàm Iudæos olim obtendisse apparet, cũ à prophetis Domini, cæcitatis, impietatis, idololatriæ, arguerentur. Nam ut illi templũ, ceremonias, sacerdotia gloriose iactabant: quibus rebus ecclesiam, magno (ut sibi uidebantur) argumento, metiebantur: ita pro ecclesia externæ quædã laruæ nunc nobis opponuntur, quæ longe sæpe absunt ab ecclesia: et citra quas ecclesia optima constare potest. Quare neq; alio argumento refutandi nobis sunt, quàm quo aduersus illam stultam Iudæorum confidentiam contendebat Ieremias: nempe, ne glorientur in uerbis mẽdacibus, Iere. 7
dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini est. quando nihil Dominus alicubi suum agnoscit, nisi ubi uerbum suum auditur, ac religiose obseruatur. Hæc enim perpetua est nota, qua signauit suos Dominus noster: Qui est ex ueritate, inqt, audit uocẽ meã, itẽ: Ego sum pastor ille bonus, Ioan. 10. 18

 & cogno

& cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, et ſequuntur me. Paulo autem antè dixerat, oues paſtorem ſuum ſequi, quia nouerunt uocem eius: alienum autem non ſequi, ſed effugere ab eo, quia non nouerunt uocem alienorũ. Quid igitur ſponte in cenſenda eccleſia inſanimus, cum eam minime dubio ſymbolo deſignarit Chriſtus? quod ubicunq; ſpectatur, fallere non poteſt, quin illic eccleſiam certo oſtendat: ubi uero abeſt, nihil reſtat quod uerã eccleſiæ ſignificationẽ dare poßit. Quin potius Ieruſchalam *à Babylone, Chriſti eccleſia à ſathanæ coniuratione, hoc diſcrimine diſtinguenda eſt, quo eas inter ſe*
Ioan. 8 *Chriſtus diſtinxit. Qui ex* Deo *eſt, inquit, uerba* Dei *audit: propterea non auditis, quia ex* Deo *non eſtis. In ſumma: cũ eccleſia regnũ ſit Chriſti, regnet autem non niſi per uerbum ſuum, an ullis iam obſcurũ erit, quin illa mendacij uerba ſint, quibus Chriſti regnũ abſq; eius ſceptro, id eſt, ſacro ſancto eius uerbo eſſe fingitur? Quòd ſi detractis laruis ac fucis omnibus, id uère (quòd nobis curæ in primis eſſe debet, ac noſtra etiam potißimũ refert) intuemur, qualem ſcilicet habere ſibi eccleſiam uelit Chriſtus, ut ad ipſius regulam nos formemus ac comparemus: facile*

cile nobis constabit, ecclesiam non esse, quæ præte ritis uerbi Dei finibus, ferendis nouis legibus, & noua religionis specie excogitãda, lasciuit ac luxuriat. An nõ enim illa semel ecclesiæ dicta lex æterna manet? Quod præcipio tibi, id obseruabis ut facias. nõ addes quicquam, neq; detrahes. et alibi: Non addas ad uerbũ Domini, neq; minuas ex eo: ne te forte arguat, inueniarisq; mendax. Id cum ecclesiæ dictum negari non poßit, quid aliud quàm ipsius contumaciam prædicant, qui post talia interdicta, addere nihilominus & admiscere de suo, uerbo Dei, ansam fuisse iactant? Absit autem ut eorum mendacijs assentiamur, quibus tantam ecclesiæ contumeliam irrogant. sed falsò ecclesiæ nomẽ prætẽdi intelligamus, quoties de ista humanæ temeritatis libidine agitatur, quæ sese intra uerbi Dei præscripta cõtinere non potest, quin procaciter exultet, ac in suas inuentiones excurrat. Nihil in uerbis istis inuolutum, nihil obscurum, nihil ambiguum: quibus, addere uerbo Dei aut detrahere quicquã uetatur uniuersa ecclesia, cum de Domini cultu & religione agitur. Non à semetipso degenerauit Dominus, qui nulla re tantopere se offendi iam pridem declarauit, quàm dum humanis inuentionibus colitur. Vnde illæ apud prophetas præ-

Deut. 12

Prouer. 30

claræ uoces, quæ auribus noſtris continenter inſo-
Iere.7 *nare debuerant:* Non *ſum locutus cum patribus ue-ſtris, neq; præcepi eis, quo die eduxi eos de terra* Ae*gypti, uerba de holocauſto & ſacrificio. ſed hoc uerbum præcepi eis, dicens:* Audite *uocẽ meam, & ero uobis* Deus, *& eritis mihi populus, & ambulabitis*
11. *in omni uia quam mãdauero uobis. item:* C*onteſtando cõteſtatus ſum patres ueſtros, audite uocem meã.* Alijq; *eiuſdẽ generis. ſed hæc in primis, ac præ alijs*
1. Samu. 15 *omnibus inſignis:* Nunquid *uult* Dominus *holocauſta & uictimas, & nõ potius, ut obediatur uoci* Do*mini?* Melior *eſt enim obedientia, quàm uictimæ: & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietũ.* Q*uoniam quaſi peccatum ariolandi, repugnare: & quaſi idololatriæ iniquitas, non acquieſcere.* Q*uicquid igitur humanarum inuentionum hac in parte eccleſiæ autoritate defenditur, cum ab impietatis crimine excuſari nequeat, falſo eccleſiæ id imputari, arguere promptum eſt.* Hac *ratione in iſtam humanarũ traditionum tyrannidem, quæ ſub eccleſiæ titulo ſuperciliose nobis ingeritur, libere inuehimur.* Non *enim, quod noſtri aduerſarij ad faciendam nobis inuidiam inique mentiuntur, eccleſiam ludibrio habemus: ſed obedientiæ laudem, qua maiorem nullam agnoſcit,*

illi

illi tribuimus. Ipsi potius uehementer sunt ecclesiæ iniurij, qui aduersus Dominum suum cõtumacem illam faciunt, dum ultrà progressam fingũt, quàm per Dei uerbum licuerit. Vt taceam, insignem esse impudentiam, cum pari malitia coniunctam, aßidue de ecclesiæ potestate uociferari: interim, & quid illi à Domino mandatum sit, & quam Domini mandato obedientiam debeat, dißimulare. At si nobis, ut par est, animus fuerit cum ecclesia consentire: hoc magis ad rẽ pertinet, spectare ac meminisse, quid nobis ac ecclesiæ uniuersæ à Domino præcipiatur: ut illi uno consensu obediamus. Non enim dubiũ est, quin cum ecclesia optime cõsensuri simus, si nos Domino per omnia obedientes præstemus. Verum habet ecclesia amplißimas promißiões, quòd nunquã à sponso suo Christo sit deserenda, quin eius spiritu ducatur in omnem ueritatẽ. Principio, quascunq; promissiones allegare solent, non minus singulis fidelibus datæ sunt, quàm toti fidelium populo. Nam tametsi duodecim Apostolis loquebatur, cum dicebat Dominus: Ecce ego uobiscũ sum, usq; ad cõsummationem seculi. item: Ego rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternũ: spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere: quia Matth. ult. Ioan. 14

quia nõ uidet eũ, nec ſcit eũ. uos aũt cognoſcitis eũ, quia apud uos manet, & in uobis erit. Nõ tamen numero duodenario id ꝑmittebat: ſed illis ſingulis, & alijs etiã diſcipulis, uel quos iã aſſumpſerat, uel quos poſtea erat aſſumpturus in ſuum regnum. Cum autem huiuſmodi promiſsiones eximiæ conſolationis plenas ſic interpretantur, quaſi nemini Chriſtianorũ data ſint, ſed uniuerſæ ſimul eccleſiæ: quid aliud quàm Chriſtianis omnibus conſolationem tollunt, quæ inde ad ipſos redire debuerat? Neq; hic nego, quin Dominus diues in omnes miſericordia et bonitate, in quoſdam tamen ſingulariter largius ſe & locupletius effundat (ut neceſſe eſt eos, qui alijs doctores conſtituti ſunt, maioribus pollere donis.) non,

1. Cor. 12 quin ipſa ſua dona, ut uaria ſunt & multiplicia, uarie diſtribuat. non deniq;, quin ipſa piorum ſocietas, tali donorum uarietate inſtructa, longe uberiori et ampliori cœleſtis ſapientiæ theſauro prædita ſit, quàm ſeorſum ſinguli: ſed quia illis concedendum non eſt, ut iſtæc Domini uerba in alium ſenſum, quàm quo dicta ſunt, peruerſe torqueant. Simpliciter ergo fateamur id quod res habet: Dominum perpetuo ſuis adeſſe, & eos ſpiritu ſuo regere: hunc ſpiritum non eſſe erroris, ignorantiæ, mendacij, aut tenebrarum;

ſed

ſed reuelationis, ueritatis, ſapientiæ, ac lucis: à quo non fallaciter diſcant, quæ ſibi à Deo *donata ſint:* 1. Corin. 2 *hoc eſt, quæ ſit ſpes uocationis ſuæ, & quæ diuitiæ* Ephe. 1 *gloriæ hæreditatis* Dei, *& quæ ſupereminens magnitudo uirtutis eius in omnes credentes.* Præterea, Dominum *eam in eccleſia ſua poſuiſſe gratiarum di*- Epheſ. 4 *uiſionem, ut ſemper eſſent, qui ad ipſius ædificationem ſingularibus donis excellerẽt.* Dedit enim Apo*ſtolos, ꝓphetas, doctores, paſtores: qui oẽs diuerſis quidem miniſterijs, ſed uno animo in cõmunem eccleſiæ ædificationem incumberent: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij* Dei, *in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis* Chriſti. V*erum cum primitias & quendam duntaxat guſtum eius ſpiritus percipiant in hac carne fideles, etiã qui excellentioribus illis gratijs præ alijs donati ſunt: nihil illis potius reſtat, quàm imbecillitatis ſuæ conſcios, ſeſe intra fines uerbi* Dei *ſolicite continere: ne ſi ſenſu ſuo longius euagentur, à recta uia protinus aberrent.* Et *ſanè minime quoq; dubiũ eſſe debet, quin ſi à uerbo* Dei *uel pauxillum deflectant, in multis labi contingat. quatenus ſcilicet ſpiritu illo adhuc uacui ſunt, quo ſolo docente myſteria* Dei *perſpiciuntur.* Nam *quòd* Paulus *ſcribit;* Epheſ. 4

Christum mundasse ecclesiam lauacro aquæ,in uerbo uitæ, ut exhiberet sibi gloriosam sponsam, non habentẽ maculã aut rugã,aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata: magis docet, quid quotidie in suis operetur Christus, q̃ quid iã pfecerit. Nã si eos in dies sanctificat, expurgat, expolit, maculis abstergit:certe adhuc næuis ac rugis quibusdã aspersos esse, eorũq; sanctificationi deesse nõnihil cõstat. Ecclesiã uero sanctã immaculatã iam censere, cuius mẽbra omnia maculosa, & nonnihil impura sint,q̃ inane ac fabulosum est?Verum est itaq;, q Christus ecclesiã lauacro aquæ mũdauerit in uerbo uitæ:hoc est,remißione peccatorũ abluerit, cuius ablutionis symbolũ est baptismus.atq; id quidẽ,ut eam sibi sanctificaret. At eius sanctificationis initium hic duntaxat uisitur, finis uero & solidum complementum extabit, cum sanctus sanctorum Christus sua sanctitate, uere & solide,ipsam implebit. Quamobrem tanta istarum promißionum amplitudine confisa fidelium ecclesia, habet unde fidem suam præclare sustineat. quando nihil addubitat, quin spiritum sanctum semper habeat optimũ ac certißimũ rectæ uiæ ducem.Nec uana fiducia nititur.non enim is est Dominus, qui frustra suos lactet,& fidei datæ decoquat.

quat.rurſum, tanta ignorantiæ ruditatiſq; conſcientia & cognitione edocta, ut caſtam ſponſam & ſobriam diſcipulã decet, à magiſtri ei ſponſi ſui ore aßidue ac ſedulo pendet. Non ex ſe ſapit, non ex ſe cogitat quicq̃: ſed ſapientiæ ſuæ terminum ſtatuit, ubi loquendi finem ille fecerit. atq; ita ſimul, & omnib. rationis ſuæ inuentis diffidit. In quibus autem uerbo Dei nititur, nulla diffidẽtia aut hæſitatione uacillat: ſed magna certitudine ac conſtantia firma conquieſcit. Itaq; nihil mirum, ſi ſingulari à Deo elogio eccleſiæ ſuæ autoritatem nobis cõmendauerit Chriſtus: ut haberi uoluerit pro ethnico & publicano, qui audire ipſam noluerit. addens etiã nõ uulgarẽ promiſſionem: Vbi duo aut tres cõuenerint in nomine ſuo, ibi ſe futurum in medio eorum. At ualde mirum eſt, tam nihil eſſe frontis iſtis nebulonibus, ut ferocire inde audeant. Quid enim tandem obtinebunt, niſi nõ ſpernẽdũ eſſe eccleſiæ cõſenſum, quæ nunq̃, niſi in ueritatẽ uerbi Dei, conſentit? Eccleſia audienda eſt, inquiũt. Quis negat? quandoquidẽ nihil pronunciat, niſi ex uerbo Domini. Si plus aliquid poſtulãt, nihil poſtulationi ſuæ uerba hæc Chriſti ſuffragari ſciant. Nã cũ his promißio data ſit, qui cõgregantur in Chriſti nomine, & talis cœtus eccleſia uocetur,

Matth. 18

ecclesiā esse nō cōcedimus, nisi quæ in Christi nomine cōgregata fuerit. Iā uero, an hoc est in Christi no
Deuter. 12 mine cōgregari, abiecto dei mādato, quo uetat quicq̄
Prouer. 30 addi uerbo suo aut detrahi, proprio arbitrio quiduis statuere? Quod ultimo inferūt, errare nō posse ecclesiā in ijs quæ sunt ad salutē necessaria, minime reclamamus. Sed hic etiā plurimū sensu uariamus. Errare nō posse ideo sentimus: quod abdicata omni sua sapientia, à spiritusancto doceri se per uerbū Domini patitur. Quod aūt illi disputant, huc spectat. Quādo ecclesia spiritu Domini gubernatur, tuto incedere sine uerbo posse: quocūq; pergat, nō posse sentire, aut loqui, nisi uerū. Nunc aūt, ut omnia illis de ecclesia cōcedamus, pro suis tamē traditionib. ne sic quidē adhuc multū profecerint. Nam quod in ecclesia remanere ueritatē nō putāt, nisi inter pastores cōstet: nec ecclesiam ipsam cōsistere, nisi in cōcilijs generalibus emineat: multū abest, quin id uerū semper fuerit, si uera de suis tēporibus testimonia nobis reliquerūt prophe
Iesa. 56 tæ. Iesaias ait: Speculatores eius cæci sunt oēs, nec quicq̄ nouerunt: omnes canes muti, nec ualēt latrare. iacentes dormiunt, & amāt dormitationē. et pastores ipsi nihil sciūt, nec intelligūt, et in uniuersum
Iere. 6 respiciūt ad uias suas. Iirmiah aūt: A propheta usq; ad sa-

ad sacerdotem quilibet operatur mendacium. item: Probetæ mendaciũ prophetãt in nomine meo, cum ego non miserim eos, neq; præceperim eis. Iam et Iezechiel. Cõiuratio prophetarũ eius in medio eius, sicut leo rugiens, & qui rapit prædã. Animã comederũt, & quod preciosum est rapuerũt, & uiduas multiplicauerunt in medio eius. sacerdotes eius uiolauerunt legẽ meã, & prophanauerũt sancta mea, nec discrimen fecerũt inter sanctũ et prophanũ. Propheta leuerũt eis cæmẽta insulsa, uidẽtes uana, & diuinantes mendaciũ, sic dicentes: Dominus locutus est, cũ nõ sit locutus. itẽ Zephanias: Prophetæ eius incõstãtes, uiri mẽdaces. sacerdotes eius uiolauerũt sancta, & trãsgressi sunt legẽ. Prætérea, quoties à Christo & eius Apostolis prædictũ, ut à pastoribus summa ecclesiæ pericula impenderent? Ac ne enumerando multũ chartarũ impleã, nõ eorũ temporũ modo, sed omnium ferè seculorũ exemplis monemur, nec ueritatẽ semper in sinu pastorum ali, nec ecclesiæ incolumitatẽ ab eorũ statu pendere. Decebat quidẽ illos ecclesiasticæ pacis ac salutis, cui cõseruãdæ destinati sunt, præsides esse ac custodes. sed aliud est, præstare quod debeas: aliud, debere quod nõ præstes. Neq; tamen nostra ista uerba in eam partem quis acci-

Iere.14.
Iezech. 22
Zeph.3
Matth. 24
Acto. 20
2. Thes. 2
1. Tim. 4
2. Tim. 3 & 4
2. Pet. 2

piat, quasi pastorum autoritatem passim, ac temere, nulloq; delectu, labefactandam censeam. Tantum, *inter eos ipsos delectum haberi uelim: ne qui dicuntur, pastores quoq; esse protinus existimemus.* Nam *sic omnino habendum est, totam eorũ functionem, uerbi* Dei *ministerio: totam sapientiam, eius uerbi cognitione: totam facundiã, eius prædicatione terminatã. à quo si declinarint, sensu fatuos esse & hebetes, lingua balbos, partibus omnibus infideles, & officij desertores: siue prophetæ sint, siue episcopi, siue doctores, seu quiduis etiam aliud maius.* Nõ *de uno aut altero loquor. uniuersa simul pastorum natio, si relicto* Dei *uerbo, sensu suo feratur, nihil aliud q̃ infatuari poterit.* Atqui *isti nòn alia ratione, nisi quia pastores sunt, excussa abiectaq; uerbi* Dei *obedientia, in dissolutam licentiam sese tradunt.* Quasi *non fuerit*
Iosu. 1 *pastor* Iosue, *cui dictum fuit, ne declinaret ad dexteram aut sinistram: sed custodiret & obseruaret uniuersa præcepta legis.* Et *interim persuadere contendunt, sese luce ueritatis destitui non posse, spiritum* Dei *perpetuo in se residere, ecclesiam in se subsistere, & secum emori.* Quasi *uero iam nulla sint* Domini *iudicia, ut non eadem nunc quoq; euenire possint, quæ probetæ sui seculi hominibus denũciabãt.*

qualia

qualia sunt: Obstupescent sacerdotes, & prophetæ terrebũtur. item: Lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus. Quasi falsa sint Christi & Apostolorũ uaticinia. cuiusmodi ista sunt: Venient multi pseudoprophetæ in nomine meo. item: Ego scio, quòd post discessum meũ intrabũt in uos (Ephesinæ ecclesiæ Episcopos alloquitur Paulus) lupi graues, non parcentes gregi. & ex uobis ipsis erunt uiri loquentes peruersa, ut adducant discipulos post se. item: Fuerunt pseudoprophetæ in populo, sicut & inter uos erũt falsi doctores, qui introducent sectas, proditiones, & cætera: aliaq; eius generis permulta. Nec intelligunt stolidissimi homines, eandem se canere cantilenã, quã canebant olim illi, qui cũ uerbo Dei belligerabantur: cum eadem, qua nunc nituntur, fiducia dicerent. Venite, & cogitabimus contra Iirmiam cogitationes. quando, non peribit lex à sacerdote, consilium à sapiente, nec uerbum à propheta. Quare, ut millies Episcoporum concilia nominent, parum promouebũt: Nec antè efficient, ut credamus quod contendunt, regi à spiritu sancto: quàm fidem fecerint, congregari in Christi nomine. siquidem tam possunt impij improbiq; episcopi aduersus Christum conspirare, quàm boni & probi in eius nomine

Iere. 4
Iezech. 7
Matth. 24
Actor. 20
1. Pet. 2
Iere. 18

nomine coire. Huius rei luculento nobis experimento sunt plurima decreta, quæ à talibus concilijs prodiere: quorum sceleratam impietatem euidentibus argumentis palàm ostendere, non ualde mihi difficile fuerit: nisi (quod in hoc opusculo necesse est) compendio studerem. Ab uno tamen capite si æstimare licet, qualia poßint esse reliqua: Cœlibatum impe-
Timot. 4 rare, & ciborum esum interdicere, Paulus dæmoniorum hypocrisim, & mendacia esse affirmat. Nec est, quod purgandi sui ac deriuandi criminis causa, ad Manichæos ista & Tatianos referant. quòd ab illis in totum damnatæ sint nuptiæ & carnes: à se autem, non nisi certis personis prohibeantur nuptiæ, carnes nō nisi in certos dies. Nam excusare sua decreta nequeunt, quin contrahere matrimonium prohibeant: & iubeant abstinere à cibis, quos creauit Deus, ad percipiendum cum gratiarum actione. Quando omnis creatura Dei bona & sancta est fidelibus, & ijs qui cognorunt ueritatem. Cum uero hæc sathanæ oracula conciliorum ministerio prodita fuerint, pro se iam quisque reputet, quid in cæteris expectandum sit à satanæ organis. Porrò, quid concilia cum concilijs pugnantia recenseam? & quod uno concilio

lio constitutum fuerat, altero fuisse abrogatum? In moribus, inquiunt, constituendis hæc usu uenire solet diuersitas: de quibus, pro temporũ uarietate, leges ferri uarias, nihil uetat. Imò in doctrina pugnaciter uariare interdum uisa sunt. Vt Constantinopolitanum, quod Leo Imperator coëgerat: & Nicenum, quod in eius inuidiam Hirene postea collegit: quorum alterum subuertendas confringendásque imagines, alterum restituendas censuit. Et omnino inter orientalem occidentalémque (ut uocant) ecclesiam, rara concordia. Eant nunc, & affixum, alligatúmque suis concilijs Spiritum sanctum suo more iactent. Neque uero hic omnia concilia damnanda, aut omnium acta rescindenda, & (quod dicitur) una litura inducenda disputo. Video enim elucere in quibusdam, præsertim in uetustis illis, uerum pietatis studium. notas ad hæc ingenij, doctrinæ, prudentiæ, non obscuras. Nec dubito quin alijs quoque ætatibus habuerint concilia suos melioris notæ Episcopos. Sed in his posterioribus accidit, quod in Romanis Senatusconsultis non recte fieri, olim conquerebantur ipsi Senatores. Dum enim nũmerãtur, non appenduntur sententiæ,

meliorem

meliorem partem à maiore uinci, sæpius necesse fuit. Quanquã in illis quoq; antiquis & purioribus est, quod iure desideres. uel quòd eruditi alioqui & prudentes uiri, qui tum aderãt, præsentibus negocijs districti, multa alia non prospiciebant. uel quòd grauioribus & magis serijs occupatos, nonnulla leuioris momenti subterfugiebant. uel quòd simpliciter, imperitia falli poterãt. uel quòd nimio affectu nonnunquã præcipites ferebãtur. Huius postremi, *quòd omnium durißimum uidetur, exemplum illustre extitit in* Nicena *synodo: cuius dignitas omnium consensu summa ueneratione excepta est.* Nam *cum primariũ illic fidei nostræ caput periclitaretur, adesset hostis* Arrius *in procinctu, quo cum manus cõferendæ essent: summum uero momentum esset in eorum concordia, qui ad oppugnandum* Arrij *errorem parati uenerãt: ipsi nihilominus tantorum discriminum securi, imò uelut grauitatis, modestiæ, & omnis humanitatis obliti, omisso, quod in manib. erat, certamine, quasi ex destinato,* Arrio *gratificaturi eò concessissent, intestinis dißidijs sese proscindere cœperunt: stylum qui in* Arriũ *stringendus erat, in seipsos dirigêre.* Fœdæ *criminationes audiebantur, libelli accusatorij uolitabant. nec contentionum finis ullus*

Vide Euse*bium in hi*-*stor. eccles.*

factus

factus esset, donec mutuis uulneribus se cõfodissent, nisi Imperator Constantinus occurrisset: qui inquisitionem in eorum uitam, rem esse supra suam cognitionem professus, talem intemperiem laude magis q̃ obiurgatione castigauit. Quàm multis partibus similiter & alia, quæ deinde secuta sunt concilia, lapsa fuisse uerisimile est? Ineptus forte alicui uidear, qui de cõmonstrandis huiusmodi erroribus laborẽ: cum fateantur aduersarij, errare concilia posse, in ijs quæ ad salutem nõ sunt necessaria. Sed neq; superuacuus est hic labor. tametsi enim coacti, uerbo id quidem fatentur, cum tamen omnem conciliorũ determinationem, in re qualibet, nullo discrimine, pro spiritus sancti oraculo nobis obtrudant: plus exigunt, quàm initio sumpserant. Quid sic agendo contendunt, nisi nullo modo errare posse cõcilia? aut si errant, nefas tamen esse uerũ cernere, nec assentari erroribus? Quare nulla conciliorũ, pastorum, episcoporũ, ecclesiæ, nomina (quæ tam falsò obtendi, q̃ uere usurpari possunt) impedire debent, quo minus talibus documentis moniti, omnes omnium spiritus ad diuini uerbi regulã exigamus: quo probemus, num ex Deo sint. Iam uero referre ad Apostolos traditionum originẽ, quibus hactenus oppressa est ecclesia, me-

ræ sunt imposturæ: quãdo tota in hoc incumbit Apõstolorũ doctrina, ne nouis obseruatiõibus onerẽtur conscientiæ, aut Dei *cultus nostris inuentionibus cõtaminetur.* Et *si qua historijs, uetustisq; monumentis inest fides,* Apo*stolis non ignotum modo, sed inauditum fuit, quod illis tribuunt.* Nec *garriant, plæraq; eorũ placita usu & moribus recepta fuisse, quæ scriptis tradita nõ sint. illa scilicet, quæ* Christo *adhuc uiuente intelligere nõ poterant: post eius autem ascensum spiritussancti reuelatione didicerint.* O *impudentiã.* Rudes *adhuc, fateor, & indociles erant discipuli, cum istud à* Domino *audirent.* V*erum, hacne tarditate tum etiam tenebantur, cum doctrinam suam scriptis cõmendarent: ut uiua postea uoce supplere necesse habuerint, quod in scriptis, ignorantiæ uitio, omiserant?* Si *uero iam à spiritu ueritatis ducti in omnem ueritatem, sua scripta ediderunt: quid obfuit, quo minus perfectam* Euangelic*æ doctrinæ cognitionem complexi sint scriptis suis, cõsignatamq; reliquerint?* Pr*æterea, se ridiculos faciũt, dum ingentia illa mysteria, quæ tãto tempore* Apo*stolis incomperta fuerint, partim obseruationes esse fingunt, aut* Iudaicas, *aut gentiles: quarum illæ inter* Iud*æos, hæ uero inter gentes omnes peruulgatæ multo antè fuerant:*

rant: partim ineptas gesticulationes, & aniles ceremoniolas, quas insulsi sacrificuli, qui nec nare sciunt nec literas, perquàm rite peragunt. imò quas pueri et moriones adeo apposite effingunt, ut uideri poßit, nullos esse magis idoneos talium sacrorũ antistites. Non multo maiori dexteritate Apostolorum exemplum prætexunt, quo suam tyrannidem defendant. Apostoli, inquiunt, & seniores primæ ecclesiæ decretum, præter Christi mandatum, sanxerunt: quo præcipiebant gentibus omnibus, se continere ab idolothytis, & suffocato, & sanguine. Id si illis licuit, cur non & successoribus, quoties ita res postulat, idem imitari liceat? Vtinam uero cum semper aliâs, tum hac in re, eos imitarentur. Nam, quod ualida ratione confirmare promptum est, Apostolos nouum illic quicquam instituisse aut decreuisse nego. siquidem, cum in eo concilio Petrus tentari Deum pronunciet, si iugũ imponitur ceruicibus discipulorum, suam ipse sententiam subuertit, si iugum postea aliquod consentit imponi. Imponitur autem, si sua autoritate decernunt Apostoli, prohibendum gentibus, ne idolothyta, sanguinem, & suffocatum attingant. Manet quidẽ adhuc scrupulus, q̃ nihilominus uidentur ꝓhibere. Atqui facile dissoluetur, si quis pro- Acto. 15

F 2 pius

pius decreti ipſius ſenſum animaduertat. cuius primum ordine & momento præcipuum caput eſt: relinquendam eſſe gentibus ſuam libertatem, nec illis obturbandum eſſe, aut de legis obſeruationibus exhibendam moleſtiam. Hactenus *nobis egregie patrocinatur. Quæ autē proxime ſequitur exceptio, nec noua lex eſt ab* Apoſtolis *lata: ſed diuinum æternumq; mandatū, de ſeruāda charitate. nec punctum ex illa libertate delibat: ſed gentes duntaxat admonet, qua ratione ſeſe fratribus attemperent, ne ſua libertate in eorum offenſionem abutātur.* Sit hoc igi*tur ſecundum caput: ut innoxia libertate utantur gentes, ac citra fratrum offenſionem.* At *certum tamen aliquid præſcribunt: nempe, quatenus pro tempore expediebat, docent ac deſignant, quibus rebus in fratrum offenſionē poßint incurrere, quo ab illis caueant. nihil tamen nouum ad æternam* Dei *legem, quæ fratrum offenſionem prohibet, de ſ. o afferunt. Quemadmodum ſi qui nondum bene conſtitutis eccleſijs præſunt, fideles paſtores, omnibus ſuis nunc edicant: ne donec imbecilli, quibus cū uiuunt, adoleſcant, palàm carnibus die ueneris ueſcātur, aut ferijs in publico laborent, aut ſimile quidpiam.* Hæc *enim, tametſi ſepoſita ſuperſtitione indifferētia per ſe ſunt,*

se sunt, ubi tamen accedit fratrum offensio, sine delicto admitti nequeunt. Sic autẽ sunt tempora, ut spectaculum hoc proponere infirmis fratribus nõ possint fideles, quin eorum conscientias grauissime uulnerent. Quis, nisi calumniator, sic nouam ferri ab his legem dicat? quos constat duntaxat scandalis occurrere, quæ sunt à Domino satis diserte prohibita. Nihilo autem magis & de Apostolis dici potest: qui bus nihil aliud propositum erat, offensionum materiam tollendo, quàm diuinam urgere legem, de uitanda offensione. ac si dixissent: Præceptum Domini est, ne fratrem infirmum lædatis. quæ idolis oblata sunt, suffocatum, & sanguinem, manducare non potestis, quin offendantur infirmi fratres. Edicimus igitur uobis in uerbo Domini, ne cum scandalo manducetis. Idq́; ipsum spectasse Apostolos, Paulus optimus est testis. qui, certe non nisi ex concilij sententia, sic scribit: De escis quæ idolis immolantur, scimus, quia simulacrũ nullum est in mundo. Quidam autem cum cõscientia idoli, quasi idolis immolatum, manducãt, & conscientia eorum infirma polluitur: uidete ne facultas ista uestra, offendiculum fiat infirmis. Cui istæc probe perpensa fuerint, ei posthac fucus non fiet: qualem faciunt, qui suæ tyrannidi Apo- 1. Cor. 8

F 3 stolos

stolos prætexũt, ac si ecclesiæ libertatẽ suo decreto infringere cœpissent. Tametsi non omnia diximus, quæ huc adferri poterãt: & ea quoq; ipsa, quæ diximus, paucissimis perstricta sunt: sic tamẽ debellatum esse confido, ut nihil iam sit, cur quisquam ambigat, spiritualem potestatẽ, qua Papa cum toto suo regno superbit, impiam esse contra Dei uerbum, ac iniustam in Dei populum tyrannidem. Ac spiritualis quidem potestatis nomine, complectimur & audaciam, quam usurparunt in ferendis nouis doctrinis, quibus miseram plebẽ à germana simpliciq; uerbi Dei puritate prorsus auertunt: & in ferendis nouis legibus licentiam, quibus infelices conscientias crudeliter uexarunt: & totam deniq; ecclesiasticam (ut uocant) iurisdictionem, quam per suffraganeos & officiales exercent. Nam si Christum inter nos regnare permittimus, totum istud dominationis genus euertitur facile ac prosternitur. Alterum dominationis genus, quod possessionibus & latifundijs continetur, quia in conscientias non exercetur, tractare præsentis negocij non est. Qua tamen etiam in parte animaduertere operæprecium est, sui semper esse similes: nihil scilicet minus, quàm quod appellari uolunt, ecclesiæ pastores. Nec peculiaria

hominum

hominum uitia, ſed commune totius ordinis ſcelus, adeóq; ipſam ordinis peſtem arguo: quando mutilus illis fore creditur, niſi opulentia & ſuperbis titulis ſpectabilis fuerit. An uero iudiciórum cognitionibus, ciuitatumq; & prouinciarum adminiſtrationibus ſeſe inuoluere, & occupationes à ſe alienas latiſſime amplecti, id epiſcoporum erat? quibus tantum in ſuo munere operæ ac negocij eſt, ut ſi illic toti aſſiduiq; ſint, nec ullis auocamentis diſtrahantur, uix tamen ſufficere queant. An in ſatellitij numero, ædium ſplendore, ueſtitus & epularum delitijs, principum lautitias æmulari eos decebat? quorum uitam oportuerat ſingulare frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, humilitatis eſſe exemplar. Quantum & ab eorum officio abhorrebat, quos æternum inuiolabileq; Dei edictum turpis lucri appetentes, aua rosq; eſſe uetat, & ſimplici uictu contentos eſſe iubet, non modo uicis & arcibus manum inijcere: ſed in ampliſſimas quoq; ſatrapias inuolare. demũ, imperia ipſa occupare? Verum quando uſque eò præfracti ſunt, ut tergiuerſari etiamnum auſint, & iactare, eccleſiæ dignitatem non indecenter hac magnificentia ſuſtineri, nec ſe interim à ſuæ uocationis munere nimium abſtrahi: Quantum ad prius illud 1. Tim. 3

 attinet,

attinet. ſi hoc decorum eſt ſuæ dignitatis ornamentum, eò faſtigij euectos eſſe, ut ſummis quibusq; monarchis ſint formidabiles, eſt cur cum Chriſto expoſtulent, à quo ſunt grauiter eo modo inhonorati. Quid enim contumelioſius, eorum quidem opinione, dici poterat iſtis uerbis? Reges gentium *& prin*

Matth. 20 Mar. 10 Luc. 22 *cipes dominantur illis: uos autem non ſic. ſed qui maior eſt in uobis, fiat ſicut iunior: & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat. Quibus ſanè longiſſimo interuallo, eorum miniſterium ab omni mundi huius gloria & ſublimitate diuiſit.* Alterum, *uellem tam experimento probarent, quàm dictitare facile eſt.* Atquî *cum* Apoſtolis *uiſum non fuerit, derelicto*

Acto. 6 Dei *ſermone, miniſtrare menſis: ex eo, quia doceri nolunt, conuincuntur, non eiuſdem eſſe, & bonum epiſcopum præſtare, & bonum principem.* Nam *ſi illi, qui pro gratiarum, quibus à* Domino *præditi erant, amplitudine, pluribus multò & grauioribus curis ſufficere poterant, quàm ulli poſt eos nati homines: confeſſi ſunt tamen, ſe uerbi & menſarum miniſterio incumbere ſimul non poſſe, quin oneri ſuccumberent: quomodo iſti, præ* Apoſtolis *nihili homunciones, poſſent eorum induſtriam centuplo ſuperare?* Id *quidem tentare, impudentiſſimæ,*

nimiumq;

nimiumq́; audacis cõfidentiæ fuit. ſed tamen factum eſt: quo ſucceſſu, palàm eſt. Neq; enim euenire aliter poterat, quàm ut deſerta ſua ſtatione, in alienacaſtra commigrarent. Habuit pietatis ſtudium quoddam Principum indulgentia, qui tantũ facultatum ditandis epiſcopis impenderunt. ſed non optime, hac præpoſtera ſua largitate, conſuluerũt eccleſiæ commodis: cuius antiquam ueramq; diſciplinam ſic corruperunt, & (ut uere dicam) penitus aboleuerũt. Qui uero tali Principum bonitate in ſuum commodum abuſi ſunt epiſcopi, hoc uno ſpecimine edito ſatis ſuperq́; teſtati ſunt, ſe minime eſſe epiſcopos. Deniq;, ut de utraq; iuxtà poteſtate ſemel dicam: cum pro retinendis illis tam animoſe hodie contendunt, quid quærant, nihil obſcurum eſt. ſpirituale regnum ſi ea conditione reſignent, ut totum Chriſto cedat: nullum gloriæ Dei, nullum ſanæ doctrinæ, nullum eccleſiaſticæ ſalutis periculum uertitur. Hac etiam ſeculari ſi ſe abdicent, nihil periculi eſt, ne quid publico eccleſiæ bono decedat. Sed una damnandi cupiditate cæci ac præcipites feruntur: quia nihil ſaluum eſſe putant, niſi cum auſteritate (ut Propheta ait,) & cum potentia imperent. Iezech. 34 At de eccleſiæ patrimonio pauca hæc

in transcursu dicta sint. Ad spirituale regnum, cuius hic locus proprius est, reuertor. In quo defendendo, ubi omnia rationis praesidia labascere sibi uidēt, ad extremum illud miserumq́ suffugium cōcedunt. Etiamsi mente & consilio stupidi ipsi sint, animo uero & uoluntate nequissimi, manere tamen uerbum Domini, quod praepositis obedire iubet, etiamsi iniquas & nimium duras leges ferant. Dominum
Matth. 23 *tamen praecipere, ut faciamus quaecunq; dicunt scribae & pharisaei, etiam dum onera importabilia alligant, quae digito nolint tangere. Ita ne uero? At si nulla haesitatione accipienda est quorumuis pastorum doctrina, quorsum attinebat, toties tamq́ solicite Domini uerbo nos admoneri, ne pseudoprophetarum aut pseudopastorum sermoni auscultaremus?*
Iere. 23 *Nolite, inquit Dominus, audire uerba prophetarum, qui prophetant uobis. Vanitatem enim docent uos, & uisionem cordis sui loquuntur, non*
Matth. 7 *ex ore Domini. item: Cauete uobis à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, intrinsecus*
1. Ioan. 4 *autem sunt lupi rapaces. Frustra & Ioannes nos hortaretur, ut probemus spiritus, nunquid ex Deo*
Gal. 1. *sint. Cui iudicio ne angeli quidem eximuntur, ne-*
Matth. 15 *dum diaboli mendacia. Quid autem istud? Si caecus*

caecum

cæcum ducat, ambo in foueam cadent. An non satis declarat, multum interesse, quales pastores audiantur: nec temere omnes audiendos? Quare non est quòd suis titulis nos absterreant, quo in participationẽ trahant suæ cæcitatis: cum uideamus contrà, singularem Domino *curam fuisse absterrendi nos, ne alieno errore duci pateremur, sub quacunque nominis larua lateat.* Nam *si uerum est uerbum* Domini: *cæci quoque duces, siue antistites, siue præsules, siue pontifices dicantur, nihil possunt, quàm suos consortes in idem rapere præcipitium.* Restat *altera pars de legibus: quas, ut centies iniquæ sint nobis & iniuriæ, nulla tamen exceptione audiendas contendunt.* Non *enim hic agi, ut erroribus consentiamus: sed tantum, ut dura præfectorũ imperia subditi perferamus, quæ detrectare non est nostrum.* Verum *hic quoque nobis optime, uerbi sui ueritate, succurrit* Dominus: *nosque à tali seruitute in libertatem uindicat, quam sacro suo sanguine nobis acquisiuit.* Non *enim, quòd malitiosè fingunt, id solum agitur, ut grauem aliquam oppreßionem in corpore nostro perferamus: sed ut conscientiæ, libertate sua, hoc est, sanguinis* Christi *beneficio spoliatæ, seruiliter crucientur.* Quanquam *istud etiam, ac si*

parum

parum ad rem faceret, omittemus. At *quanti putamus referre, suum* Domino *regnum eripi, quod tanta seueritate sibi asserit?* Eripitur *autem, quoties humanarum inuentionum legibus colitur. quando solus ipse cultus sui uult haberi legislator.* Ac *ne rem esse nihili quis existimet, audiant quanti reputetur à* Do-

Iesa. 29 *mino.* Q*uoniam, inquit, timuit me populus iste mandato & doctrinis hominum, ecce ego addam, & admirationem faciam ei, miraculo grandi, & stupendo* P*eribit enim sapientia à sapientibus eius, & intelle-*

Matth. 15 *ctus prudentum abscondetur. alibi:* F*rustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.* M*irantur pleriq;, cur adeò acriter interminetur* Dominus, *se facturuum stupenda populo, à quo mandatis & doctrinis hominum colebatur: & se frustra coli pronunciat hominum præceptis.* At *si spectarent, quid sit in religionis, hoc est, cœlestis sapientiæ causa, à solo* Dei *ore pendere: simul uiderēt, non leuem esse rationē, cur peruersa huiusmodi obsequia sic abominetur* Dominus, *quæ pro humani ingenij libidine sibi præstantur.* N*am tametsi speciem habent quandam humilitatis in sua hac obedientia, qui legibus in* Dei *cultum parent: minime tamen sunt coram* Deo *humiles, cui easdem præscribunt leges quas ipsi seruant.*

Hæc

Hæc uero ratio eſt, cur tam diligenter uult nos caue re Paulus, ne decipiamur per traditiones hominum, & illam, quam uocat ἐθελοθρησκείαν, id eſt, uoluntarium cultum, & præter uerbum Dei *ab hominibus excogitatum. Sic eſt profecto. Stulteſcere, & noſtram nobisipſis, & omnium hominum ſapientiam oportet: quo ſolũ illũ ſapere permittamus. Quam uiam minime tenent, qui confictis hominum arbitrio obſeruatiunculis, illi ſe approbare meditantur. Qualiter & aliquot antea ſeculis, & noſtra memoria factũ eſt: & fit hodie quoq; in ijs locis, in quibus creaturæ pluris eſt, quàm creatoris imperium. Vbi religio (ſi tamen religio uocari ea meretur) pluribus magisq; inſulſis ſuperſtitionibus cõſpurca a eſt, quàm ulla unquã paganitas. Quid enim poſſet parere hominũ ſenſus, quàm carnalia fatuáq; omnia, & quæ ſuos autores uere referant? Porrò iſtud peßimum accedit: quòd ubi talibus uanis figmentis definiri religio ſemel cœpta eſt, peruerſitatẽ illam perpetuo ſequitur & altera execrabilis maledictio, quam Phariſæis* Chriſtus *exprobrabat: Vt irritum fiat præceptum* Dei, *propter hominum traditiones.* No*lo iam contra præſentes noſtros nomothetas uerbis meis pugnare. Vicerint ſanè, ſi hãc* Chriſti *accuſationem in ſe*

Coloß.2

Matth.15

in se non competere excusare poterunt. Sed quomo do excusarēt? cum immenso apud eos sceleratius sit, auricularem confeßionem, uertente anno, prætermisisse, quàm nequißimam uitam in solidum annum produxisse? linguam die ueneris infecisse modico carnis gustu, quàm totum corpus diebus omnibus scortationibus fœdasse? manum die festo admouisse honesto operi, quàm peßimis facinoribus aßiduè exercere membra omnia? sacrificum legitimo uno cõnubio copulari, quàm illigari mille adulterijs? uotiuam peregrinationem non persoluere, quàm in promißis omnib. fidē fallere? in prodigiosos, nec minus superuacuos ac inutiles tēplorū luxus nō aliquid profudisse: q̃ defuisse urgentissimis pauperū neceßitatibus? idolum sine honore præterijsse, quàm hominum omne genus contumeliose tractasse? non demurmurasse certis horis longa sine sensu uerba, quàm ueram orationem animo nunquam cõcepisse? Quid est, irritum facere propter suas traditiones Dei *præceptum: nisi hoc est? Cum obseruationē mandatorum* Dei *frigide tantum & defunctorie commendantes, suorū axactam* obedientiam *nihilo minus studiose & anxie urgent, quàm si totam pietatis uim in se continerent. Cum diuinæ legis transgres-*

sionem

sionem leuibus satisfactionum mulctis ulciscentes, unius sui decreti uel minimam offensionem nulla leuiore pœna plectunt, quàm carcere, incendio, aut gladio. In Dei *contemptores non ita asperi & inexorabiles, suos contemptores implacabili odio ad extremum persequuntur. Ac eos omnes sic instituunt, quorum simplicitatem captiuam tenent: ut æquiore animo uniuersam* Dei *legem subuersam uisuri sint, quàm apiculum in præceptis (ut uocant)* Ecclesiæ *uiolatum.* Primum, *grauiter in eo delinquitur, quod ob res leuiculas, & (si* Dei *iudicio staretur) liberas, alter alterum contemnit, iudicat, abijcit.* Nunc *uero, quasi id parum mali esset, pluris appenduntur friuola illa huius mundi elementa (ut* Paulus Galatis *scribens nuncupat) quàm cœlestia* Dei *oracula. Et qui prope in adulterio absoluitur, iudicatur in cibo.* Cui *scortum permittitur, interdicitur uxor.* Hoc *scilicet præuaricatrice illa obedientia proficitur: quæ tantum à* Deo *auertitur, quantum ad homines inclinat.* Cur *igitur ferri uoluit* Christus *onera illa importabilia, quæ alligant scribæ & pharisæi?* Imò, *cur alibi idem* Christus *caueri uoluit à fermento pharisæorum? fermentum (interprete* Matthæo

Gala.4.

Matth.23

Matth.16

Euangelista

Euangelista) appellans, quicquid propriæ doctrinæ uerbi Dei *puritati admiscerent.* Q*uid apertius uolumus, quàm quòd tota*[m] *eorum doctrinam iubemur fugere & cauere?* V*nde nobis certißimum fit, neq; altero loco,* Dominum *suorum conscientias uoluisse proprijs pharisæorum traditionibus uexari.*Et *uerba ipsa (si non cõtorqueantur) nihil tale sonant. quibus* Dominus, *acerbe in pharisæorum mores inuehi instituens, simpliciter auditores antè suos erudiebat: ut quanquam nihil uiderent in eorum uita, quod sequerentur, non tamen ea facere desinerent, quæ uerbo docebant: cum in cathedra* Moseh, *hoc est, ad enarrandam legem sederent.* Q*uando uero imperiti plæriq;, dum humanis traditionibus, & impie ligari fidelium conscientias, & frustra* Deum *coli audiunt, eadem litura leges omnes inducunt, quibus ecclesiæ ordo constituitur: illorum quoq; errori commodum hic occurrendũ est.* Falli *hic sanè perquàm lubricum est: quia non prima statim facie apparet, quantum inter illas & has intersit.* Sed *nos ita dilucide rem totã paucis expediemus, ne cui imponat similitudo.*Hoc *primum habeamus. si in omni hominum societate necessariam esse politiam aliquam uidemus, quæ ad alendam communem pacem, ac retinendam*

nendam concordiam ualeat: si in rebus agendis aliquem ritũ, qui ad publicã pertineat honestatem, atq; adeò humanitatẽ ipsam: id in ecclesijs præsertim obseruandũ esse, quæ cũ bene cõstituta rerũ omnium cõpositione optime sustinentur, tum uero sine cõcordia nullæ sunt prorsus. Quãobrẽ, si ecclesiæ incolumitati optime prospectũ uolumus, diligẽter omnino curandũ est, ut (quod Paulus *iubet) decẽter omnia,* 1. Cor. 14 *& secundum ordinem fiant.* At *cum in hominum moribus tanta insit diuersitas, tanta in animis uarietas, tanta in iudicijs ingenijsq; pugna, neque politia ulla satis firma est, nisi certis legibus cõstituta: nec sine stata quadam forma, seruari ritus quispiam potest.* H*uc ergo quæ conducunt leges, tantum abest ut dãnemus, ut his ablatis, dissolui suis neruis ecclesias, totasq; deformari ac dißipari, contendamus.* N*eq; enim aliter haberi potest quod* P*aulus exigit, ut decẽter omnia & ex ordine fiant: nisi additis obseruationibus, ceu uinculis quibusdam, ordo ipse & decorum consistat. Id tamen semper caute in istis obseruationibus excipiendum est, ne aut ad salutem credantur necessariæ, ut conscientias religione obstringant: aut ad* D*ei cultum conferantur, ut in illis reponatur pietas,* Q*uæ una ratio inter impias illas*

G consti-

constitutiones distinguit, quibus ueram obscurari religionem, & conscientias subuerti, dictum est: & legitimas ecclesiæ ordinationes, quibus ex his alterum semper esse propositũ, nuper monuimus. aut ut ad decorum duntaxat pertineant, quò in fideliũ cœtu peragantur omnia, quo decet ordine: aut ut ipsam hominum cõmunitatem, uelut quædam humanitatis uincula, retineant. Atquî *ubi semel publicæ honestatis causa, posita lex intelligitur: iam sublata est superstitio. in quã incidunt, qui humanis inuẽtis* Dei *cultum metiuntur.* Rur*sum ubi ad cõmunem duntaxat hominum usum spectare cognoscitur, euersa est falsa illa obligationis & necessitatis opinio: quæ ingentem terrorem cõscientijs inijciebat, cum putarentur traditiones ad salutem necessariæ. siquidẽ hic nihil quæritur, nisi ut cõmuni officio alatur inter nos cha-*
1. Cor. 11 *ritas.* Prioris *generis exempla sunt apud* Paulum, *ne*
& 14 *mulieres in ecclesia doceant, ut uelatæ procedant:* Et *in perpetuo uitæ usu spectari possunt. ut flexis genubus, nudóq; capite publice oremus: ne nuda hominum cadauera in foueam proijciantur: ne* Domini *sacramẽta prophane & sordide administrentur: & quæ alia eódem pertinent.* Quid? *an in mulieris carbaso sita religio est, ut nudo capite egredi sit nefas? an sa-*

an sanctum de eius silentio decretum, quod uiolari sine summo scelere non possit? an aliquod in genu flexione, aut tegendo cadauere mysteriũ, quod praeteriri sine piaculo non possit? Minime. Nam si tali festinatione opus sit mulieri in iuuando proximo, quae uelare caput non sinat: nihil delinquit, si aperto capite accurrat. & est, ubi loqui non minus opportunum illi sit, quàm alibi tacere. Stantem quoq; orare, qui morbo impeditus curuare genua nequit, nihil uetat. Deniq; satius est, mature humare mortuũ, quàm ubi linteum deest, expectare dum inhumatus putrescat. Sed est nihilominus in istis rebus, quod agendũ aut cauendum mos regionis, instituta, ipsa deniq; humanitas, et modestiae regula dictet. Vbi si imprudentia & obliuione quid erratum fuerit, nullũ admissum crimen est: sin contemptu, improbanda est cõtumacia. Quòd si quis obstrepat, & plus sapere hic uelit quàm oportet, uiderit ipse, qua morositatem suam ratione Domino approbet. Nobis tamen istud Pauli satisfacere debet: nos contendendi morem non habere, neq; ecclesias Dei. In altero genere sunt horae publicis precationibus, concionibus & baptismis praescriptae: in ipsis concionibus, quies, ac silentium, loca destinata, hymnorum concentus, dies suscipien- 1. Cor. 11

dæ Domini cœnæ destinati, excommunicationum disciplina, & si qua alia sunt. Dies ipsi qui sint, et horæ, quæ locorum structura, qui quo die canantur psalmi, nihil interest. Verum et certos dies, & statas esse horas, conuenit, & locum recipiendis omnibus idoneum: si qua seruandæ pacis ratio habetur. Nam quantarum rixarum semen, futura sit earum rerum confusio: si, prout cuique libitum sit, mutare liceat, quæ ad cõmunem statũ pertinent? quando nunquam futurum est, ut omnibus idem placeat: si res uelut in medio positæ, singulorum arbitrio relictæ fuerint.

Summa ergo diligentia incumbendũ est, ne quis irrepat error, qui purum hunc usum uel inficiat, uel obscuret. Quod quidẽ obtinebitur, si quæcunq; erũt obseruationes, manifestam utilitatem præ se ferant: si parcissimæ admittantur. potissimũ uero, si accedet fidelis pastoris doctrina, quæ prauis opinionibus uiã præcludat. Hæc autem cognitio faciet, ut sua cuiq; nostrûm in his rebus omnibus libertas constet: & quandam nihilominus suæ quisq; libertati necessitatẽ ultrò imponat, quatenus aut illud, quod diximus, τὸ πρέπον, aut charitatis ratio exiget. Deinde, ut & in earum obseruatione, nulla superstitione, uersemur ipsi: nec morose nimium ipsam ab alijs requiramus,

mus: ne potiorem Dei cultum, ceremoniarum multitudine æstimemus: ne ecclesia ecclesiã ob externæ disciplinæ uarietatẽ cõtemnat. Postremo, ut nullam hic perpetuã legem nobis statuentes, totum obseruationũ usum & finem, ad ecclesiæ ædificationẽ referamus: qua postulante, non modo mutari aliquid, sed quicqd antè in usu nobis obseruationũ fuerit, inuerti, nulla offensione, feramus. Hoc enim ferre interdũ temporũ rationẽ, ut ritus quosdã, nõ impios alioqui, nec indecoros, pro rei opportunitate abrogari conueniat, præsenti experimento est hæc ætas. Nam, quæ superiorum temporũ cæcitas fuit, & ignorantia, tã corrupta opinione, tamq; pertinaci studio antehac in ceremonijs hæserunt ecclesiæ, ut uix satis repurgari à prodigiosis illis superstitionibus queant, quin multæ ceremoniæ tollãtur, nec abs re olim forte institutæ, & nulla per se impietate aut uitio notabiles. quibus defendendis obstinate insistere, nocentissimum fuerit studium. Si quis enim ipsas per se censeri uelit, iam cõfessi sumus, nihil habere mali. At si suis circumstantijs æstimentur, apparebit tantum è ceremonariũ abusu hominũ animis errorẽ insedisse, ut nõ facile emendari poßit, nisi subductis è conspectu spectaculis, quæ nouam subinde errandi ma

 teriam

teriam ſuggerunt. Sic ſpiritus ſancti teſtimonio lau
Reg. 18 *datus eſt Ezechias, quòd ſerpentem æneum excide rit, qui iuſſu Domini a Moſe fuerat erectus: et quem in diuin beneficij* μνημόσυνον *ſeruari malum non erat, niſi populi idololatriæ ſeruire cœpiſſet. Verum, cum rationem corrigendæ impietatis aliam optimus rex non haberet, nō minore cauſa confregit, quàm à Moſe erectus fuerat. Sunt enim curanda peruerſa hominū iudicia, non ſecus ac ægri collapſiq́ ſtomachi: quibus cibi coctione paulum difficiles adimuntur, qui ſanis innoxij futuri erant.* Porrò, *cum du plex in homine regimen ſuperius ſtatuerimus, & de altero illo, quod in anima, ſeu interiori homine reſidet, æternamq́ uitā reſpicit, ſatis iā multa uerba fecerimus: de altero etiā, quod ad inſtituendā ciuilem duntàxat externamq́ morum iuſtitiā pertinet, nonnihil ut diſſeramus, locus hic appetit. Principio, antequam in rem ipſam ingredimur, tenenda illa eſt diſtinctio antè à nobis poſita, ne (quod multis uulgo accidit) hæc ſimul duo imprudenter permiſceamus, quæ diuerſam prorſus rationē habent. Illi enim cum in Euangelio promitti libertatem audiunt, quæ nullum inter homines regem, nullumq́ magiſtrū agnoſcat, ſed in Chriſtū unum intueatur: nullū libertatis*

ſuæ

ſuæ fructum capere ſe poſſe putãt, quãmdiu aliquam ſupra ſe eminere poteſtatem uident. Itaq; nihil fore ſaluum exiſtimant, niſi totus in nouã faciem orbis reformetur: ubi nec iudicia ſint, nec leges, nec magiſtratus, & ſi quid ſimile eſt quod officere ſuæ libertati opinãtur. At uero, qui inter corpus & animam, inter præſentem hãc fluxamq; uitã, & futurã illam æternamq;, diſcernere nouerit: neq; difficile intelliget, ſpirituale Chriſti regnum, & ciuilem ordinationem, res eſſe plurimũ ſepoſitas. Cum ergo Iudaica illa ſit uanitas, Chriſti regnum ſub elementis huius mundi quærere ac includere: nos magis, quod perſpicue ſcriptura docet, ſpiritualem eſſe fructũ cogitantes, qui ex Chriſti beneficio colligitur, totam hanc libertatẽ, quæ in ipſo nobis ꝓmittitur atq; offertur, meminerimus intra ſuos fines cõtinere. Nã quid eſt, ꝙ ipſe idẽ Apoſtolus, ꝗ iubet ut ſtemus, nec ſubijciamur iugò ſeruitutis: alibi ſolicitos eſſe ſeruos de ſtatu ſuo uetat? niſi ꝗa ſpiritualis libertas cũ politica ſeruitute optime ſtare poteſt? In quẽ etiã ſenſum accipiendæ ſũt iſtæ eius ſentẽtiæ: In regno dei nõ eſt Iudæus, neq; Græcus, nõ maſculus, aut fœmina, non ſeruus aut liber. itẽ: Nõ eſt Iudæus, nec Græcus, præputiũ, circũciſio, barbarus, ſcytha, ſeruus, liber, ſed omnia

Galat. 5
Gal. 5
1. Cor. 7
Coloſſ. 3

in omnibus Christus. Quibus significat, nihil referre, qua sis apud homines conditione, cuius gentis legib. uiuas: quãdo in rebus istis minime situ͂ est Christi regnum. Neq; tamen eò ista distinctio pertinet, quo totã politiæ rationem, rem esse pollutã reputemus, ad homines Christianos nihil pertinentẽ. Sic quidem phanatici nõnulli iactant. Postquam mortui sumus per Christu͂ elementis huius mundi, & translati in regnu͂ Dei, sedemus inter cœlestes: indignum hoc nobis esse, ac infra nostram excellentiam longe positu͂, ꝑphanis istis ac impuris curis occupari, quæ circa aliena à Christiano homine negocia uersantur. Quorsum, inquiu͂t, leges sine iudicijs & tribunalibus? Quid autẽ cum iudicijs ipsis, homini Christiano? Imò si occidere nõ licet, quò nobis leges et iudicia? Verum, ut distinctum istud regiminis genus, à spirituali illo & interno Christi regno, nuper monuimus: ita nec quicquã pugnare, sciendu͂ est. Nam illud quidem, initia cœlestis regni quædam iam nu͂c super terram, in nobis inchoat: & in hac mortali euanidaq; uita, immortalem & incorruptibilem beatitudinem quodãmodo auspicatur. At huic destinatum est, quamdiu inter homines agemus, uitam nostram ad hominum societatem componere, ad ciuilem

Coloss. 2

lem iustitiam mores nostros formare, nos inter nos conciliare, communem pacem ac tranquillitatem alere ac tueri. Quæ omnia superuacua esse fateor, si præsentem uitam extinguit regnũ Dei, *quale nunc intra nos est. Sin ita est uoluntas* Domini, *nos, dum ad ueram patriam adspiramus, peregrinari super terram: eius uero peregrinationis usus, talibus subsidijs indiget: qui ipsa ab homine tollunt, suam illi eripiunt humanitatem.* Nam *quòd tantam in ecclesia* Dei *perfectionem debere esse causantur, cui sua pro lege moderatio satis sit: eam stolide ipsi imaginantur, quæ in hominum cõmunitate reperiri nunquã possit. Cum enim tanta sit improborum insolentia, nequitia tam contumax, quæ multa legum seueritate coërceri uix poßit: quid facturos expectemus, si patêre suæ improbitati uideant impunitam licentiam? qui ne male faciant, neq; ui satis coguntur. Sed de politiæ usu erit alius opportunior dicendi locus.* Nunc *istud tantũ intelligi uolumus: de ea exterminanda cogitare, immanem esse barbariem. cuius usus non minor inter homines, quàm panis, aquæ, solis & aëris: dignitas quidem multò etiã præstantior.* Non *enim (quæ illorum omnium cõmoditas est) huc spectat dũtaxat, ut spirent homines, edant, bibant, foueantur*

tur (quanquam hæc certe omnia complectitur, dum efficit ut simul uiuant.) non tamen, inquam, huc spectat solum: sed ne idololatria, ne in Dei nomen sacrilegia, ne aduersus eius ueritatem blasphemiæ, aliæq; religionis offensiones publicæ emergant, ac in populũ spargantur: ne publica quies perturbetur, ut suum cuiq; saluũ sit & incolume, ut innoxia inter se commercia homines agitent. deniq;, ut inter Christianos publica religionis facies existat, inter homines constet humanitas. Nec quenquam moueat, quòd rectè constituendæ religionis curam, ad hominum politiam nunc refero, quam extra hominum arbitrium posuisse suprà uideor. Siquidẽ nihilo hic magis quàm antea, leges de religiõe ac Dei cultu hominibus suo arbitrio ferre permitto: cum politicã ordinationem probo, quæ in hoc incũbit, ne uera religio, quæ Dei lege continetur, palàm, publicisq; sacrilegijs, impune uioletur ac conspurcetur. Verum ipsa ordinis perspicuitate adiuti lectores, melius, quid de toto genere politicæ administrationis sentiendum sit, assequentur: si eius partes seorsum pertractemus. Sunt autem tres: Magistratus, qui præses est legum ac custos: Leges, secundũ quas ipse imperet: Populus, qui legibus regatur, et magistratui pareat. Videamus ergo primũ de ipsa

de ipsa magistratus functione, num legitima sit ac Deo probata uocatio, quale officiũ, quãta potestas. deinde, quibus instituenda sit legibus Christiana politia. tum postremo, quis legum usus ad populum redeat, quæ magistratui obedientia debeatur. Magistratuum functionem nõ modo sibi probari, acceptamq́; esse, testatus est Dominus: sed honorificentißimis insuper elogijs eius dignitatẽ prosecutus, mirifice nobis commendauit. Vt pauca commemorem: Quòd dij nuncupantur, quicunq; magistratum gerunt, ne in ea appellatione leue inesse momentũ quis putet. qua significantur, mandatum à Deo habere, diuina autoritate præditi: ac omnino Dei personam sustinere, cuius uices quodãmodo agũt. Nõ meũ hoc est cauillũ: sed Christi interpretatio. si scriptura, inquit, eos uocauit Deos, ad quos uerbũ Dei factum est. Quid hoc est, nisi demandatum illis esse à Deo negociũ, ut illi in suo munere seruiãt? & (quod iudicibus suis dicebant Moses & Iosaphat, quos per singulas ciuitates Iehuda cõstituebant) iudicium exerceant, non pro homine, sed pro Deo? Eódem pertinet, q̃ sapientia Dei per os Solomonis affirmat, suũ esse opus, q̃ reges regnant, & consiliarij decernũt iusta: quòd principes principatum gerunt, & munifici omnes

Ioan. 10
Deut. 1
2. Paral. 1
Prouer. 8

omnes iudices terræ. Perinde enim istud ualet, ac si dictum esset, non humana peruersitate fieri, ut penes reges & præfectos alios sit in terris rerum omnium arbitrium, sed diuina prouidentia & sancta ordinatione: cui sic uisum est res hominum moderari. Quod & Paulus aperte docet, dum præfecturas inter Dei dona enumerat, quæ, secundum gratiæ diuersitatem uarie distributa, à seruis Christi in ædificationem ecclesiæ conferri debeant. Multo uero clarius, ubi iustam ea de re disputationem instituit. Nam & potestatem, Dei ordinationem esse tradit: nec potestates esse ullas, nisi à Deo ordinatas. Ipsos autē principes, ministros esse Dei, bene agentibus in laudem, malis ad irā ultores. Huc accedunt & sanctorū uirorum exempla: quorum alij regnis, ut Dauid, Iosias, Ezechias: alij satrapijs, ut Ioseph, & Daniël: alij ciuilibus præfecturis in libero populo, ut Moses, Iosuah, & Iudices, functi sunt. quorum functiones sibi probatas esse, Dominus declarauit. Quare nulli iam dubium esse debet, quin ciuilis potestas, uocatio sit, non modo coram Deo sancta & legitima: sed sacerrima etiam, & in tota mortalium uita longe omnium honestissima. Quæ cogitatio magistratus ipsos assidue exercere debet. quando ingen-

Marginal notes: Rom. 12 (beside "ri. Quod & Paulus"); Rom. 13 (beside "tuit. Nam & potestatem")

do ingentem illis ſtimulum addere, quo ad officium excitentur: & ſingularem conſolationem adferre poteſt, qua muneris ſui difficultates (quæ multæ certe & graues ſunt) leniant. Quantum enim integritatis, prudentiæ, manſuetudinis, continentiæ, innocentiæ ſtudium ſibiipſis imperare debent, qui diuinæ iuſtitiæ miniſtros ſe conſtitutos eſſe norunt? Qua fiducia iniquitatem in tribunal ſuum admittent, quod Dei uiuentis thronum eſſe audiunt? Qua audacia iniuſtam ſententiam pronunciabunt eo ore, quod diuinæ ueritatis deſignatum eſſe organum intelligunt? Qua conſcientia in impia decreta ſubſcribent ea manu, quam ad præſcribenda Dei acta ſciunt ordinatam? In ſumma: ſi ſe Dei uicarios eſſe meminerint, omni cura, ſedulitate, induſtria inuigilent oportet, qui hominibus quandam diuinæ prouidentiæ, cuſtodiæ, bonitatis, beneuolentiæ, iuſtitiæ, imaginem in ſe repræſentent. Ac perpetuo illud ſibi ſubijciant maledici omnes, qui opus Dei faciunt in dolo. Itaq; Iere 48
cum ſuos iudices ad officiũ cohortari uellent Moſes Deut. 1
& Ioſaphat, nihil habuerunt efficacius, quo illorum Para. 19
animos afficerẽt, quàm quod prius retulimus. Videte quid agatis. non enim pro homine exercetis iudicium, ſed pro Deo: quippe qui iuxta uos eſt in cauſa iudicij.

dicij. Nūc igitur ſit pauor Domini ſuper uos. Videte, & agite: quoniam non eſt ulla peruerſitas apud Do
Pſal. 82 *minum Deū noſtrum.* et alio loco dicitur: *Deum ſtetiſſe in ſynagoga deorum, & in medio deorum iudicem agere.* quo ad officiū animētur, dum docentur, Dei ſe legatos eſſe, cui adminiſtratæ ꝓuinciæ rationem ſint reddituri. Et merito apud eos plurimū hæc admonitio ualere debet. Nā ſi qd delinquūt, nō hominib. modo ſunt iniurij, quos ſcelerate uexāt: ſed in Deū quoq; ipſum cōtumelioſi, cuius ſacroſancta iudicia polluunt. Rurſum habent & unde ſe præclare conſolentur, dum ſecum reputant, non in prophanis, nec à ſeruo Dei alienis occupationibus uerſari, ſed ſanctiſsimo munere. quippe qui Dei legatione fungantur. Qui uero non mouentur tot ſcripturæ teſtimonijs, quo minus ſacrum hoc miniſterium inſectari auſint, quaſi rem à religione & pietate Chriſtiana abhorrentem: quid aliud quàm Deum ipſum ſuggillant? cuius ignominia, cum miniſterij ſui probro non eſſe coniuncta non poteſt. Ac prorſus non magiſtratus reprobāt, ſed Deū abijciunt, ne ſuper ſe regnet. ſi enim iſtud uere de populo Iſraël à Domi-
1. Reg. 8 no dictū eſt, quod Samuelis imperiū detractaſſent: quî minus uere hodie de his dicetur, qui in præfecturas omnes à Deo inſtitutas debacchari ſibi permit-

tūt? At cū discipulis dictū est à Domino, Reges gentium dominari illis, inter ipsos uero non ita esse: ubi qui primus sit, fieri minimū oporteat. hac uoce interdictum est Christianis omnibus, ne regna aut præfecturas capessant. O dextros interpretes. Inter discipulos orta erat contentio, quis aliū præcelleret. hanc uanam ambitionem ut compesceret Dominus, eorum ministeriū non esse regnis simile docuit, in qbus inter cæteros unus eminet. Quæ collatio, quid quæso ad ignominiā regiæ dignitatis facit? imò quid omnino euincit, nisi regiū munus, apostolicū nō esse ministeriū? Præterea, inter ipsos magistratus tametsi uariæ sunt formæ, nullū tamē discrimē hac in parte est, qn ꝑ Dei ordinationib. suscipiēdæ à nobis omnes sint. Nā et omnes simul cōplectitur Paulus, cū ait, nō esse potestatē nisi à Deo. & quæ omniū minime arridebat, eximio præ alijs testimonio cōmēdata est. nēpe, unius potestas: quæ qa publicā omniū seruitutē secū fert, excepto uno illo, cuius libidini omnia subijcit heroicis et excellētiorib. ingenijs minus olim appbari potuit. At scriptura, quo iniqs istis iudicijs occurrat, diuinæ sapiētiæ ꝓuidētiā esse nominatim affirmat, ꝙ reges regnāt: et peculiariter regē honorari præcipit. Et sanè ualde otiosum est, qs potissimus sit politiæ status, à priuatis hominib. disputari

Luc. 22

Rom. 13

Pro. 8. 24

1. Pet.

quibus de constituenda re aliqua publica deliberare non licet: tum etiã simpliciter id definiri nisi temere non potest, cum præcipua huius disputationis ratio in circunstantijs posita sit. & si ipsos etiam status citra circunstantias inter se compares, non facile sit discernere, quis utilitate præpõderet: adeò æquis conditionibus contendunt. Procliuis *est à regno in tyrannidem lapsus. sed non multo difficilior, ab optimatum potestate in paucorum factionem.* Multo *uero facillimus, à populari dominatione in seditionem. Quod si non in unam duntaxat ciuitatẽ oculos defigas, sed uniuersum simul orbẽ circunspicias ac contempleris, uel aspectum in longiora saltem regionum spacia diffundas: comperies profecto, diuina prouidentia illud non abs re comparatum, ut diuersis politijs regiones uariæ administrarẽtur.* Nam *quemadmodum non, nisi inæquali temperatura, elementa inter se cohærent: ita hæ sua quadam inæqualitate optime cõtinẽtur. Quanquam hæc etiam omnia frustra his dicuntur, quibus* Domini *uoluntas satisfaciet.* Nam *si illi uisum est, reges regnis præficere, liberis ciuitatibus senatus aut decuriones: quoscunq; locis præfecerit, in quibus degimus, nostrum est, ijs nos morigeros ac obedientes præstare. Iam officium*

magi-

magiſtratuum quale uerbo Dei deſcribatur, ac quibus in rebus ſitum, obiter hoc loco indicandum eſt. Regibus denunciat Ieremias, ut faciant iudicium et Iere.22
iuſtitiam, liberent ui oppreſſum de manu calumniatoris, peregrinum & uiduam & pupillum ne contriſtent, neq; iniuriam faciant, & ſanguinem innocentem ne effundant. Moſes uero *principibus, quos* Deut.1
in uices ſuas ſuffecerat, edicit: audiant cauſam fratrũ ſuorum, & iudicent inter uirum, & fratrem eius, & peregrinũ. neq; facies agnoſcant in iudicio, tam paruum quàm magnum audiant, neq; timeant ab ullo uiro: quia iudicũ Dei *eſt. Illa autẽ omitto,* Ne *multipli-* Deut.17
cent ſibi æquos reges, ne ad auaritiã adijciãt animũ, ne eleuentur ſuper fratres ſuos, ut in meditanda lege Domini *ſint aßidui cunctis diebus uitæ ſuæ: ne iu-* Deut.16
dices quiuis declinent in alteram partem, ne munera accipiant. & quæ paßim in ſcripturis ſimilia leguntur. Quoniam, *in exponendo hic magiſtratuum officio, non tam magiſtratus ipſos inſtituere conſilium eſt, quàm alios docere, quid ſint magiſtratus, & quem in finem à* Deo *poſiti.* Videmus *ergo publicæ innocẽtiæ, modeſtiæ, honeſtatis, ac tranquillitatis protectores ſtatui ac uindices, quibus ſtudiũ unũ ſit, cõmuni omnium ſaluti ac paci proſpicere.* Id *uero*

cum præstare nõ possint, nisi uiros bonos ab impro borum iniurijs prohibeant, oppressis adsint ope ac
Rom. 13 *præsidio: potestate armati sunt, qua palàm maleficos ac facinorosos (quorum nequitia perturbatur ac exagitatur publica quies) seuere coërceãt.* Siquidem *id prorsus experimur, quod dicebat* Solon: *præmio & pœna res omnes publicas consistere. ijs sublatis, totam ciuitatum disciplinam collabi ac dissipari.* Fri*get enim in multorum animis æqui iustiq; cura, nisi uirtuti paratus sit suus honos: nec contineri sceleratorum hominum libido, nisi seueritate ac pœnarum animaduersione, potest.* Atq; *hæ duæ partes com-*
Iere. 22 *prehensæ sunt à propheta, dum reges aliosq; præfectos iubet facere iudicium & iustitiam.* Iu*stitia quidem est, innocentes in fidem suscipere, complecti, tueri, uindicare, liberare.* Iu*dicium autem, impiorum*
Matth. 5 *audaciæ obsistere, uim comprimere, delicta punire.*
Exod. 20 *Verum ardua hic, ut uidetur, & difficilis nasci-*
Deut. 5 *tur quæstio. Si lege* Dei *occidere* Christiani *omnes*
Iesa. 11. 65 *uetantur, & propheta de mõte sancto* Dei, *hoc est, ecclesia, uaticinatur, quòd non affligent in ea, neq; nocebunt: quomodo magistratibus, & pijs simul, et sanguinarijs esse liceat?* At *si intelligamus, magistra tum in exercendis supplicijs nõ à se agere quicquã,*

sed

ſed ipſiſsima Dei *iudicia exequi, nihil hoc ſcrupulo impediemur.* Occidere *lex* Domini *prohibet. at ne impunita ſint homicidia, gladium in manum ſuis miniſtris dat* Dominus, *quem in homicidas omnes exe rant. Affligere & nocere, piorum nõ eſt. atquî hoc nõ nocere eſt, nec affligere: piorum afflictiones,* Do *mini mandato, ulciſci. Vtinam iſtud ſemper animis noſtris obuerſaretur, nihil hic hominis temeritate, ſed* Dei *iubentis autoritate omnia fieri: qua præeunte, à recta uia nunquam aberratur. niſi forte diuinæ iuſtitiæ iniectum eſt frenum, ne de ſceleribus pœnas ſumat.* Quòd *ſi illi legem dicere fas non eſt, cur eius miniſtris calumniam intendamus?* Non *fruſtra: gladium gerunt, inquit* Paulus, *nam* Dei *miniſtri ſunt, ad iram, ultores male agentibus.* Itaq; *ſi nihil* Domi *no ſua obedientia fore acceptius norunt* Principes, *alijq́; præfecti: in hoc miniſteriũ incumbant, ſi ſuam* Deo *pietatem, iuſtitiam, integritatem, approbare ſtu dent.* Hoc *ſcilicet affectu agebatur* Moſes, *cum ſe de ſtinatum populi ſui liberatorem,* Domini *uirtute cognoſcens,* Aegyptio *manus intulit.* Deinde, *cum cæ ſis uno die tribus hominum milibus, in populi ſacrile gium uindicauit.* Dauid *quoq;, cum ſub uitæ ſuæ finem* Solomoni *filio præcepit, de occidendo* Ioab

Rom. 13
Exod. 2
Exod. 32

*& Semei. Quomodo lene illud et placidũ Mose in-
genium in tantã truculentiã exardet, ut fratrum suo
rum sanguine aspersus ac madidus, per castra decur
rat ad nouas strages? Quomodo* David, *tanta in o-
mni uita mansuetudine uir, cruentum illud testamen
3. Reg. 2. tum inter ultimos spiritus nuncupat, ne filius suus ca
nitiem* Ioab *& Semei in pace ad sepulchrũ deducat?*
Verũ *uterq; manus suas, quas parcendo inquinasset,
sic sæuiendo sanctificauit: dum ultionem sibi à* Deo
cõmissam exequutus est. Abo*minatio est apud reges
Proue. 16 inquit* Solomo, *facere iniquitatẽ: quoniam iniustitia
20 solium firmatur. rursum:* Rex, *qui sedet in solio iudi-
Eod. cij, spargit oculos in omne malum. item:* Dissipat
*impios rex sapiens, & conuertit eos super rotam.
25 item:* Aufer *scoriam ab argẽto, et egredietur uas con
flatori: aufer impium à conspectu regis, & statuetur
in iustitia solium eius.* Nunc *si uera eorum est iusti-
tia, stricto gladio sontes et impios persequi, gladium
recondant, & puras à sanguine manus contineant,
dum perditi homines nefarie per cædes interim &
strages grassantur: summa sese impietate obstringẽt.
tantum abest, ut bonitatis & iustitiæ laudem inde
referant.* Facessat *modo abscissa sæuaq; asperitas, et
tribunal illud, quod reorũ scopulus iure nominetur.*

Non

Non enim is ſum, qui aut importunæ ſæuitiæ faueã: aut æquum iudicium pronunciari poſſe cenſeam, niſi ſemper aſsidente optima illa regum conſiliaria, & certiſsima (ut Solomo affirmat) regij throni cõſeruatrice, Clementia: quam primã eſſe principũ dotem, uere à quodam olim dictum eſt. Vtrunq; tamen magiſtratui uidendum, ne, aut nimia ſeueritate uulneret magis, quàm medeatur: aut ſuperſtitioſa clementiæ affectatione, in crudeliſsimam incidat humanitatem, ſi molli diſſolutáq; indulgentia, cum multorum pernitie diffluat. Eſt enim & iſtud non abs re quondam ſub Neruæ imperio iactatum: Malum quidem eſſe, ſub principe uiuere, ſub quo nihil liceat: ſed multo peius, ſub quo liceant omnia. Quando uerò regibus populiſq;, ad exercendã huiuſmodi publicam uindictam, arma capere interdũ neceſſe eſt: ex hac ratione ſimul æſtimare licet, legitima eſſe, quæ ſic ſuſcipiuntur, bella. Nam ſi tradita illis eſt poteſtas, qua ditionis ſuæ quietem tueantur, qua inquietorum hominum ſeditioſos motus comprimant, qua ui oppreſſis opitulentur, qua in maleficia animaduertant: an maiore opportunitate proferre eam poſsint, quàm ad compeſcendum eius furorem, à quo & priuatum ſingulorum ocium, & cõmunis omnium tranquillitas Prouer. 20

perturbatur? qui seditiose tumultuatur: à quo uiolentæ oppreßiones, & indigna maleficia perpetrantur? si legum custodes esse ipsos, & assertores cõuenit: omnium conatus pariter euertant oportet, quorum scelere, legũ disciplina corrumpitur. Imò si iure eos latrones plectũt, quorum iniuriæ in paucos tantum progressæ fuerint: an totam latrocinijs regionem impune affligi uastariq́; sinent? Siquidẽ nihil interest, rex ne sit, an infima de plebe, qui in alienam regionem, in quam iuris nihil habet, irruit, eamq́; hostiliter uexat. omnes æque pro latronibus habẽdi sunt, & puniendi. Verum magistratuum omnium fuerit, summopere hic cauere, ne cupiditatibus suis uel tantillum obsequantur. quin magis, siue expetendæ sunt pœnæ, non præcipiti iracundia ferantur, nõ rapiantur odio, non implacabili austeritate ardeant, miserentur etiam cõmunem in eo naturam (ut Augustinus loquitur:) in quo puniũt propriũ delictum. siue arma in hostem, hoc est armatum latronem induenda sunt, non ex facili occasionẽ captent: imò nec oblatam accipiant, nisi summa neceßitate adacti. Nam si multò plus nobis præstandũ est, quàm exegerit ethnicus ille, qui bellũ uideri uoluit pacem quæsitam: omnia prius certe tentanda sunt, quàm armis

decer-

decernendum. In utroq; demum genere, nullo priuato affectu patiantur se corripi, sed publico duntaxat sensu ducantur. Alioqui, potestate sua pessime abutuntur: quæ non in suum illis cõmodum, sed aliorum bonum ac ministerium data est. Ex eodem præterea belligerãdi iure pendet & præsidiorũ, & fœderum, & ciuilium aliarũ munitionũ ratio. Præsidia autem uoco, quæ ad tuendos regionis fines, per ciuitates disponuntur: Fœdera, quæ à finitimis principibus in hanc legem feriuntur, ut si quid turbarum in agris suis inciderit, mutuã sibi opem ferãt, & uires in commune conferãt, ad opprimẽdos humani generis communes hostes: Ciuiles munitiones, quarũ in arte militari usus est. Libet istud quoq; postremò adijcere, tributa & uectigalia, legitimos esse principum reditus: quos ad sustinenda quidem potissimũ publica muneris sui onera conferant. quibus tamen uti similiter possint, ad splendorẽ suum domesticũ: qui cum imperij, quod gerunt, dignitate quodãmodo coniunctus est. Qualiter Dauidem, Ezechiah, Iosiah, Iehosaphah, aliosq; sanctos reges: Ioseph etiã, & Daniel, uidemus pro personæ, quam sustinebant, modo, inoffensa pietate, fuisse ex publico sumptuosos. & amplissimũ agri spaciũ regibus attributũ, legimus apud

Ezech.ult. Iezechielem: sic tamen, ut uicißim meminerint principes ipsi, fiscos suos non tam priuatas esse arcas, q̃
Rom. 13 totius populi æraria (sic enim Paulus testatur:) quæ prodigere aut dilapidare, sine manifesta iniuria, non poßint. Vel potius, ipsum penè esse populi sanguinẽ, cui non parcere, dirißima sit inhumanitas. suas autẽ indictiones, & oblationes, aliaq; tributorũ genera, non nisi publicæ neceßitatis subsidia esse, reputent: quibus miseram plebem absq; causa fatigare, tyrannica sit rapacitas. Hæc principibus ad profusionem & luxuriosos sumptus non faciunt animos (ut certè facem eorum cupiditatibus, plus iusto sponte accensis, subijcere opus nõ est:) sed cum plurimũ referat, ipsos, pura coram Deo conscientia, audere quicquid audent, ne impia confidentia in Dei contemptũ ueniant, docendi sunt, quantum sibi liceat. Neq; hæc doctrina priuatis hominib. superuacua est: ne quosuis principũ sumptus, tametsi uulgarẽ ciuilemq; modum excedunt, temere ac procaciter suggillare sibi permittant. Proximæ sunt magistratui in politijs leges, ualidißimi rerum publicarum nerui: uel (quomodo à Cicerone uocãtur) animæ, sine quibus consistere nequit magistratus: quemadmodum nec ipsæ rursum sine magistratu. Proinde nihil dici uerius poterat,

terat, quàm mutum esse magistratum, legem: magistratum, legem esse uiuam. Quòd autem dicturũ me recepi, quibus legibus constituenda sit Christiana *politia: nõ est cur longã de optimo legum genere disputationẽ quis expectet, quæ et immensa foret, nec præsentis esset argumenti.* Paucis *tantũ, & quasi in transcursu, notabo, quibus legibus pie corã* Deo *uti posset, et inter homines rite administrari. Quod etiã ipsum prorsus silentio transmisissem, nisi intelligerẽ, periculose hic à multis aberrari. Sunt enim qui recte compositam esse rempublicam negent, quæ, neglectis* Mose *politicis, cõmunibus gentiũ legibus regitur. Quæ sententia q̃ periculosa sit & turbulenta, uiderint alij. mihi falsam esse & stolidã, demõstrasse satis erit.* Est *autem obseruanda uulgata illa partitio, quæ uniuersam* Dei *legẽ, per* Mosen *administratam, in mores, ceremonias, iudicia, distribuit. ac dispiciendæ singulæ partes: ut habeamus, quid ex ijs ad nos pertineat, quid minus.* Nec *interim quẽpiam moretur hic scrupulus, quòd ad mores etiam iudicia & ceremoniæ pertinent.* Veteres *enim, qui partitionem hanc tradiderunt, tametsi duas istas posteriores partes non ignorabant circa mores uersari: quia tamen saluis moribus mutari & abrogari pote*

rant, morales non dixerunt. primam illam partem peculiariter apppellarũt eo nomine, citra quam non constet uera morum sanctitas. Lex *itaq; moralis (ut inde primum incipiamus) cum duobus capitibus cõtineatur, quorũ alterũ, pura* Deũ *fide & pieta te colere, alterum syncera homines dilectione complecti simpliciter iubet: uera est æternaq; iustitiæ regula, gentium omnium ac temporum hominibus præscripta, qui ad* Dei *uoluntatem uitam suam componere uolent. Siquidem hæc æterna est & immuta bilis eius uoluntas, ut à nobis ipse quidem omnibus colatur: nos uero mutuo inter nos diligamus.* Cere- Gal.3.4 *monialis,* I*udæorum pædagogia fuit: qua populi illius quandam uelut pueritiam exercere* Domino *uisum est, donec ueniret tempus illud plenitudinis, quo sapientiam suam terris ad plenum manifestaret, ac ueri tatẽ exhiberet earũ rerũ, quæ tum figuris adumbrabantur.* I*udicialis, politiæ loco illis data, certas æquitatis & iustitiæ formulas tradebat, quibus innocenter & quiete inter se agerent.* A*tq; ut illa ceremoniarum exercitatio ad pietatis quidem doctrinã proprie pertinebat (utpote quæ* I*udæorũ ecclesiam retinebat in* Dei *cultu ac religione) ab ipsa tamẽ pietate distin gui poterat: ita hæc iudiciorum forma (quanq̃ non*

aliò spectabat, quam qui optime seruari posset ea ipsa charitas, quae aeterna Dei lege praecipitur) ab ipso tamen dilectionis praecepto distinctum quiddam habebat. Quemadmodum ergo, salua et incolumi pietate, abrogari potuerunt ceremoniae: ita & iudiciarijs his constitutionibus sublatis, perpetua charitatis officia, & praecepta manere possunt. Quod si uerum est, libertas certe singulis gentibus relicta est condendi, quas sibi conducere prouiderint, leges: quae tamen ad perpetuam illam charitatis regulam exigantur, ut forma quidem uarient, rationem habeant eandem. Nam barbaras illas & feras leges (quales fuerunt, quae fures honore prosequebantur, quae promiscuos coitus permittebant, aliaeq; multò tum foediores, tum absurdiores) pro legibus habendas minime censeo. quandoquidem abhorrent ab omni, non iustitia modo, sed humanitate etiam & mansuetudine. Id quod dixi planum fiet, si in legibus omnibus duo haec (ut decet) intueamur: Legis constitutionem, & aequitatem, cuius ratione constitutio ipsa nititur. Aequitas, quia naturalis est, non nisi una omnium esse potest. ideo & legibus omnibus, pro negocij genere, eadem proposita esse debet. Constitutiones, quia circunstantias adnexas habent, à quibus pro

parte

parte pendeant: modo in eundem æquitatis ſcopum omnes pariter intendant, diuerſas eſſe nihil obeſt. Iam cum Dei legem, quam moralem uocamus, conſtat non aliud eſſe, quàm naturalis legis teſtimonium, & eius conſcientiæ, quæ hominum animis à Deo inſculpta eſt: tota huius, de qua nunc loquimur, æquitatis ratio in ipſa perſcripta eſt. Proinde ſola quoque ipſa legum omnium & ſcopus, & regula, & terminus ſit, oportet. Ad eam regulam quæcunq; formatæ erunt leges, quæ in eum ſcopum directæ, quæ eo termino limitatæ: non eſt cur à nobis improbētur, utcunq; uel à lege Iudaica, uel inter ſe ipſæ aliâs differant. Lex Dei furari prohibet. quæ furtis conſtituta fuerit pœna in politia
Exod. 22 *Iudæorum, uidere eſt in Exodo. Aliarum gentium uetuſtiſſimæ leges furtum duplo puniebant. quæ poſtea ſecutæ ſunt, diſcreuerunt inter manifeſtum, & nec manifeſtum. Aliæ ad exiliū progreſſæ ſunt, aliæ ad flagrum, aliæ deniq; ad capitis ſupplicium. Falſum teſtimonium talionis pœna inter Iudæos ple-*
Deut. 19 *ctebatur: alibi graui tantum ignominia, alibi ſuſpendio, alibi cruce. Homicidium omnes pariter leges ſanguine ulciſcuntur, diuerſis tamen mortis generibus. In adulteros alibi ſeueriores, alibi leuiores*
edictæ

edictæ sunt pœnæ. Videmus tamen, ut eiusmodi diuersitate in eundem omnes finem tendãt. Nam, uno simul ore, pœnam pronuntiant in ea, quæ æterna Dei lege damnata sunt, facinora: nempe homicidia, furta, adulteria, falsa testimonia. sed in pœnæ modo non cõueniunt. Neq; uero id necesse est, neq; etiam expedit. Est regio, quæ nisi horrendis exemplis in homicidas sæuiat, cædibus statim & latrocinijs perdenda sit. Est seculũ, quod pœnarũ acerbitatẽ augeri postulet. Est gens in uitiũ quoddã propẽsior, nisi acerrime cõpescatur. Quàm malignus fuerit is, ac publico bono inuidus, qui tali diuersitate offendatur, ad retinendam legis Dei obseruationem accommodatissima? Nam quod iactatur à quibusdã, fieri contumeliam legi Dei per Mosen latæ, cũ abrogata illa nouæ aliæ illi præferuntur, uanissimum est. neque enim aut aliæ illi præferũtur, dum magis probantur, non simplici collatione: sed temporum, loci, gentis, conditione. Aut illa abrogatur, quæ nobis lata nunquàm fuit: siquidem non eam Dominus per manum Mose tradidit, quæ in gẽtes omnes promulgaretur: sed cum Iudaicam gentem, in fidem, patrociniũ, clientelã suam suscepisset, illi etiã peculiariter legislator esse uoluit, ac, quod sapientis legislatoris erat, singularem

larem quandam eius rationem in ferendis illis legibus habuit. Supereſt nũc, iſtud ut uideamus, quod poſtremo loco propoſitum erat: quis legum, iudiciorum, magiſtratuũ uſus ad cõmunem Chriſtianorum ſocietatem redeat: quantũ magiſtratibus à priuatis hominib. deferendũ ſit: quæ obediẽtia debeatur. plurimis uidetur ſuperuacaneũ eſſe munus magiſtratus inter Chriſtianos, quod ſcilicet implorare pie non poßint. utpote quibus uindicare, in iudiciũ poſtulare, litigare uetitum ſit. At cum Paulus contrà
Rom. 13 *clare teſtetur, miniſtrũ Dei nobis eſſe in bonum: ex eo intelligimus, Domini uolũtatem eſſe, ut eius manu ac præſidijs, aduerſus flagitioſorũ hominum improbitatem & iniurias defenſi, quietam ac ſecurã uitam agamus. Quòd ſi fruſtra in præſidiũ nobis à Domino datus eſt, niſi tali nobis beneficio uti licet: ſatis apparet, implorari quoq; & appellari non impie poſſe. Hic uero mihi cum duplici hominũ genere agendum eſt, ſunt enim permulti qui tanta litigandi rabie æſtuãt, ut quietem nunq̃ habeãt apud ſeſe, niſi cum alijs pugnent. Lites uero ipſas, & capitali odiorum acerbitate, & inſana uindicandi nocendiq; cupiditate exequuntur, & implacabili pertinacia perſequuntur, ad ſui uſque aduerſarij ruinã. Interim, ne quid niſi iure*

si iure agere existimentur, iudiciorũ prætextu, talem peruersitatem defendunt. At si cum fratre, iudicio agere permissum est, nõ protinus odisse ipsum licet: non furioso nocendi studio in illum ferri, non pertinaciter insequi. Sic ergo tales habeant: legitima esse iudicia, si quis recte utatur. Rectũ autem esse usum, tum actori, agendi: tũ defendẽdi, reo: si hic quidem postulatus ad condictũ diem se sistit, & qua potest exceptione causam defendit, citra acerbitatẽ: sed hoc tantũ affectu, ut quod suum est, iure tueatur. ille uero indigne, siue in capite, siue in fortunis oppressus, in magistratus fidem se conferat, querimoniam exponat, quod æquũ est ac bonum postulet, sed omni procul nocendi uindicandi ue libidine: procul asperitate & odio, procul contentionis ardore. quin potius paratus suo cedere, & quiduis perpeti, quàm inimico in aduersarium animo ferri. Contra, ubi animi maleuolentia suffusi, corrupti inuidia, iracundia incẽsi, ultionẽ spirantes: aut sic deniq; ardore certaminis inflammati, ut de charitate aliquid remittant, tota etiam iustissimæ causæ actio nõ impia esse non potest. Nam hoc cõstitutum esse axioma Christianis omnibus cõuenit. nunquam, quantũuis æquam: litem iuste tractari à quouis posse, nisi pari aduersarium

rium

rium dilectione beneuolẽtiaq́; prosequatur: ac si iam amice, q̃ cõtrouertitur negociũ, transactũ ac cõpositũ esset. Iniecerit forte aliq́s, talẽ moderationẽ adeò nunquam in iudicium afferri, ut instar sit prodigij futura, si qua reperta fuerit. fateor sanè, ut sunt horum temporũ mores, rarum extare probi litigatoris exemplum: sed res tamen ipsa, nullius mali accessione inquinata, bona esse & pura nõ desinit. Cæterũ, cum sanctum esse Dei donũ, audimus auxilium magistratus: eò diligentius cauẽdũ est, ne nostro uitio polluatur. Qui uero iudiciarias omnes disceptatiões præcise damnant, intelligant se sanctã Dei ordinationẽ simul repudiare: & donũ, ex eorum genere, quæ mundis munda esse poßint. nisi forte paulũ flagitij insimulare uolent, qui & accusatorũ calũnias, eorum quoque uafritiẽ & malitiã exponendo, à se depulit: & romanæ ciuitatis prærogatiuã sibi in iudicijs asseruit: & ab iniquo præside, ad Cæsaris tribunal, cũ opus fuit, prouocauit. Nec obest, quod Christianis omnib. interdicta est uindictæ cupiditas, quam

Acto.22 *& nos à Christianis subsellijs longißime abigimus.*

& 24. 25 Deut.32 Matth.5 Rom.12 *Nam, siue ciuiliter cõtenditur, nõ recta incedit uia, nisi qui innoxia simplicitate, rem suam iudici, tanquam publico tutori, cõmmendat: nihil minus, quàm*

mutu-

mutuam mali uicem, qui eſt uindictæ affectus, rependere cogitans. ſiue capitalis aut grauior aliqua intenditur actio, eum accuſatorem requirimus, qui nullo ulciſcendi æſtu correptus, nulla priuatæ iniuriæ offenſione tactus, in forum accedat: ſed in animo duntaxat habens, pernitioſi hominis conatus impedire, ne reip. noceant. Quòd ſi uindicem animum tollis, nihil in mandatum illud delinquitur, quo ultio Christianis interdicitur. At, non ſolum uindictam appetere uetantur, ſed manum quoq; Domini iubentur expectare, qui ſe oppreßis et afflictis adfuturum ultorem pollicetur. Illam autē Domini ultionem anteuertunt, qui opem aut ſibi, aut alijs ferri à magiſtratu poſtulant. Minime id uero. ſiquidem magiſtratus uindicta, non hominis, ſed Dei eſſe, cogitanda eſt: quam per hominis miniſterium nobis (ut ait Paulus) largitur. Nihilo etiam magis cum Chriſti uerbis pugnamus: quibus reſiſtere malo prohibet: et dexteram maxillam obuertere præcipit ei, qui alapam in ſiniſtram impegerit: permittereq; ei pallium, qui tunicam auferat. Vult quidem illic ſuorū animos à retaliandi cupidine tantopere abhorrere, ut citius duplicari in ſe iniuriam laturi ſint, quàm ad rependendam animos adiecturi. à qua patientia nec ipſi

Rom. 12 — Rom. 13 — Matth. 5

I eos

eos abducimus. Vere enim Christianos, esse oportet hominum genus ad contumelias iniuriasq; ferendas natum: pessimorum hominum nequitiæ, imposturis, ludibrijs, expositum. neq; id modo: sed eorum omnium malorum tolerantes esse oportet, hoc est, sic totis animis compositos, ut suscepta una afflictione, ad alterã se comparent. nihil sibi in totam uitam promittẽtes, quàm perpetuæ crucis tolerantiam. Interim & ijs, qui sibi iniurij sunt, benefaciãt, & ma-
Rom 12 *ledicentibus bene precentur, &, quæ unica est sua uictoria, bono malum uincere cõtendant. Sic affecti, nõ quærẽt oculum pro oculo, dentem pro dente (qualiter suos discipulos instituebãt pharisæi, ad expetendã ultionẽ:) sed (quomodo à Christo erudiuntur) & corpus suũ mutilari, & malitiose sua sibi eripi sic ferẽt, ut eas iniurias, simul ac irrogatæ sibi fuerint, remissuri sint, ac ultro condonaturi. Neq; istæc tamen animorum æquitas & moderatio impediet, quin integra in suos inimicos amicitia, magistratus ope, ad rerum suarum conseruationem utantur: aut publici boni studio sontem ac pestilentem hominem ad pœnã postulent, quem emendari, nisi morte, non posse nouerint. Quod autem obiectari solet, lites à*
1. Cor. 6 *Paulò in uniuersum esse damnatas, id quoq; falsum est.*

est. Intelligi ex eius uerbis facile potest, immodicum fuisse litigandi furorem in Corinthiorum ecclesia: usq; eò, ut Christi Euangelium, & totam suam religionem, impiorum cauillis ac maledicentiæ exponerent. Id primū reprehendit in illis Paulus, quod Euangelium apud infideles, dissensionum suarum intemperie traducerent. Deinde & hoc ipsum, quòd eum in modum inter se dißiderent, fratres cum fratribus. Tam enim procul à ferenda iniuria alieni erant, ut alij aliorum fortunis auide inhiarent, ultro lacessèrent, & damnum inferrēt. In illam ergo litigandi insaniam inuehitur, non simpliciter in quasuis controuersias. At omnino delictum esse pronunciat, quòd non potius damnum acciperent rerum suarum, quòd pro his conseruādis ad cōtentiones usq; laborarent. Id sanè Christianis agendum est, ut de suo iure decedere semper malint, quàm in forum progredi: unde uix exire poßint, nisi commotiore animo, & in fratris odium accenso. Verum ubi quis citra charitatis dispendium, rem suam se posse tueri uiderit, cuius iactura graui sibi dispendio futura sit, id si faciat, nihil in istam Pauli sententiam delinquit. Deniq; (quod initio docuimus) optimum cuiq; consilium dabit charitas: sine qua quæcunq; suscipiuntur, & ultra quam

quæ progrediuntur, diſceptationes iniuſtas eſſe & impias, extra controuerſiam ponimus. Subditorum erga ſuos magiſtratus officium primum eſt, de eorum functione quàm honorificentiſſime ſentire: quam ſcilicet, uelut delegatã à Deo iuriſdictionem, agnoſcant: eosq; ob id ſuſpicere ac reuereri, ut Dei miniſtros ac legatos. Quoſdam enim reperias, qui ſuis ſe magiſtratibus ualde obſequentes præbeant, ac nolint quidem nõ eſſe, quibus obſequantur: quòd bono publico ita expedire norũt. de ipſis tamen magiſtratibus nõ ſecus exiſtiment, ac malis quibuſdam
1.Pet. 2 neceſſarijs. Verum plus quiddam à nobis requirit
Prouer. 24 Petrus, cum regem honorari: & Solomo, cũ Deum & regem timeri præcipit. Ille enim ſub honorandi uerbo, ſynceram ac candidam exiſtimationem complectitur: hic regem cum Deo coniungens, ſanctæ cuiuſdẽ uenerationis ac dignitatis plenum eſſe oſtendit. Eſt & illud præclarum apud Paulum elogium, ut obediamus non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam. Quo intelligit, nõ terrore modo principum ac præfectorum adduci ſubditos debere, ut in eorum ſubiectione contineantur (qualiter ſuccumbere hoſti armato ſolent, qui uindictam fore promptam uident, ſi reſtiterint:) uerum quia Deo ipſi

redduntur

redduntur obſequia, quæ iſtis præſtantur: quando eorum poteſtas à Deo *eſt.* Ex eo *& alterum deinde ſequitur, ut propenſis in eorum obſeruationem animis, ſuam illis obedientiam approbẽt: ſiue edictis parendum, ſiue tributa ſoluenda, ſiue ſubeunda publica munera atq; onera, quæ ad communem defenſionem ſpectent, ſiue qua alia iuſſa capeſſenda.* Omnis *anima, inquit* Paulus, *poteſtatibus ſublimiorib. ſubdita ſit. qui enim poteſtati reſiſtit,* Dei *ordinationi reſiſtit.* Admoneto *illos (ſcribit idẽ* Tito*) ut principalibus ac poteſtatibus ſubditi ſint, ut magiſtratibus pareant, ut ad omne opus bonum ſint parati. et* Petrus: Subditi, *inquit, eſtote cuiuis humanæ creaturæ, propter* Dominum: *ſiue regi, tanquam præcellenti: ſiue præſidibus, qui per eum mittuntur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium.* Porrò, *quo non ſubiectionem ſimulare, ſed ſyncere & ex animo ſubiectos ſe eſſe, teſtentur: addit* Paulus, *ut eorum, ſub quibus uiuunt, ſalutem ac proſperitatẽ* Deo *cõmendent.* Adhortor, *inquit, ut fiant deprecatiões, obſecrationes, interpellatiões, gratiarũ actiones, ꝑ omnibus hominib. pro regibus, & omnibus in eminentia conſtitutis, ut placidam & quietam uitam degamus, cum omni pietate ac honeſtate.*

Ibidem

Tit. 3

1. Pet. 2

1. Tim. 2

Neq; hic se quisquam fallat. Quando enim resisti magistratui non potest, quin simul Deo resistatur: etiamsi impune contemni uidetur posse inermis magistratus, Deus tamen armatus est, qui sui contemptum fortiter ulciscatur. Sub hac præterea obedientia, moderationem comprehendo, quam sibi in publico imperare debēt priuati homines, ne se ultro admisceant publicis negocijs, aut temere irrumpant in partes magistratus, ac ne quid omnino publice moliantur. Si quid in publica ordinatione corrigi intererit, non tumultuentur ipsi, nec admoueāt operi manus: quas illis omnib. ligatas esse hac in parte decet. ad magistratus cognitionē deferant, cuius unius hic soluta est manus. Intelligo autem, ne quid iniußi audeant. Nam ubi acceßit præfecti imperium, iam ipsi quoq; publica autoritate præditi sunt. Vt enim aures atq; oculos principis, uocare uulgo solent eius consiliarios: ita non insulse principis manus quis dicat, quos rebus agendis, mandato suo, præfecerit.

Quoniam autem hactenus magistratum descripsimus, qui uere sit quod dicitur, ille scilicet patriæ pater, & (ut Poëta loquitur) pastor populi, custos pacis, præses iustitiæ, innocentiæ uindex: insanus merito iudicandus sit, cui tale nō probetur imperiū.

At cum

At cum omnium propè seculorum hoc exemplum sit, ut principum alij, eorum omnium securi, quibus prouidendis intenti esse debuerant, procul omni solicitudine socordes delitientur: alij ad rem suã attenti, iura omnia, priuilegia, iudicia, diplomata uenalia prostituant: alij plebeculam exhauriant pecunia, quam postea insanis largitionibus profundant: alij expilandis domibus, uirginibus ac matronis uiolandis, mactandis insontibus, mera latrocinia exerceant: eos uero pro principibus agnoscendos esse, quorum imperio, quoad licet, parendum sit, multis persuaderi non potest. siquidem dum in tanta indignitate, ac inter tam aliena, non à magistratus modo, sed hominis quoq; officio, facinora, nullam speciem imaginis Dei intuentur, quæ in magistratu elucere debuerat: dum nullum conspiciũt uestigium eius ministri Dei, qui in laudem bonis, malis in ultionem datus erat: Ita neq; etiam præfectũ illum agnoscunt, cuius dignitatem atq; autoritatem scriptura nobis commendauit. Et sane is semper omnium ferè hominum animis ingenitus fuit sensus, non minore tyrannos odio atq; execratione insectari, quàm dilectione & ueneratione prosequi legitimos reges. Verum si in Dei uerbum respicimus, longius nos deducet, ut non eorum

modo principum imperio ſubditi ſimus, qui probè, & qua debent fide, munere ſuo defunguntur: ſed omnium, qui quoquomodo rerum potiuntur, etiamſi nihil minus præſtēt, quàm quod ex officio erat principum. Tametſi enim ſummū ſuæ beneficentiæ munus eſſe magiſtratum, ad ſalutem hominum conſeruandam, teſtatur Dominus, *ac ſuos magiſtratibus ipſis fines præſcribit: ſimul tamen declarat, qualeſcunq; ſint, non niſi à ſe habere imperium. Eos quidem, qui publico bono imperāt, uera eius ſuæ beneficentiæ exemplaria eſſe & ſpecimina: qui uero iniuſte & impotenter dominantur, eos ad uindicandam populi iniquitatem à ſe excitatos. omnes ex æquo ſancta illa maieſtate eſſe præditos, qua legitimam poteſtatem inſtruxit. Non ultra progrediar, donec certa eius rei aliquot teſtimonia ſubijecero.*
Iob 34 N*ec tamen, quo furorem* Domini *ſuper terram eſſe,*
Oſee. 13 *impium regē confirmemus, laborandum eſt: quan-*
Ieſa. 10 *do neminem futurum arbitror, qui reclamet. nec ſic de rege plus dictū fuerit, quàm de prædone, qui rem tuam diripiat: de adultero, qui thorum tuū polluat: de ſicario, qui te ad cædē appetat: (cum huiuſmodi calamitates omnes, inter* Dei *maledictiones, ſcriptu-*
Deut. 28 *ra recenſeat.)* V*erum in eo probando inſiſtamus*

magis,

magis, quod nõ ita facile in hominum mentes cadit. In homine deterrimo, honoreq́; omni indignißimo (penes quem modo sit publica potestas) præclaram illam & diuinam potestatem residere, quam Dominus iustitiæ ac iudicij sui ministris uerbo suo detulit: eumq́; à subditis eadẽ in dignatione habendũ (quantum ad publicam obedientiam attinet) qua optimum regem, si daretur, habituri essent. Principio uelim animaduertant, seduloq́; obseruẽt lectores illam, quæ non sine causa toties nobis in scripturis commemoratur, Dei prouidentiam: ac singularem actionem in distribuẽdis regnis, statuẽdisq́;, quos illi uisum fuerit, regibus. Apud Danielem: Dominus mutat tempora, & uices temporũ: abijcit reges, & instituit. item: Vt cognoscãt uiuentes, quòd potens sit altißimus in regno hominum: cui ipse uoluerit, dabit illud. Cuiusmodi sententijs cum paßim abundet scriptura, illa tamen prophetia peculiariter scatet. Iam, qualis rex fuerit Nabuchadnezar, is qui Ierusalem expugnauit, satis scitur. nempe, strenuus alienorum inuasor, ac populator. Dominus tamen apud Iezechielẽ se illi terrã Aegypti dedisse affirmat, pro operatiõe, qua sibi in uastanda Aegypto seruiuisset. Et illi dicebat Daniel: Tu rex, rex es regũ: cui Deus

Daniel. 2
Daniel. 4
Iezech. 2[?]
Daniel. 2

*cœlorum, dedit regnum potens ac forte atq; glorio-
sum. tibi inquam dedit, & omnes terras ubi habitãt
filij hominum, bestiæ syluestres, & uolucres cœli,
eas tradidit in manum tuam, ac fecit te dominari eis.*
Daniel. 5 *rursum eius filio* Belsazar: Deus *altißimus dedit*
Nabuchacnezar *patri tuo regnum & magnificen
tiam, honorem & gloriam. & propter magnificen-
tiam quã dedit illi, omnes populi, tribus, & linguæ,
fuerũt trementes & timentes à cõspectu eius.* Cum
audimus, à Deo *impositum esse regem: simul illa, de
honorando & timendo rege, cœlestia edicta animo
repetamus: & nequißimum tyrannum non dubita-
bimus eo habere loco,* quo Dominus *ipsum digna-*
1. Reg. 8 *tus fuerit. Samuel, cum* populo Israël *denunciaret,
qualia esset à regibus suis passurus:* Hoc ius *erit re-
gis, dicebat, qui regnabit super uos. filios uestros tol
let, & ponet eos ad currum suum, ut ponat eos pro
equitibus suis, & ut arent agros suos, & messem suã
metant, & arma fabricentur. filias uestras tollet,
ut sint pigmentariæ, coquæ, & pistrices. agros de-
niq; uestros, uineas uestras, & oliueta optima aufe-
ret, & dabit seruis suis. semina uestra, & uineas ue
stras decimabit, et dabit eunuchis & seruis suis. ser-
uos uestros, ancillas, & asinos tollet: & adhibebit*
operi

operi suo. quin & greges uestros decimabit: & uos eritis serui illius. Certe non id iure facturi erant reges, quos optime ad omnem continentiam lex instituebat: sed ius in populum uocabatur, cui parêre, ipsi necesse esset, nec obsistere liceret. Ac si dixisset Samuel: Eò se proripiet licẽtiæ regũ libido, quam cohibere uestrũ non erit: quibus hoc restabit unum, iussa excipere, ac dicto audientes esse. In primis autem insignis est & memorabilis apud Ieremiam locus: quem, tametsi prolixiorem, ideo non pigebit referre, quia totam hanc quæstionem clarissime definit. Ego feci terram, & homines (ait Dominus) & animalia, quæ sunt in superficie terræ, in fortitudine mea magna, & brachio extento: & ipsam trado ei, qui placuerit in oculis meis. & nunc itaq; ego dedi omnes terras istas in manum Nabuchadnezar serui mei. et seruient ei gẽtes omnes, & reges magni: donec tempus ueniet terræ eius. eritq;, ut gens & regnum, quæ non seruierint ei, & non posuerint collum suum sub iugum regis Babel: uisitabo gentem illam in gladio, fame, & peste. quare, seruite regi Babel, & uiuite. Videmus quanta obedientia Dominus tetrum illum ferocemq; tyrãnum, coli uoluerit: non alia ratione, nisi quia regnum obtinebat. Id autem

Deut. 17

Iere. 27

ipsum erat, Domini *decreto*, *in solium regni impositum esse: ac in regiam maiestatem assumptũ, quam uiolare nefas esset*. Hoc *nobis si aßidue ob animos & oculos obuersetur, eodẽ decreto constitui etiam nequißimos reges, quo regum autoritas statuitur: nunquam in animum nobis seditiosæ illæ cogitationes uenient. tractandum esse pro meritis regem: nec æquum esse, ut subditos ei præstemus, qui uicißim*
Iere. 29 *regem nobis non præstet. Est apud eundem prophetam, alterum quoq;* Domini *mandatum: quo iubet populum suum quærere pacem* Babylonis, *in quam captiui abducti essent: & orare ad se pro ea, quoniã in pace eius futura esset pax eorum. Ecce, Israëlitæ fortunis omnibus exuti, è domibus suis auulsi, in exilium abacti, in miseram coniecti seruitutem, pro uictoris prosperitate orare iubentur. non quomodo iubemur aliâs persecutoribus nostris bene precari: sed ut saluum illi regnum & tranquillum conseruetur, ut sub eo ipsi quoq; prospere agant*. Sic Dauid, *iam rex* Dei *ordinatione designatus, sanctoq; eius oleo unctus, cum nullo suo merito indigne à Saule impeteretur, insidiatoris tamen sui sacrosanctum habebat caput, quod regni honore* Dominus *sanctificauerat*.
1. Reg. 24 *Absit à me, dicebat, ut coram* Domino *faciam rem istam*

istam Domino meo, Meschie Domini: ut mittam manum meam in eum, quoniam Christus Domini est. item: Pepercit tibi anima mea, dixiq́;, Non mittam manum meam in Dominum meum, quoniam Christus Domini est. item: Quis mittet manum suam in Christū Domini, & innocens erit? Viuit Dominus, nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius uenerit, ut moriatur, aut in prelium descenderit: absit à me, ut mittam manum meam in Christum Domini. Eod. 1. Reg.

Hunc reuerentiæ, atq; adeò pietatis affectum debemus ad extremum, præfectis nostris omnibus, quales tādem cunq; sint. Quod sæpius ideo repeto, ut discamus non homines ipsos excutere: sed satis habeamus, quòd uoluntate Domini, eam personam sustineant, cui inuiolabilem maiestatem impreßit ipse & insculpsit. At mutuas, inquies, subditis suis uices debent præfecti. Id iam confessus sum. Verum, si ex eo statuis, non nisi iustis imperijs rependenda obsequia, insulsus es ratiocinator. Nam & uiri uxoribus, & liberis parentes, mutuis officijs adstringuntur. Discedant ab officio parentes & mariti. Illi, liberis, quos prohibentur ad iracundiam prouocare, sic se duros & intractabiles præbeant, ut sua eos morositate ultra modum fatigent: hi, suas uxores, quas dili- Ephe.

Ephes. 5 gere, et quibus, ceu uasculis fragilibus, parcere iuben
1. Pet. 3 tur, contumeliosissime accipiant. An minus tamen & parentibus liberi, & coniugibus mulieres obsequentes erunt? At improbis quoque & inofficiosis subijcientur. Quin, cum omnibus istud agendum sit potius, ne in manticã à tergo pendentem respectẽt, hoc est, ne alij in aliorum inquirãt officia: sed, quod sui est muneris, id sibi unum singuli subijciant: Id uero inter eos præsertim ualere debet, qui sub aliorum sunt potestate positi. Quare si à sæuo principe crudeliter torquemur, si ab auaro, aut luxurioso rapaciter expilamur, si ab ignauo negligimur, si ab impio deniq; & sacrilego uexamur, ob pietatem: su-
Daniel. 9 beat primum delictorũ nostrorum recordatio, quæ talibus haud dubie Domini flagellis castigãtur. succurrat deinde & hæc cogitatio, non nostrum esse, huiusmodi malis mederi. hoc tantum esse reliquum, ut Domini opẽ imploremus: cuius in manu sunt re-
Proue. 21 gum corda, & regnorũ inclinationes. Ille, Deus est:
Psal. 82 qui stabit in synagoga Deorum, & in medio Deos
Psal. 2 dijudicabit. à cuius facie concident & conterentur
Iesa. 10 reges omnes, & iudices terræ, quicunq; non osculati fuerint Christum eius: qui scripserint leges iniquas, ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerent

cerent causæ humilium, ut uiduas haberent in prædam, & pupillos diriperent. Atq; *hic mirabilis eius, tum bonitas, tum potentia, tum prouidentia, sese profert.* Nam *modo ex seruis suis manifestos uindices excitat, ac mandato suo instruit, qui de scelerata dominatione pœnas sumant, & oppressum iniustis modis populum è misera calamitate eximant: modo furorem aliud cogitantium, & aliud molientium hominum eò destinat. Sic populum* Israël *è tyrānide* Pha*raonis, per* Mosen*: è uiolentia* Chusan*, regis* Syriæ*, per* Othniel*: ex alijs seruitijs, per alios uel reges, uel iudices, in libertatem asseruit. sic* Aegyptiorum *insolentiam, per* Aßyrios*: sic* Tyri *superbiam, per* Aegyptios*: ferociam* Babylonis*, per* Mœdos *&* Persas*: regum* Iuda *&* Israël *ingratitudinem, per* Babylonios *contudit & afflixit. quanquam non eadem omnia ratione. Priores enim illi, quando ad edenda talia facinora, legitima* Dei *uocatione accersiti erant, in reges incurrendo, minime uiolabant eam, quæ diuina ordinatione regibus indita est, maiestatē: sed minorem potestatē maiore coërcebant, perinde ac in suos satrapas regib. animaduertere licet.* Hi, *tametsi,* Dei *manu, quò illi uisum erat, destinabantur, opusq; eius inscientes peragebāt: nihil tamen aliud animo, quàm scelus,*

Exod. 3

Iud. 2 & sequ

*ſcelus, uolutabant. Verum, utcunq; ipſa hominum fa-
cta cenſeantur, Dominus tamen per ea ſuum æque
opus exequebatur, cum ſanguinaria regum inſolen-
tium ſceptra confringeret, ac intolerandas domina-
tiones euerteret. Audiant principes, & terreantur.
Nobis autem interim ſummopere cauendũ, ne illam,
plenam uenerandæ maieſtatis, magiſtratuum autori
tatem, quam Deus grauiſſimis edictis ſanxit, etiam
ſi apud indigniſſimos reſideat, & qui eam ſua nequi
tia, quantũ in ſe eſt, polluunt, contemnamus aut uio
lemus. Neq; enim ſi ultio Domini eſt, effrenatæ do-
minationis correctio, ideo protinus demandatam
nobis arbitremur: quibus nullum aliud quàm paren-
di, & patiendi, datum eſt mandatum. De priuatis ho
minibus ſemper loquor. Nam ſi qui nunc ſint popu-
lares magiſtratus, ad moderandam regum libidinem
cõſtituti (quales olim erant, qui Lacedæmonijs regi-
bus oppoſiti erant, Ephori: aut Romanis cõſulibus,
tribuni plebis: aut Athenienſium ſenatui, demarchi,
& qua etiam forte poteſtate, ut nunc res habent,
funguntur in ſingulis regnis tres ordines, cum pri-
marios conuentus peragunt) adeò illos ferocienti re-
gum licentiæ, pro officio, intercedere nõ ueto, ut ſi
regibus impotenter graſſantibus, & humili plebecu
læ in-*

læ inſultantibus cõniueant: eorum diſsimulationem nefaria perfidia non carere affirmem, qua populi libertatem (cuius ſe, Dei ordinatione, tutores poſitos norunt) fraudulenter produnt. At uero in ea, quam præfectorum imperijs deberi conſtituimus, obedientia, id ſemper excipiendum eſt, imò in primis obſeruandum, ne ab eius obedientia nos deducat, cuius uoluntati regum omnium uota ſubeſſe: cuius decretis iuſſa cedere, cuius maieſtati faſces ſubmitti, par eſt. Et uerò ut hominibus ſatisfacias; in eius offenſionem incurrere, propter quẽ hominibus ipſis obedias, quàm præpoſterum fuerit? Dominus ergo rex eſt regum, qui ubi ſacrum os aperuit, unus pro omnibus ſimul ac ſupra omnes ſit audiendus. Iis deinde qui nobis præſunt, hominibus ſubiecti ſumus: ſed non niſi in ipſo. Aduerſus ipſum ſi quid imperent, nullo ſit nec loco, nec numero. Neq; hic totam illam, qua magiſtratus pollent, dignitatem quicquam moremur. cui iniuria nulla fit, dum in ordinem, præ ſingulari illa uereq; ſumma Dei poteſtate, cogitur. Scio quantum, quamq; præſens huic conſtantiæ periculum immineat, quòd indigniſsime ſe contemni reges ferant: quorum indignatio nuncius eſt mortis; inquit Solomon. ſed cum iſtud à cœleſti præ- Prouer. 16

cone

Acto.4 *cone* Petro *pronuntiatum ſit edictum*, Obediendum Deo *potius, quàm hominibus: hac nos cogitatione conſolemur*. *Illam tum nos præſtare, quàm* Dominus *exigit, obedientiam: dum quiduis perpetimur* potius, *quàm à pietate deflectamus*. Et *ne nobis labaſcant animi, alium etiam ſtimulum* Paulus
1. Cor. 7 *admouet*: Nos *ideo tanti à Chriſto redemptos eſſe, quanti illi conſtitit noſtra redemptio, ne prauis hominum cupiditatibus ſeruos nos addicamus. multo uero minus, impietati.*

F I N I S.

INDEX

INDEX LOCORVM INSIGNIVM qui in hoc libro tractantur.

Fides

Quæ

Contritio

An

ERRATA.

Pag. 9. uersu 22. pro tertã, lege terram. 13. 13 pro Missa. 21. 2 diffluũt. 22. lege, ecclesiastica historia lib. 5. c. 18. 23. 9 post Assenserũt, subijce punctũ. 30 23. externa. 37. 3. fratres falsi. 42. 23. bonitas, misericordia, ueritas. 62. 1. Qua doc. 71. 7. functionis. 113. 17. farciunt. 170. corda nost. 20. 1. si interior. 173. 21. agere. 188. 11. nobis. 234. 23. matris utero. 240. 1. Christum. 241. 20. habeamus. 284. 24. nos. 304. 23. tabescũt. 311. 24. in lege. 316. 2. cõsuetudinem stupri 327. 18. uidentur sine cõmate. 350. 1. sentirent. 393. 1 peti. 398. 14. quanquam.

BASILEAE, PER THOMAM *Platterũ & Balthasarem Lasium, Mense Martio, Anno 1536.*

MINERVA.



FACIESVE

$130.00